



1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE



Genovesi

ANTONII GENUENSIS

In Regia Neapolitana Academia primum Ethices, postea Œconomices Professoris

DISCIPLINARUM METAPHYSICARUM ELEMENTA,

MATHEMATICUM IN MOREM ADORNATA.

Editio Novissima,

Ab ipso Auctore (rejectis omnibus anterioribus Editionibus, & tanquam non suis reputatis) ad trutinam revocata, perpetuis additionibus locupletata,

Et nunc primum in quinque Tomos divisa, ultimaque Neapolitana Editione correctior.

TOMUS QUINCTUS.



BASSANI, MDCCLXXIX.

SED PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



LECTORI
PHILOSOPHO
ATQUE PHILALETHI SUO

A. G. S. D.

PErſuaſi mihi olim, perhumane lector, atque in ea diu fui ſententia, ratione homines ad ſapientiam, bonamque adeo frugem adduci: nihil ei, poſtquam ſcilicet mortalium animis affuſa eſſet, adverſari, reſiſtereque: capique quin ea invitos. Nunc aliter ingraveſcens ætas ſenti-

re me cogit: nam ratione quidem gloriamur omnes; nemo unus ei mancipatus perstat, illiusve jus tuetur usque. Non judicio decernimus, sed affectu, omnibusque animi perturbationibus. Neque ego sciverim quo sublimine sisti præceps cursus possit: adeo tota hominum moles proclinata illuc est. Hisce ego quatuor Dissertationibus satis clare, aperteque videor Deum Optimum Maximum extra omnia & profanorum dicteria, & impudicorum deliria locasse. Sed certus tamen sum, & me cecinisse surdis, & hoc ævum pergere, quo cœpit. Quid ita? inquis. Non mente, sed animo appenditur religio: qui postquam *cupiditate se devinxit mala, necesse est consilia sequi*, inquit ille, *consimilia*. Audin tu illum?

Næ ille haud scit, quam mihi nunc surdo narret fabulam.
Magis nunc me amicæ dicta stimulant.

Sed & pervulgatum illud est, eoque sese ad ἀσέβειαν ac omnigena crimina animant plures, quod ait in *Hercule furioso* Euripides

Καὶ τίς θανόντων ἦλθεν ἐξ ᾅδου πάλιν;

Ita

Ita bacchanalia vivunt · Ne ſit ullus inde: eſto, non id nunc diſceptare volo. Sed cum ratio, hominumque communis ſenſus ſupereſſe nos olim dictet, redivivus ſit, nec ne ullus ab inferis, quid attinet ad hanc rem? Ut ſi quis edoctus antipodas iis argumentis, quibus nihil reponi poſſit, ita derideat, quod nemo huc ejus hemiſphærii incolarum commigraverit unquam. Si ſapiunt, etiam atque etiam videant, quam rem agant, oro. Nam quid hac concluſiuncula perverſius? Ne igitur rationi ex ratione ipſa inſidias locent, ac cum ratione pereant. Hæc, ſcio, prudentes homines concutiunt. Sed quotus hic quiſque prudens, aut quis hiſce moribus?

Igitur ſupereſt, ut moribus, ac precationibus pietatem tueamur, qui ei præſidio poſiti ſumus, eoque gloriamur. Atque utinam id incœptemus aliquando. Cui enim veri fieri poteſt ſimile, nobis, quibus nihil jam præter pretium dulce eſt, ullos aures commodaturos? Quid monſtri eſt, quod nemo ſit virorum, qui non ſubagitet alienam, & timet tamen ne non pudicam domi habeat?

Di vestram fidem.
Ita comparatam esse hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant & dijudicent,
Quam sua?

Hæc pensiculate recogita, meque ama, teque a me amari scito. Vale. Neapoli sexto Kalendas Martias, æræ nostræ anno 1763.



INDEX.

DISSERTATIO I.

PHYSICOHISTORICA.

CAP. I.

De veterum sententia circa mundi originem ad philosophiam usque Graecanicam.

C A P. II.

De Physiologia Graecanica.

C A P. III.

De Physiologia recentiorum.

DIS-

DISSERTATIO II.

Adversus Platonicos, & Peripateticos,

Viginti argumenta Procli pro æternitate mundi, & solutiones eorum.

DIS-

DISSERTATIO III.

DISSERTATIO IV.

DIS-

DISSERTATIO III.

DISSERTATIO IV.

Quæ



VETUS DISSERTATIO.

Quæ circa anuum 1740 ſcholaſtico ſtylo ſcripta fuit, cujuſque occaſione ſuperiora elucubravimus,

ADDITAMENTA

Scholaſtico Stylo exarata.



DIS-



DISSERTATIO
PHYSICO-HISTORICA

De rerum origine & constitutione.



UI in studiis hodie physicis atque mathematicis versantur, ita a novis rapiuntur ingeniis, ac ita omne antiquitatis refugiunt commercium, ut nihil ferme probent, quod aut ipsi, aut recentiores isti philosophi non invenerunt aut adornarunt: veterum vero ingeniorum conatum seu velut minus utilem negligunt, seu velut puerorum contemnunt. Praeterea in severioribus disciplinis consummati ita omnia fastidire videntur, quae geometrarum, & arithmeticorum non sapiunt oleum, ut, quemadmodum olim Plato, is omnibus ad se aditum occludant, qui geometrico pulvere non sint conspersi. Ego etsi non negem plurima aevi nostri philosophos effecisse, & rebus ipsis mathematicis auctis illustratisque, cetera quoque philosophiae studia aucta & illustrata intelligam, iisque impense delecter, & mathematicorum scitis, sicubi id fieri potest commode, utar libentius; tamen in ea sum sententia, historiam philosophicam omnis aevi, omniumque nationum, philosopho esse non ad ornatum tantum & pompam, sed ad scientiam maxime perutilem, nullumque esse ullius ingenium nec agreste, nec furiosum, sapientiae amatori ne-

gligendum. Quum enim mens nostra sit brevis, pluresque, ut in proverbio est, cernant acutius, quam pauciores; ac præterea in præcipuarum rerum inventione non tam industria & solertia, quam natura ipsa casusque contulerit, maximum profecto lumen est allaturus philosopho omnis ævi omniumque nationum de natura rerum sensus, ejus vero defectus non incomtum modo eum & quasi rusticum, sed minus etiam doctum facturus. Accedit eodem, quod quum disciplinæ omnes non plenæ, perfectæque inter Adæ posteros de cælo ceciderint, sed sint inventæ, auctæque paullatim, juvat haud dubium scire, quando, & a quibus, & qua via ac ratione inventæ eæ primum sint & excultæ. Quocirca optime eos de republica litteraria meritos censeo, qui (fuere autem plurimi, & docti quidem atque eruditi) philosophiæ historiam sunt persecuti. Cujus nunc ego partem unam, *de rerum corporearum origine & constitutione*, eamque per summa capita explicaturus, ut physiologiæ ac cosmologiæ tironibus morem geram, doctos quidem rogo mihi ut ignoscant, si graves res quasdam, minime quas ferre incipientium captus possit, aut omitto, aut attingo leviter: tirones vero, si aliquando (quæ scribentis labori justa datur venia) & genio indulgeo, & paullo longius, quam ferre patique ii possint, divagor.

CAPUT I.

De veterum sententia circa mundi originem ad philosophiam usque græcanicam.

§. I.

Quid Principia, quid Elementa.

QUI veterum philosophorum sententias circa rerum corporearum originem hucusque explicuerunt, in eo sunt omnes, quod scio, parum accurate versati, quod non recte inter ἀρχὰς *principia*, & στοιχεῖα *elementa* distinxerint: quum id in historia rerum physicarum vetusti mundi perdiligenter sit discriminandum, si veteres philosophos intelligere velimus. Nam quamquam in Græcorum libris sæpe hæc miscentur, habent tamen vim diver-

sam

sam ex veterum sententia. Sunt enim, si accurate loquamur, *αρχαι principia universi activa*: hinc αρχας ποιητικας vocant: στοιχεια vero res illæ, ex quibus veluti ex materia quadam universum conflatur. Vi igitur των αρχων ποιητικων *causarum efficientium*, στοιχεια *elementa* coagmentantur, hæcque corpora, corporumque series, ordinemque conficiunt. Itaque quum ὑλην materiam αρχην vocant, improprie efficiunt, nisi iis qui per se mundum esse ajunt. Confirmari id plurimis posset veterum græcorum philosophorum locis, nisi esset supervacaneum. Sed conferatur Plutarchus *de placitis philosophorum*.

§. II.

Doctrina Hebræorum de rerum corporearum origine.

DE origine autem mundi satis antiquis gentibus convenit: sed philosophis sibi non convenit. Quibusdam, quod magis simile vero est, & quo omnes aut duce natura, aut veteri traditione rapimur, nec æternum illum, & genitum, placuit: aliis genitum quidem, sed æternum: nonnullis nec genitum, & æternum. Qui autem genitum fecerunt, plurima sunt in dissensione ac varietate positi: nec enim de causa genitrice, nec de ratione, qua sit genitus, nec cur procreatus sit, nec de elementis, elementorumque natura, atque vi conveniunt. Quod ut intelligatur clarius, facto a vetustissimis nationibus principio, præcipuarum annumerabimus opiniones. Auspicabimur autem ab Hebræis, si non ætate (1), at certe dignitate, & theologiæ præstantia, longe apud orientales populos clarissimis.

Statum est certumque Hebræorum dogma, *mundum nec esse æternum, & a Deo esse procreatum, nec aliam ob causam, nisi quia bonus est*: Deum vero esse ens intelligentissimum, potentissimum, optimum. Quod etsi passim legatur in libris Hebræorum sacris, tamen ex instituto explicatur a Mose sub Geneseos initio. Sic autem eo in loco Vulgata nostra. *In principio creavit Deus cælum & terram*;

 terra

(1) Hebræorum ætatem hic dico exordium reipublicæ judaicæ, duce Mose. Hoc ævo antiquior profecto gens Ægyptia est, ipso Mose teste.

terra autem erat inanis & vacua: spiritus Domini ferebatur super aquas. Et dixit Deus fiat lux, &c. Ex eo loco, veterique Judæorum traditione hæc deducere posse videmur: 1. ex Mosis doctrina Deum esse primam unicamque mundi *αρχην*, *αιτιαν*, & *δημιουργον*, *principem causam opificem*: 2. ab eo omnium primum conditum esse chaos, quod *maim*, *aquas*, vocat: aquas vero pro massa fluida accipere videtur ex solidis, fluidisque corpusculis composita, quæ mox vocatur *thohou vabohou*, idest *αορατος και ακατασκευαστος*, ut vertunt 70., *invisibilis & incomposita*: *inanis & vacua*, ut volgatus interpres: 3. hoc fluidum *vehementissimo motu* agitatum, qui motus, aut vis motrix est *rovah Jehovah*, spiritus Dei (1): 4. hinc ejus motus vi & mechanicis legibus efformasse planetas, & stellas: 5. porro produxisse in tellure *vires genetrices* animantium, plantarumque, verbis illis, *producat terra herbam, quadrupedia, volatilia, pisces, &c.* 6. tandem homines, animantia nempe ratione prædita, progenuisse (2), qui cete-

(1) Eum spiritum vocabulo *ερωτος Amoris* a veteribus nominatum scribit Cudworth *Syſtem. Intell. c.* 4. §. 14. Mosshemius vim quamdam in natura activam, & genitricem vocabulo illo designatam propugnat, *adnot.* 57. *ad eumdem* §. Quæ eadem opinio fuit Theophili ad Autolycum, & plurium aliorum veterum Patrum.

(2) Quum nullus Scripturarum locus æque sit obscurus, nullusque religionis, & philosophiæ magis intersit, hac de re paullo luculentius commentari operæ pretium est. In primis Geneseos verbis interpretandis in diversa abeunt linguæ hebraicæ docti. Sunt quidam, qui opinantur prima illa verba sic verti posse, *Quum primum creavit Deus cælum & terram, terra erat inanis & vacua.* Qui si is idem est mosaici scripti sensus, videtur Moses in ea fuisse sententia, qua ceteræ ferme nationes, chaos præexstitisse mundi generationi. Reapse qui hunc in modum verti verba illa posse docent, in primis Richardus Simonius *In Hist. Crit. vet. test.* non dubitant asserere, ex hoc Geneseos loco nullo modo materiæ *creationem ex nihilo* deduci posse. Eodem vero redit interpretatio Hieronymi Oleastri, qui verbum *bara* vertit *divisit*, ita, *in principio divisit Deus cælum, & terram.* At fidem omnem superat, Rabbinum Maimonidem, XII. sæculi scriptorem, cujus magna est apud Hebræos existimatio, audacter adfirmasse, non materiæ modo, sed ne mundi quidem creationem disci posse ex hoc loco; quod nempe Moses de Deo loquatur ex populari sensu. *In More Nebuchim part.* 2. *cap.* 25. Alii vero censuerunt mundi generationi chaos nunquam præexstitisse, etsi id populariter, & ad captum Hebræorum sit a Mose narratum; sed omnia esse eodem temporis momento a Deo facta, eoque digesta ordine, quo nunc sunt. Ita, præter alios, sensisse videtur Beatus Augustinus vir in primis doctus & acutus. At alii ex opposito sex annis ex chaos mundum, aut potius tellurem nostram, mechanicis legibus formatam a Deo autumant. Ita Wisthon in *Theoria Telluris*. Legatur examen Theoriæ Telluris Burnetii, cum animadversionibus in

ceteris dominarentur. Sed & hæc omnia suæ uti obsecon- daret

in Theoriam novam Wisthoni, a Keillio editum. Sed omnes sententiæ istæ uno, eoque perquam validissimo argumento confutantur, quod & vim mosaicis verbis inferunt, & vetustæ Hebræorum omnium, atque Christianorum consentienti traditioni adversantur; nulla res enim & apud vetustos Judæos, & apud primos Christianos neque testatior fuit unquam, neque constantior, quam Mosem iis verbis non mundi solum generationem, sed materiæ quoque creationem docere voluisse. Quis autem sibi persuadeat, ne Mosis quidem tempore Judæos scivisse quid sibi divinus legislator vellet, præsertim quum ea de re ex instituto egisset?

Strabo, ajunt, geographus, ut & quidam alii Gentiles, alia videntur mosaicam doctrinam ratione interpretati. Strabo enim in xvi. Geographiæ, scribit, ex Mosis sententia Deum esse *το περιεχον ημας απαντας, και γην, και θαλασσαν, ὁ καλουμεν ουρανον και κοσμον, και την των οντων φυσιν*: nempe, *quod nos omnes continet, terram, & mare, quod cælum & mundum, & rerum omnium naturam appellamus*; quo modo & Eleatici quidam, & Strato Lampsacenus de mundo ac Deo philosophati sunt. Straboni similia scribit Diodorus Siculus *in Biblioth. hist. lib. 40. in Eclogis apud Photium Myriobbl. Cod* 244 In quam sententiam videntur ivisse eò, quod nulla idola, nulla templa viderent a Mose inducta. Ex ea certe causa Juvenalis *Satyr.* XIV. v. 98. de Judæis scripsit.

Nil præter nubes, & cæli (*Cylli*, sunt qui legunt) *numen adorant*. Sed si auctores isti pantheistam Mosen efficere student, eos imperitiæ potius rerum hebraicarum, quam malitiæ accusaveris. Quid enim apertius in hebraicis libris, quam Deum, quem colebant Judæi, non mundum, sed mundi esse creatorem? Quamquam ego nullo pacto concesserim Straboni *Stratonium* & pantheistam fuisse Mosem. Duo enim hic scribit græcus geographus I. Mosem eos ferre non potuisse, qui in bestiis, aliisque telluris rebus divinitatem effingerent, quum Deus nihil horum sit, sed potius *το περιεχον*, *quod imperio suo continet* (nam ea est hic ejus verbi vis) *homines, terram, mare*: II. hanc divinitatem supremam nos dicere solere emphasis causa *uranon*, *cosmon*, *physin* eorum omnium, quæ sunt. Hæ voces, uranos, cosmos, physis non eamdem potestatem habent in theologica Græcorum lingua, quam in latinam versæ. Veteres Græci supremum numen aliquid ignis esse, & luminis, sed longe diversum ab igne & lumine nostrate, credebant. Id *ουρανον* appellabant, quo nomine aliquid igneum, & sublime significare volebant. Præterea ab eo esse mundi ordinem ac moderationem. Hoc activo sensu *κοσμον* dicebant quasi rerum omnium moderatorem. Vide Suidam v. *κοσμος*) ac physin, *naturam* scilicet omnia progignentem, item active accipientes, quo modo & Latini aliqui, etiam Christiani, Deum naturam dixere, *naturantem* addidere barbari. Igitur aperte Strabo indicat, Mosem secrevisse Deum a rerum universitate: ille continet, imperatque: hæc continetur. Ille rerum *κοσμητωρ* est & *φυσις*: hæc *κοσμος* passive. Neque alium sensum totus is locus præfefert. Ferri igitur non potest Tolandi impudentia ac inscitia, *qui in originibus judaicis pag.* 157. & alibi non veretur Strabonem aperte Mosis narrationi præferre: nam nec Strabonem intellexit; nec si id græcus geographus diceret, criticæ canones sinunt ei potius, quam hebraicis libris ac longæ disciplinæ credere. Sed præsidium iners ex Dei nomine *Jehovah* accersit, quod primum Mosi usurpatum constare ait ex ipso Mose, apud quem

Deus

darer bonitati fecisse, ex sacris veterum Judæorum libris haud difficulter erui potest.

§. III.

Et Chaldæorum.

HÆc est de origine mundi veterum divinorum librorum doctrina (1). Ceteras autem res naturæ quod spectat, non valde eas curasse Hebræos, earumque proinde multum fuisse rudes, in confesso est. Accedamus nunc ad Chaldæos, celeberrimam olim Asiæ philosophorum sectam, *& antiquissimum doctorum genus*, ut loquitur Cicero (a). Vetus oraculum memoratum Eusebio (*b*) & Porphyrio, Chaldæorum æque atque Hebræorum sapientiam conjungit, atque commendat, Μονοι χαλδαοι σοφιαν λαχον, ηδ' αρ Εβραιοι, *Chaldæis solis sapientia cessit, Hebræisque*. Astronomiæ fama celeberrimi apud veteres fuere Chaldæi. Alexandri Macedonis tempore 470000. (alii ex Diodoro Siculo ajunt 430000.) annorum observationes astronomicas jactasse dicuntur (*c*). Sed observationes astronomicæ, quas Callisthenes ad Aristotelem misisse scribunt, quasque ex Porphyrio memorat Simplicius (*d*), annos continebant 1903. quorum initium retrogrediendo incidit in annum mundi 1750. in annum vero post diluvium 94. quo circiter tempore, ex hebraica chronologia, Babylonicæ turris exstructio facta est. Vide Stanleyum, loco citato & Marshamum (*e*). Plinius vero (*f*) hunc in modum scribit: *Epigenes apud Babylonios* DCCXX. *annorum observationes*

(a) *Lib.* 1. *de Divinat.* (b) *Præp.* 9. 10.
(c) *Stanl. par.* 13. *sect.* 1. *c.* 1. *Marsh. init. Can. Ægypt.*
(d) *In prim. de cælo.* (e) *Can. Chro. l.* 4. *p.* 504.
(f) *L.* 5. *c.* 56.

Deus nemini id indicasse antea dicitur. Id vero vocabulum, quod scilicet ita Tolando placet, significat το ον Græcorum, *& hoc mundum incorruptibilem æternum interminabilem*. Sed quam hæc sunt putida! diserte enim Moses tradidit *hunc Jehovah* mundum condidisse: id conservare summa liberalitate, quum possit destruere, idque plurimis eventis demonstrasse: omnia ab eo pendere, esseque coram illo inania: vetat præterea ullam fieri *Jehovæ* imaginem, quod nulli rei assimilari possit. An qui hunc in modum loquitur, Deum cum universo confundit? Quæ quum sint; pudet nos delira Tolandi commenta pluribus confutare.

(1) Reconditiorem hujus doctrinæ partem in dissertatione *de origine malorum* expediemus.

tiones siderum coctilibus laterculis inscriptas docet, gravis auctor in primis. Qui minimum Berosus & Critodemus CCCCLXXX. *annorum* (1). Fuit autem Epigenes circa Alexandri tempora, ut conjicit Burnetius in Archæologiis (a). Quicquid de eo sit; ex veterum testimoniis constat; antiquissimos fuisse Chaldæos quum populos, tum philosophos. Id autem narrationi mosaicæ valde est consentaneum: quandoquidem, ut divini Judæorum libri docent, primi post diluvium mortales ea incoluerunt loca, in quibus postea Chaldæi floruisse dicuntur, circa Armeniam nempe, Mediam, Parthiam, Assyriam, Persidem, &c. quod magna vetustatis eruditione demonstravit Bochartus (2).

Ex iis autem qualibuscumque Chaldæorum litterariis fragmentis, aut potius, ut ego puto, ex traditione magna ex parte a Græcis depravata, vel etiam conficta, hæc de universo apud Chaldæos doctrina colligitur a Stanleyo. Naturarum omnium tres classes Zoroastrem partitum

 titum

(a) *L. I. c. 9.*

(1) Hic Plinii locus mutilus est: annis enim 720. addendum M. ut sint 720000. Item annis 380., ut sint 480000. Vide Harduinum ad h. l. & Bael. dict. Art. Babylon.

(2) Veteres plures scriptores artium & disciplinarum omnium apud vetustas has nationes cultores quidem Chaldæos faciunt, inventorem vero Zoroastrem, aut Zardhust. At quis mortalium fuerit Zoroaster; quo tempore vixerit, unus ne, an plures fuerint, tam est inter eruditos controversum, quam quod maxime. De Zoroastre Persico, aut Bactriano recentiore illo Persicorum Magorum institutore, probabiliora quædam produxit vir veteris Persicæ linguæ callentissimus Thomas Hyde *De veteri Persarum Religione*. Sed & ea varie interpolata atque corrupta esse censet vir Polyhistor Albertus Fabricius *In Biblioth. Græc. lib* 1. *cap.* 36. Quamquam Pridaus in historia Judæorum nimium hæc extollit. Ego a Fabricii opinione non dissentio. At de Chaldæorum Zoroastre, ut ut vulgata plurima, incerta omnia. Sed similius vero veteres nationes plurimorum inventa in personatum quempiam retulisse; Ægyptios in *Mercurium*, Thraces in *Orpheum*, Lydios in *Marsyam*, Celtas in *Arimanium*, Germanos in *Tuisconem*, ut Chaldæi in Zoroastrem, præsertim quum Zardhust non proprium viri nomen sit, sed professionis; significat enim ignis sacerdotem; ut Hyde ipse docet. Legatur & *Vicus* noster in Tabula Chronolog. ad *Scientiam Novam*, Deslandius *Histoire Critique de la Philosophie tom.* 1. *pag.* 220. Ursinus *de Hermete, Zoroastre* &c. Beausobre *histoire du Manicheisme*, aliique.

Nihil hic memoro de duplici mundi Deo, Bono uno, malo altero, quos Zoroastrem Persam induxisse contendit Bælius *dict. art. Zoroastr.*: Vir enim idem veterum rerum Persicarum peritissimus Thomas Hyde *de vet. Persar. Relig.* eumque sectatus Humfredus Pridaus *in histor. Jud. &c.* negant id ex Zoroastris libris deduci, aut unquam Zoroastrem docuisse, duos esse Deos & æquales, ut ut minus docti sic crediderint. Materiam tantum æternam fecere. Sed vide Beausobre *historie du Manicheisme*.

titum scribit Pletho in oraculis. In prima classe eas posuit naturas, quæ nec initium habuerunt, nec finem sunt habituræ: in altera eas quæ initium habuerunt, fine vero sunt cariturae: in tertia perituras. Ad primam classem pertinet supremum numen seu unicum illud & bonum principium rerum omnium, & materia, quam *dæmona* & *tenebras* appellavere. Reperitur in his chaldaicis fragmentis principium bonum vocatum ignem, *or*, vel *our*: in oraculis Zoroastris ὕπατον πυρ *supremum ignem*. Ab hoc *æterno igne* emanasse ὑπερκόσμιον φως *supramundanum lumen infinitum idemque incorporeum ac lucidum spatium intellectualium naturarum sedem beatam*, ex Chaldæorum doctrina tradidere Græci. Sed crediderint ne itaut loquebantur, an pro orientalium nationum genio tropis indulgente, aliud ignis nomine intellexerint, forte ipsam Dei intellectivam & vivificam vim, incertum. Scimus Danielem (*a*) simili loquendi modo usum scribere, *Deum incolere lucem*, & quidem *lucem inaccessam*, ut loquitur Paullus (*b*). Christianorum quoque opinio est communis, empyreum cælum, idest, si verbum verbo reddas, *cælum igneum*, sedem esse beatorum. Hæc cum de Deo dicuntur, allegorice sunt interpretanda: nihil est enim in divina illa natura corporei: sed nihil tamen vetat & cum naturali sensu accipere quum de cælo empyreo scribuntur: nam id consentaneum est theologiæ christianæ principiis: hæc namque docent, resurrectura olim beatorum corpora *spiritualia*, atque *lucidissima*: par ergo est credere & lucidissimam corpoream sedem habitura: & id docent plures græci patres, in primis Basilius hom. II. in hexaem. & ex latinis Aug. de civ. XXII. 29. Quidquid sit, hæc ad litteram intellecta a veteribus orientalibus nationibus vero valde est simile. Nam veteres illæ gentes haud tam sublimes atque metaphysicas de rebus divinis cogitationes habebant: simplicius, ut vivebant, cogitabant. Nec nos remorari debet, vocatum ab illis *ignem incorporeum*: mos enim fuit veterum ferme omnium, etiam philosophorum, crassiora tantum corpora vocare *corporea*, subtiliora *incorporea*, ut præter alios docent Origenes in libris περι αρχων, Basilius *de Spiritu Sancto*, & Psellus *de dæmoniis*; pluribusque ostendunt Petavius *de Angelis*, & Huetius

(a) *Cap.* II. *v.* 22. (b) I. *ad Timoth.* 4. *v.* 16.

tius in *Origenianis*. Jam hic ignis per universam materiam, quæ tenebrarum nomine ab illis vocabatur, diffunditur, si Caldæis credimus, eamque vivificat: unde in oraculis itidem vocatur ζωογονον πυρ *vivificus ignis*. Qua etiam de re appellari poterat *mundi anima*, & φυσις, πρωτη ουσια, *natura genitrix ac primum fundamentum cunctorum*. Cum hac autem natura genitrice conjungendæ sunt, si credimus Psello, ex Chaldæorum doctrina *potentiæ mundanæ*, quæ auctore eodem Psello, ex Chaldæorum sententia, *sola & indeclinabilis mundorum causa sunt*. Hæ autem potentiæ an *ideæ* sint divinæ mentis Philonis (*a*), an *dii minores* Timæi (*b*), an dæmones, an abstracta & separata ac intelligentia Platonis exemplaria, an quid aliud, quod poetica illa vetus philosophia excogitavit, (1) parum scire refert. Certe ab his, aut propter has mundum fabrefactum, omniaque proinde mala a materia esse, Zoroastriani censuere (*c*). Id certe magna consensione veterum scriptorum de Chaldæis discimus, eos ante corporeum hunc mundum, mundum alium naturarum incorporearum a Deo genitum, *mundum intelligibilem*, illumque primum omnium lumine illo Dei illustratum, docuisse: plerasque aliarum mentium descivisse a Deo, causamque fuisse cur inferior & tenebrosus mundus crearetur. Vide Stanleyum loco superius citato. Quorum primum placuit multis græcis theologis, latinorumque aliquibus, qui *plures æternitates* (ut verbis loquar Hieronymi) angelos ante corporeum mundum conditos docuerunt. Legatur Origenes in libris περι ἀρχων, Lactantius *lib.* II. *Instit. divin.* & Petavius *de Angelis*.

Ad res corporeas quod adtinet, materiam Chaldæis æternam positam, scribit Diodorus Siculus (*d*): & chaos mundo præexstitisse, quæ antiquarum omnium gentium opinio fuit constantissima, ut docet Eusebius *in præparat.* Ex ea autem materia conflatos tres præcipue mundos pseu-

(a) *De gubernat. mundi*. (b) *Plato in Timæo*.
(c) *Vide Beausobre hist. Manich.* (d) *Lib.* 2.

(1) Est hæc mortalium natura ut quæ sensu & ratione assequi nequeunt, ea ex phantasia feracissima ineptiarum omnium scaturigine procreent. Quum fabula irritatione curiositatis plus delectet, quam severa veritas, hujusmodi auræ captatores, quod ait Cicero, avidius, quam rigidi philosophi, audiuntur, ediscunturque. Inde antiqui theogoniarum scriptores totam historiam, ac physicas mundi origines in fabulas aniles ac perridiculas verterunt.

pseudoracula tradiderunt 1. *empyreum*, qui proxime supramundano subjacet lumini, quique sit στερεωμα, *folidum firmamentum* ac rotundissimum: 2. *æthereum*, qui empyreo adjacet: 3. & crassum omnium infimum, quem solum vocant *materialem*, quod crassus & tenebricosus sit. Sed Franciscus Patricius eos hoc ordine distribuit 1. empyreus, 2. æthereus, nempe orbes fixarum planetarum, excepta luna, 3. elementaris, aereus, aqueus, & terrestris. Observatione autem dignum est, quod traditur à Psello, empyreum tributum *menti*, æthereum *animæ*, materialem seu crassum *naturæ*. Quæ quidem pol credo nisi Œdipus intellexerit, *interpretari alium posse neminem*. Sed & illud quoque observandum est, planetas, ex oraculorum doctrina, statui Ζωα πλανωμενα *animantia erratica*. Quod reperies sæpe alios usurpasse philosophos græcos, ipsum Adamantium, qui habitatos esse planetas, aut saltem *interiore quodam spiritu ali & moveri*, magna consensione docuerunt. Jam vero gens astrologiæ judiciariæ, ut magna veterum pars, hodieque tota Asia, impense addicta, credidit septem has erraticas stellas, habere rationem caussarum agentium in unumquodque eorum, quæ in vita accidunt. Qua persuasione (etsi non defuerint magna ingenia, præsertim in Italia nostra, quæ desertæ caussæ patrocinium susceperunt, Cardanus in primis vir haud dubium doctissimus) nihil esse stultius potest. Atque hæc est chaldaica physica, si vera oraculorum compilatores narrant. Ex his licet conjicere elementa mundana ex pseudochaldaica hac philosophia, esse 1. lumen supramundanum, 2. ætherem, 3. materiam, 4. mentes, 5. animas, 6. naturas. Hæc in utram partem acceperis perinde habeo. Illud tamen exploratæ historiæ est, Chaldæos mundi aliquam professos originem, eamque ex chao, supremæ alicujus mentis imperio, item ut Hebræi. In eo dissident, æternam esse materiam, eamque esse principium malorum præcipuum, adjutantibus malis geniis. Quod inde accepisse dicuntur Pythagorici, ceterique Greci, atque hinc Manichæi (1).

§. IV.

---

(1) Vide Beausobre *histoire Critique de Manichee*; *& du Manicheisme*. Ab Ægypto ea retulisse Pythagoram contendit Brukerus, iterque ejus Chaldaicum negat.

§. IV.

Persarum, Indorum, & Serum Physiologia.

Accedamus nunc ad Persas, Indos, & Seres, qui profecto inter primos telluris incolas connumerandi sunt seu profanos, seu sacros historicos consulamus. Nam Seres, seu Sinenses, antiquissimam esse gentem, litteris, armis, vitæ commodis jamdiu florentissimam, Sinensium annales tradunt. Indos vero, Celto-scythas, hisque conterminos Medos atque Persas Græci Latinique faciunt populorum vetustissimos. Qua de re vide Justinum Trogi (*a*), Paullum Pezronium, Skucfordium in historia sacra & profana. Hic a Noe ipso Seres genitos valde putat probabile. Historia autem mosaica docet in Armeniæ montibus primum consedisse Noemi posteros: ergo eæ omnium primum regiones cultæ, quæ ab Armenia orientem spectant solem, utpote & mediterraneæ, & planiores, & aquis perennibus irriguæ. Fuere his nationibus sui sapientes, qui, uti apud ceteras alias antiquas gentes, φιλόσοφοι erant, atque φιλόθεοι, ut Suidæ vocibus utar verbo Μαγοι (1). Est autem id observandum apud veteres quasque nationes, in primis apud Ægyptios, eosdem & *sapientes*, & *theologos*, & *sacerdotes* fuisse, & secretioris hujus doctrinæ magistros custodesque.

Quæ fuerit Persarum de origine mundi sententia, incertum: nihil enim ferme tradunt veteres præter hæc duo: Persas & *ovum* mundi symbolum statuisse, & *ignem* coluisse (*b*); in quo cum Ægyptiis, Phœnicibus, Phrygibus, Chaldeis, Thracibus Orphicis, & vetustis Græcis consentiunt. Qui hæc interpretantur non sibi conveniunt. Ignem colere veluti supremi Dei simulacrum scripsit Maximus Tyrius (*c*): quod quidam perspecte eum interpretari censent: veteres, ajunt, populi quo intelligibilem Dei naturam exprimerent, nihil accommodatius igne esse censuerunt. Nam quis credat, eos rem tot in particulas divisi-

(a) *In* 3. *cap.* 1.
(b) *Voss. de Idolol. lib.* 2. *cap.* 64.
(c) *Disser.* 38.

(1) Magos vetus vocabulum ignis sacerdotem significat. Vide Hyde de vet. Pers. Relig.

divisibilem, qualis est corporeus ignis, Deum existimasse? Quin opinantur & Heracliteos, & Stoicos, qui hoc dixerunt, poetice loquutos. Hesiodi ερωτα, *amorem*, quem Aristoteles Metaph. I. 3. pro universi causa ab eo habitum scribit, esse το πυρ docti monent. Ego dubito. Duo ergo Persæ universi principia *ovum* chaos, quæ est *materia*, & *ignem*, idest αρχην, *principium activum*, & *mentem*, statuerunt. Quæ quum sit & ceterarum nationum sententia, inde patet, cur *ovum* symbolum mundi apud veteres ferme omnes nationes reperiatur; *ignis* vero tam late per Asiam, Africam, & Europam cultus fuerit. Jam doctrina ignis Persarum cum Chaldaica illa oraculorum consentit (1).

Porro Indorum duo fuisse sapientum genera *Brachmanes*, & *Germanes* (seu *Sarmanes* ex Clemente Alexandrino, *Samanes* ex Porphyrio) auctoritate Megastenis veteris indicarum rerum scriptoris, docet Strabo (*a*). Celebratissimi sunt in græca, latinaque historia Indorum *Gymnosophistæ*. Quæ autem horum fuerit de origine mundi sententia, non admodum liquidum est. Eum aliquando cœpisse non dubitabant. Mundi porro materiam aquam exstitisse censebant, si Straboni fides: fluidum scilicet chaos, ut ego accipio; in quo cum reliquis Orientalibus conveniebant. Nec tamen αρχην excludebant: Deum enim omnium opificem faciebant. Παλιγγενεσιαν *Regenerationem* admittebant omnium rerum, uti tradit Clemens Alexandrinus (*b*); quæ res non eodem modo ab omnibus accipitur. Sunt qui in hac doctrina pantheismum reperiunt; quasi nempe veteres Indi, ut Siamenses, & Sinenses hodierni, agnoverint, mundum ex duobus conflatum 1. materia crassiore, 2. & ætherea atque activa, quæ sit mundi *spiritus*: inde vero deduxisse, rerum omnium generationem esse variam modificationem ættereæ cum crassiore ma-

(a) *Georg. lib.* 15. (b) *Stromat.* 2.

(1) Hinc ignis cultus apud Chaldæos & Persas. Fortassis & inde oppidum, unde Abrahamus vocatus a Deo venit in Chananitidem, *Ur* dictum: nam Ur illud non ignem, ut plerique opinati sunt, sed oppidum, ad Mesopotamiæ septentrionem, Tigrim versus, memoratum quoque Ammiano Marcellino *lib.* XXV. *cap.* VIII. plurimis probat Samuel Bochartus *Phaleg. lib.* 1. *cap.* X.

ne materia, mortem vero esse παλιγγενεσιαν, ideſt tranſitum *ſpiritus*, ſeu ætheris ex uno in aliud corpus, quæ & μετεμψυχωσις quoque ſit. Revera qui de rebus Indicis & ſinenſibus noſtra memoria ad nos paullo certiora retulerunt, non dubitant hujuſmodi apud illos pantheiſmum regnare, eumque ab antiquis derivari (*a*). Proditum quoque a recentioribus iſtis ſcriptoribus eſt, Indos philoſophos rerum omnium emanationem ab una Dei ſubſtantia, exemplo araneæ telam e ſinu ſuo evomentis, deſcribere, aut oceani & vaſculorum ex aquis oceani repletorum (*b*). Ego iſta affirmare nolim ex ejuſmodi loquendi tantum modis emphaticis, aut ex emphaticis exemplis: quum utrumque gentile ſit orientalibus gentibus, ipſis quoque Arabibus Mahummedanis, quos conſtat numquam fuiſſe pantheiſtas. Qui Heſiodi Theogoniam legerit, is nullo negotio intelliget, quam res naturæ orientalium phantaſia perverterit. Cui illud accedit, hoc, quod dicitur phantheiſticum ſyſtema, opus eſſe non fervidæ tantum mentis, ſed græca metaphyſica nimiaque ſubilitate depravatæ: orientales vero populi multa quidem phantaſia ac præcalida præditi ſunt: elaboratæ vero illius ſubtilitatis ne hodie veſtigia præſeferunt.

Jam Seres, aut Sinenſes cum Aſſyriis, ac Indis antiquitate certant: quin ſuperare ſunt qui arbitrantur (*c*). Satis conſtat eorum librorum auctoritate, quos illi ſacros vocant habentque, popularem ac vetuſtiſſimam fuiſſe inter illos opinionem, mundum aliquando cœpiſſe, nec ſine cura ſupremi alicujus domini, quem illi *Tyen* appellant. *Tyen* hunc ſæpe vulgus cum cælo corporeo miſcet, quod & apud nos non vacat exemplo, qui quamquam Deum nihil habere corporis ſciamus doceamuſque, nihilo tamen minus cælum metonymice pro Deo paſſim uſurpamus. Ex chao natum mundum Sinenſes accepiſſe hinc ego demonſtari poſſe opinor, quod etiamnum vigeat inter doctos hæreſis illa, quæ docet ex vacuo omnia emerſiſſe. Nam quamquam ſunt qui id naturæ ipſius vi ſine ullius mentis

(a) *Desland. in hiſt. crit. phil. lib.* 1. *cap.* 7.
(b) *P. Bouchet* lettr. edifian. 13. *cap.* 148. *Belius in dict. Art. Japon.*
(c) *Scurfocd. Vide. Mart. Mart. Sin. hiſt.*

mentis cura factum arbitrantur, vacuumque ita describunt, ut longe a chao differre videatur; hæc tamen posterioris ævi, ac lascivientium ingeniorum additamenta haberi velim. Sunt præterea apud illos, eaque latissima est secta, qui prorsus ut nostrates Stoici, mundum pluries ortum ac interiisse opinantur. Neque tamen negaverim esse aliquos, quibus ingenitus videtur & Deus, ut Spinozæ: sed hi posteriores multo sunt, quam primæ gentis origines. Qua in re sic habeo primum omnium nationum sensum hunc fuisse, mundum aliquando cœpisse; nec id in controversiam adductum, nisi postquam subtilior philosophia adolevit: nam primi mortales victui quæritando addicti hujuscemodi rerum nihil præterquam majorum traditiones, easque perpetuo evanescentes animo volvebant. Jam vetus illa Sinensium phisiologia ac theologia præter mentem supremam, ac *Tyen*, totum universi spatium minoribus mentibus repleri tradidit; hisque non bona tantum & mala omnia peculiaria deberi, sed ferme omnia mundi phænomena. Qua in re illis cum Ægyptiis, Chaldæis, Græcisque convenit, omnibusque orientalibus populis, ut una omnium videatur fuisse origo: nam Græci theogonias suas ab orientis theologia accepisse satis inter doctos constat (1).

§. V.

Et Æthiopum.

ARabes ac Æthiopes de antiquitate cum Ægyptiis certabant. Controversia vacat suppares esse nationum antiquissimis. Eamdem Arabes ac Æthiopes originem habuisse, lingua, mores, religio, veteres traditiones demonstrant. Lingua æthiopica omnium maxime Arabi est affinis: id demonstrat Ludolphus (*a*) qui ei rei per 60. annos studuit. Pastores & agricultores fuere Æthiopes: id probat natura numinum, Ammon, Isis, Pan, Hercules, Esculapius. Ammon arietis capite pastoralem indicat. Isis, & Pan agriculturam. Hærcules venatio-

(a) *In hist. Æth.*

(1) In antiquis Sinensium characteribus literas ægyptias reperiri satis aperte nuper demonstravit Tupervillus Needham anglus in dissertatione *de inscriptione quadam Ægyptiaca Taurini inventa*, *Romæ* 1761. Vetus igitur intercessit inter Ægyptios ac Sinenses commercium.

tionem. Esculapius medicinam (1). Solem præterea adorasse testantur Diodorus, & Strabo (a). Interim supremam divinitatem, eamque rerum omnium causam agnovere. Strabo: Θεον δε νομιζυσι, τον μεν αθανατον, τυτον δ' ειναι τον αιτιον των παντων, *Deum putant alterum quidem immortalem, eumque causam omnium:* τον δε θνητον ανονυμον τινα, και υ σαφη, *alterum vero mortalem, nomine carentem, nec cognitu facilem.* Illum igitur cunctorum causam manifeste intelligebant. Quid alter hic θνητος? An θνητυς, ignotos dæmones scilicet? Nam & Græci aliquot dæmonas longævos quidem, sed mortales fecere (b). Quid si sacerdotum astutia illatus, quo quem vellent, & quandocumque vellent, obtuderent? Reges enim Æthiopes de tribu sacerdotum lectos, & eorum imperio paruisse docet Diodorus. Patricius dialogo primo de Retorica nescio quam fabulam de Æthiopibus vulgavit ad mundi originem, quod attinet. Eam hic curiosi lectoris causa exscribo (2).

§. VI.

(a) *Diod. lib. III. Strabo lib. XVII.*

(b) *Vide Plutarchum* de defectu oraculorum.

(1) Veterum gentium hi fuere ad humanitatem gradus. I. agrestes; vita: venatio, & latrocinia. Kanadenses septentrionales ita etiamnum vitam agitant. II. Pastores: artes pastorales ac venatoriæ. Is primus humanitatis gradus. Huttentotti, Tartari Septentrionales in hoc sunt statu. III. Pastores & Agricultores simul. Hinc artes pecuariæ, agrariæ, venatoriæ, bellicæ. Primus status culturæ & imperiorum. Peruani, Mexicani, hanc vitam vivere a patribus nostris reperti sunt. Tales fuere etiam Æthiopes quum primum cogniti. IV. Opifices lanæ, lini, βαμβακιυ, serici, quique commercia agitant. Vita: artes omnigenæ, literæ, luxus. Ultimus humanitatis gradus. Sed quid hic illud sibi vult, quod Plutarchus *adversus Stoicos κυνα canem* regem habuisse Æthiopes scribit? Simiam etiamnum quosdam habere Rudolphus lib. 1. cap. 6. testatur, sed auritus testis. Nempe aut vocabulis decepti, aut insignia regum pro regibus habita: aut figuras veterum regum, qui velut Dii culti, in reges ab imperitis morum adsciti. Nam Osiris apud Ægyptios, & Æthiopibus conterminos, & ejusdem stipitis, κυνοκηφαλος exhibitus fuit, Apis *bucephalos*.

(2) Et io dunque la vi conterò. Ma ella è cosa, che gli huomini animosi terran favola. Per lo contrario le persone di consiglio la porteranno in molta maraviglia, siccome la portò il reverendo Conte Baldassar da Castiglione fratello dell'avola mia, il quale da alcuni savj d'Etiopia la udì raccontare, trovarsi scritta negli antichissimi loro annali. La quale egli poi volentieri, e molte volte era solito di raccontare, la quale è questa. Che trovandosi egli in Hispagna per servigio di Santa Chiesa, vi ritrovò un gran savio, che d'Ethiopia era venuto. Col quale accontatosi più fiate il Conte, a ragionamento dell' humane me-

§. VI.

Et Arabum.

ARabes & orientalium populorum esse antiquissimos, & mundi originibus suppares, constat inter omnes. Ab

---

meraviglie: egli affermò per vero, trovarsi nelle antichissime memorie loro, questa storia. Ne' primi secoli, dicea il venerando vecchio, dopó l' ultima rinovazione del mondo, questa terra, che noi habitiamo, non fu di questa forma, nè di sì picciola grandezza, ch' ella è al presente. Ma di gran lunga maggiore, e di perfetta rotondità. Perciocchè ella tenia allhora tanto luogo con la sua ampiezza sola, quanto ella hora tiene con tutta l' acqua, e con l' aria insieme, et appresso del fuoco colla più densa parte: si che tra 'l cielo, e lei non vi era traposto altro, che il purissimo fuoco, il quale ethere si chiama, sottilissimo, chiarissimo, e di calor soavissimo, et vitale, simile al calor celeste, il quale a tutte le cose presta vita. Era adunque la terra di co tanta ampiezza, e sì vicina al cielo. Et per entro a se, et nel piano di sopra, ella era cavernosa di larghissime caverne. Per entro allé quali erano sparsi qua, et là gli elementi dell' aria, et dell' acqua. Et là giù verso il centro, vi era disperso il fuoco non per altra cagione, che per illuminare et per riscaldare vitalmente quelle parti lontanissime dal cielo, et perciò oscure, et fredde, e di debol vita. Perciochè l' altre caverne più verso il piano della terra erano dal lume del cielo illuminate, per l' aperture di sopra: et col suo caldo di vita empiute. Et erano le caverne tutte, siccome ora è il piano, dagli huomini habitate, e dagli altri animali. Per gli cui usi, erano l' acqua, et l' aria sparse, per le spelonche. Era adunque la terra, in guisa di una spugna; et gli huomini vi habitavano per entro, alla maniera, che vi habitano al presente mille vermicelli. Ma era la lor vita all' hora felice molto et senza male alcuno. Conciosiachè non vi fosse tra gli huomini nè guerra, nè sedizione, nè odio alcuno. Nè era tra loro et tra gli animali quello, che si vede hora, che si mangiano l' uno l' altro. Ma vi era amore et conversatione fra tutti, et fratellanza. Nè viveano gli huomini racchiusi *nelle* città, si come fanno hora, per *la* paura delle fiere, e degli altri huomini nemici: ma pasceano sparsi qua, et là, e misti et no con gli animali; et la terra lor produceva frutti, quanto era il bisogno per lo sostenimento della vita, senza lor fatica veruna. Et era tanto la temperatura dell' ethere, et dell' aere per entro, che le stagioni non lo variavano, alla maniera d' hoggi. Il perchè essi andavano ignudi, et si giacevano la notte per l' herbe, le quali la terra apparechiava loro per letticciuli, altissime, e molstissime: et non provavano in somma male alcuno, il quale a tanta copia ha fatto sorgere tra loro, lo spavento preso nella caduta della terra. Ma conoscendo essi in quel tempo tutte le verità

Ab iis autem ortum Ægyptios & Æthiopes traxisse vetus fama est: nam ab Arabia per fretum Bab-al-menab bre-

rità, et tutte le virtù, di tutte le cose sapeano, che tutte erano buone: et che non ve n' era rea veruna. Conciosia cosa, che conversando essi famigliarmente, et ragionando con gli animali, et con gli uccelli, e con le piante, et con gli spiriti apparavano l'uno dall'altro tutte le cose, tutti gli huomini sì, ma molto più quelli, che più al cielo habitavano vicino. Nel quale, per oltre all'ethere limpidissimo, scorgeano tutte le virtù di tutte le stelle, et erano i loro sensi nutriti nel purissimo ethere, purissimi. Laonde essi haveano scienza di tutte le cose et celesti, et elementali, et sapeano le virtù, e le potenze di tutte: et di tutte si valean per la sapienza loro. Per mezzo della quale essi operavano molte maraviglie, che per la lunghissima antichità sono ite in oblio. Egli è bene venuto a nostra notitia, notato ne' vecchissimi annali d' Etiopia, che tra le regioni, che erano nel piano della terra vicina al cielo, vi si trovarono, tra l'altre molte, la Ethiopia, et quelle, che hoggidì si chiamano Egitto, Persia, Assiria, e Tracia. Ora ascolta, o Conte, disse l' Ethiopo, intentamente da qual cagione venne la caduta della terra, e la rovina del lignaggio humano. Gli huomini d' Assiria sappiendo tutte le cose, e per lo mezzo della sapienza operando le maraviglie, si compiacquero di ciò troppo più là, che non era dovere. Da questo piacimento, nacque in loro un fiero amore di se stessi. Dalla cui passione adombrato a poco a poco il fiore della sapienza loro, e diviata la ragione dalla sua dirittura, insuperbirono, et cominciarono tra loro a credersi d' essere Dei, et quindi a pareggiarsi con Saturno, il quale allhora havea il reggimento di tutto il mondo. Il quale, si come è tardo all' ira e maturo di consiglio, da principio non si commosse in niente. Ma andando inanzi la color superbia, e l' orgoglio, adiratosi egli fieramente privogli de gl' influssi della sua mente, co' quali egli li tenia satolli di purissimo intelletto. Da questa privazione crebbe in loro l' ignoranza e da lei l' orgoglio, et l' insolenza. Et cominciarono a cercar modo di salire in cielo, et levarnelo di governo. Il che veggendo Saturno, et per la troppa sapienza sua non li volendo bruttar le mani di sangue humano, da se stesso rinunciò al governo, et diello in mano a Giove, suo primogenito figliuolo. Il quale, preso il trono del mondo, e nato all' attione; fatto lega con Plutone suo fratello, il quale reggeva le radici del mondo, verso il centro, cominciò l' un di sotto a scuotere, et a crollare horribilmente le radici; e l' altro, a fulminar di sopra. Col quale orrendo crollamento, e fulminamento, aprendo in molti luoghi la terra e rompendola, ella cadde tutta nelle proprie caverne di sotto, et se medesima assorse, e riempì. Da che avvenne che ella, e minor divenne, et s' allontanò per infinito spatio dal Cielo, e sepellì se in se stessa, e tutte le cose, che erano dentro a lei. Et gli elementi, che più si trovaron alti, furono dal peso di lei, e dal ristringimento delle parti, spremuti fuora, e secondo che più ciascuno era leggiero, et puro, volò più in alto, e più al Cielo s' avvicinò. Ma quelle parti di loro, alle quali fu chiusa l' uscita dalle ruine; che occuparono le caverne, si rimisero sotto, tale nelle medesime caverne prime, e tale anco mutò luogo. Et è avvenuto, che dove maggior mole di terreno cadde, e non

brevis est in Æthiopiam ac Ægyptum gradus. Itaque quum hos Græci cognoverunt, lingua, moribus, imperio, reli-

e non poteo esser dalle caverne inghiottito, rimase eminente, e poi calcato dal suo proprio peso, e dal freddo, per la lontananza del cielo, è condensato, e sasso divenuto. Et dove nel cadere avvallarono le gran moli della spezzata terra, rimasero da lei scoperte l'acque, onde sono i mari, i laghi, i fiumi, e i fonti, e le grandi, e le piccole isole, e gli scogli sparsi per lo ampio mare. Et i metalli, l'oro, l'argento, e gli altri, che erano nel primo tempo, alberi bellissimi, et preciosissimi, rimasero dalla ruina ricoperti. Ma da semi, allhora decussi, sono rimasi questi, che con tanta opera si cavano, nè così puri, nè di tanta virtù. Et i diamanti, i carbonchi, i rubini, gli smeraldi, i crisoliti, i zaffiri, i topazi, i berilli, e l'altre gioie, che hor si trovano, sono spezzature delle pietre, del primo secolo, le quali d'altra maniera non erano allhora, essendo tutto il resto della terra eguale, et a se stesso simile. Et sono elle, per la memoria di quella prima età, hoggidì avute in tanto pregio; e come antichissime cose, ammirate, e riverite. I porfidi, gli alabastri, le serpentine, e gli altri bei marmi, di vaghi colori distinti, non sono altra cosa, chè più particelle del primo vergine terreno, che fu più vicino al cielo, et nella caduta venute a caso insieme, et dal peso o proprio, o d'altra mole, et dal freddo fatte dense, et unite. E quindi è che dagl' investigatori de metalli e de marmi, si son trovate di molte cose della primiera vita fatte pietra, et anima, marini, e terrestri, et volatili, et anco humani, che tutto dì si cavano, et molte volte della prima forma, chiusi in sodissime pietre, non aventi apritura alcuna. Et quindi è, et non d'altronde, che si veggano molte miglia fra terra, et sotto, pesci, et ostrache, et nichi congelati; et figure di animali diversi, che altri per la ignoranza delle passate cose tanto ammira. Queste cose dunque così horribili avvennero a que' tempi, nelle parti della terra, ma gli animali, et gli huomini, che si trovarono habitatori delle spelonche, tutti rimasero dalla terra in se cadente, ricoperti, et morti. Et di quelli, che habitarono nelle parti di fuori, per lo horrendo scotimento di sotto, et pel terribile fragor di sopra, et per lo crollar, che fecero all' ingiù, per gran numero di miglia, infinite migliaja ne morirono di spavento, et fra gli altri, tutti gli Assirii. Per gli altri paesi radissimi restarono in vita, a' quali le saette di Giove lontan ferirono; più; perchè pur restasse alcun vestigio, della primiera forma del mondo, che per altra cagione. Et questi stessi, rimasero, et per la caduta, et per lo spavento preso, per molti giorni tramortiti, et senza polsi. Ma poi, che rivenuti furono, essi rimasero per sempre storditi, et pieni di horrendo timore. Il quale, et a loro accortò la vita, di lunghissima, che essi la viveano prima, et a' figliuoli, che di loro si generarono. Percioechè essi, prima di purissima terra generati, et pieni di purissimo ethere, viveano molte migliaja d'anni robusti, et sani. Ma dopo la gran disaventura, secondo che essi s'incontravano per lo mondo, così s'abbraciavano, et si metteano insieme, sì per dolcezza della memoria della passata loro felicità, et sì per lo timore preso, parendo loro, che più sicuri stessero tra 'l proprio lignaggio, che se si fossero con altra specie mescolati. Nelle quali tutte era parimente lo spavento entrato. Et tali spinsero in disperazione: et per-

religione in plerisque omnibus affines Arabibus repererunt. Plures habuere deos, dæmones, vetustos reges, idola.

B 2 Astra

perciò arrabbiarono, in offesa de stranieri. Il perchè ognuno si procacciò allhora il meglio che potè, per la diffesa di se stesso. Et allhora nacque in tutti desiderio di prole; procurandosi ogniuno ajuto di se medesimo, et delle proprie membra. Passò poi per heredità ne' figliuoli la brevità medesima dell' età, et il medesimo continuo spavento. Il quale è la vera radice di tutti i mali, et di tutti gl' infortunij a tutti gli animali. Ma più, ch' in altri, rimase ne gli huomini lo spavento doppio, et da gli animali, et da se stessi. Il chè a ragion avenne, poscia che l' error del suo lignaggio haveva l'infelicità portato sopra tutti gli altri lignaggi de' viventi. In vendetta della quale, et gli altri animai arrabbiarono contro di lui; et egli stesso, rodendosi del proprio errore. Passò anche ne gli huomini uno stordimento, che gli arrecò l' ignoranza di tutte le cose, presa dall' intronamento della caduta de primi loro padri. Et se pure par loro di vedere alcuna cosa, la veggono essi per oltre a un denso velo: et di vere, che i primi padri, le conosceano, le conoscono essi adombrate di color di vero. Et se pure alcuno ve n' ha, dopo la caduta, avuto, il quale per alcun caso, alcuna vera n' abbia conosciuto, il timore la gli ha fatto tacere. Essendo che in tutti è naturalmente restata una memoria, la cognizione del vero essere stata cagione dell' orgoglio de' padri; et questo della ruina. Et se pure alcuno ha havuto ardimento di palesarlo, per non ne essere da gli altri sgridato, biasimato, o acerbamente punito, per timore che per la scoperta del vero, maggiore infelicità loro non cagionasse; l' ha con mille modi ricoperto. Et quindi sono le scienze insegnate in enimmi, in favole, in figure, in numeri, in sacrarii, sotto silentio, et in mille altri nascosti modi. Et quindi è parimente che i Principi, et gli altri, c' hanno voluto poter molto al mondo, hanno seguito la credenza de gli huomini volgari, sappiendo elle essere lontanissime dal vero, et dal periglio. Et per lo contrario hanno perseguitato con ogni maniera d' afflittione, et mortalmente odiato coloro, c' hanno voluto dir vero in qual si voglia picciola cosa. Essendo adunque rimaso in tutti gli huomini lo spavento, et da questo dispersi quelli, che erano rimasi dalla caduta, cominciatisi a porre insieme, et a generar figliuoli, per proprio ajuto: quegli che prima si trovarono insieme, et quivi figliuolarono, per difesa propria, et de loro ajuti nati, si circondarono di siepi, et di fratte, chiudendosi quasi in una mandra. Nel qual tempo riverirono, et prestarono obedienza al più vecchio, si come a quello, che più s'appressava a'tempi della primiera felicità, la quale essi indarno bramando, honoravano. Et furono i voleri del più antico, quasi leggi inviolabili, a tutti i discendenti. Crebbe poi il numero de' figliuoli, et a poco a poco de' nipoti, et de' descendenti, et s' allontanarono tra loro i sangui: et si divisero le robe, che communi erano state, et si partì l' amore. Dal diminuimento de' quali entrò ne gli animi humani maggiore il timore del proprio disfaccimento o per mancamento delle necessarie cose, o per l' offese altrui fatte per forza, o per inganno. Et da questo timore cominciarono con la scarsità; et poi con la sordidezza ad accumulare robba. Et si trovò il danajo per prolungarsi con lui la speranza della vita. Et da questa speranza, rinforzandosi il timor primiero, et questo introducendo

con

Aſtra, ac ſeptem in primis planetas coluerunt, hiſque ſeptem poſuere templa. Pecuariam, agriculturam, com-

con eſſo ſeco il ſuo contrario, la ſicurtà, e l' audacia, ſi cominciò con gl' inganni, con le ingiurie, et con la forza a prevenirle: et a procacciarſi, di fuggire, con la ruina altrui, la propria. Et quindi, ſi miſero le coſe tutte in confuſo, occupando ciaſcuno l' altrui rubando, ingannando, et uccidendo, et adoprando l' ingegno, per miniſtro dell'audacia, et delle ſceleratezze, inventando al continuo di nuove arti, et nuove machinationi, per opprimere il compagno. Et da queſto creſcendo ſempre più l' audacia in quegli, che più arditi, et più ingegnoſi a' danni altrui erano: e ne i meno creſcendo la paura, ſi reſtrinſero in uno i pauroſi; et aguzzando loro l' ingegno la temenza, conſigliatiſi inſieme, inventarono il nome della pace, et della giuſtizia, et tanto fecero, prevalendo tutti inſieme alla forza de' pochi audaci, che le introduſſero nelle compagnie loro, et nelle città, et edificarono loro tempj, et altari, quaſi foſſero Dei, ſtatuendo loro honori divini, et ſacrifici, et ſacerdoti. Teſſerono appreſſo molte, e lunghe catene di parole, con le quali legando la giuſtizia, et la pace, per gli piedi, per le braccia, et pel traverſo, et per lo collo, in mille guiſe annodandole andarono, acciochè elle delle loro città non dipartiſſero, raccomandando i capi delle catene, che eſſi addimandarono leggi, in mano ad huomini del loro animo, et pauroſi, i quali nominarono giudici, et magiſtrati. Si perchè eſſi ſentiſſero, ſe quelle Dee, ſi come di vento fatte, et leggiere, voleſſero fuggirſi, et le riteneſſero: et ſi perchè, ſe ardiſſero gli audaci di ſchernirle, o di batterle, reſtaſſero preſi da naſcoſti lacciuoli delle catene, teſi per tutti i canti della città, et de' tempj, e come offenditori della comune religione, caſtigati. Con queſti artifici adunque, providero i pauroſi alla vita, et a' beni loro, contra l' ingiuria de' più potenti. Et aſſicuratiſi, volſero l' animo alla vendetta, et dieronſi a chiamare, hor quello audace avanti a' giudici lor conſorti, et sì gli accuſavano de gli oltraggi per lo paſſato ricevuti, dimandandogli alla pena. Di che coloro riſentendoſi, et ſollevandoſi, et facendo empito, contra a' tenitori delle catene, et ammazzandone, et iſcacciandone le ſi prendeano. Et co' medeſimi artifici de' pauroſi, et con altrui di forza, et d' ingegno ſi vendicavano: et ſi tenian per loro gli utili, et l' ingiurie. Fino a tanto che trovatoſi un di loro audaciſſimo, et accompagnatoſi co' pauroſi, et debili, et di tutti fatta una forza, ſcacciati i compagni, ſtabilì ſe per padrone de gli altri. Queſti fu anche ſpinto *di luogo*. Et così andarono fino a que' tempi le compagnie degli huomini, et vanno di preſente, et anderanno per l' avvenire valicando ſempre, et mutandoſi, et paſſando d' una in altra mano. Et allhora, che i pauroſi ſi riſtrinſero inſieme per ritrovar riparo contra i più potenti, nacque il favellatore di conſiglio. Et quando li chiamarono in giudizio, nacque il favellatore di giudizio. Queſta è adunque o Patricio pien di ſtupore, la grande hiſtoria, che al Conte mio raccontò il ſavio Abiſſino, degna di altiſſimo ſtupore, d' ogni alta mente. *Quivis, quin ego moneam, ipſe per ſe intelligeret, hæc ad Heſiodearum fabellarum modum a Patritio ipſo eſſe conficta. Sed habent tamen neſcio quid ſimilis Burnetiano telluris ſyſtemati.*

commercium exercuere, ac his quoque temporibus exercent: quæ culti populi sunt argumenta. Arabum lingua antiquissima, si quæ aliqua est, magnæque energiæ. Si tam ea dives iis fuit temporibus, tamquam elegans, quam superioribus sæculis, florente Arabum Muhammedanorum imperio, longe Phœniciam, Siriamque vicit, ac Græcam exæquavit. Id vero sine magno imperio, ac scientiis, & commercio nulli adhuc populo contigit. Sed scientiarum veterum Arabum nullæ supersunt reliquiæ. Quod ad rem nostram attinet, supremam mundi causam, quam *Allah taabla* vocant, agnovere, ac coluere Arabes: ingenitam, immortalem; ab eaque esse omnia (1). Ita mundi origines apud omnes veteres peræque sacræ.

§. VII.

Ægyptiorum Physologia.

VEntum est ad Ægyptios. Antiquissimam eam esse gentem, & litteris, artibus, politia olim florentissimam gravissimi tradunt auctores. Bochartus Chamum facit Ægyptiorum parentem (2). Ergo ut tantam Ægyptiorum antiqui-

(1) *Pocock not. ad spec. hist. Arab.* „ Sed nullum præclarius e„ jus rei testimonium, quam „ quod ex libro Jobi petitur. Jo„ bus, ejusque amici Arabes fue„ re, nemine hucusque nisi inscite „ dubitante. Liber, etsi hebraice „ scriptus, antiquissimus tamen „ est; adeo ut ei vix ulla ethnica „ scripta supparia sint. Demus „ huic libro non aliam nunc au„ ctoritatem, quam quæ vetustis „ gentium historicis tribuitur: at„ que non modo primam mundi „ causam Arabibus antiquissime „ cognitam, sed unam præterea, „ providentissimam, potentissimam, „ optimam, indubio constabit ar„ gumento. Hujus gentis vetus „ unius divinitatis fides magnope„ re hoc confirmare potest, pri„ mum antiquissimorum mortalium „ cultum, unum eumdemque fuis„ se: unum Deum, solaque men„ te veteres illi colebant. Poly„ theismus igitur longe mundi pri„ mordiis posterior est. Nam A„ rabes gens ab origine sua ad æ„ tatem ferme nostram, ut vicinis „ cognita, intacta tamen fuit, sui „ juris, nullisque exoticis unquam „ paruit, ut antiquos mores diu„ turnius servare debuerit. Quip„ pe Æthiopes, Ægyptiique bel„ licis expeditionibus citius depra„ vari cœpere: Græci e veterum „ colluvione nati.

(2) Idque duobus maximo argumentis. I. Quod in sacris Hebræorum litteris 1. *Paralip.* IV. v. 40. *& alibi*, Ægyptus vocetur terra Cham. II. Quod ipsi ethnici scri-

tiquitatem abnuo, ita ferre eos nequeo, qui eorum litterarias res ad cælum evehunt. Diodorus Siculus (*a*) omnem Asiæ litteraturam, astronomiæ potissimum scientiam, ab Ægyptiis repetit, quorum vult colonias esse non Græcas tantum plures, quod vacat controversia, sed plerasque etiam Asiaticas nationes; in quo ignoratione temporum, populorumque originum hallucinatur: historia enim mosaica, quæ pluribus ex caussis ethnicis omnibus est præferenda, ex Asia aliarum nationum omnium originem deducit. Sed & geometria, cujus Ægyptios inventores faciunt Herodotus *in Euterpe*, Plato *in Phaedro*, Diodorus (*b*), Strabo (*c*), Laertius *in prooemio*, Jamblicus (*d*), vulgaris & puerilis fuisse ante græcos philosophos reperitur. Siquidem Pythagoras, qui apud Ægyptios diu fuerat peregrinatus, quum excogitasset demonstrationem propositionis euclideæ XXXXVII. libri primi, hecatombem; Thales vero inventa circuli & trianguli *adscriptione*, vel *inscriptione* gaudio emotus diis bovem immolasse fertur apud Laertium. Quæ inventa, & ob talia inventa gestientes hujusmodi lætitiæ satis aperte demonstrant nedum apud Ægyptios, sed apud Græcos ipsos Pythagoræ & Thaletis tempore puerilem & adhuc in cunabulis fuisse geometriam. Idem dicendum de Ægyptiorum astronomia. Nempe quædam cæli phænomena observabant Ægyptii, & Chaldæi, sed observatu faciliora, & quæ hodie agrestes ipsi pagani, nau-

(a) *Lib.* 1.
(b) *Lib.* 1.
(c) *Lib.* 16. & 17.
(d) *De vita Pyth.*

scriptores Hammoniam Ægyptum appellent, in sacris vero Isidis χαμια dicatur, auctore Plutarcho *de Iside & Osiride*. At, ut eidem Bocharto observatum, quum vocabulum Cham *calidum & nigrum* significare possit, cur non hinc potius Ægyptus Chami terra dici potuit? Sed cultus est in Africa Cham sub Jovis Hammonis simulacro; id quidem video placere multis. At non æque video cur in posteris Noachi esse alius non potuerit, qui & ipse Cham diceretur; aut Chami posteros qui in Africam devenerunt, communis parentis memoriam, relato inter Deos Chamo, colere non potuisse. Cur autem sic puto ea est ratio, quod migrationes populorum tam antiquas non habeam, quam isti volunt: & primos illos mortales Noach, Sem, Cham, Japhet, tam cito, nullaque cogente necessitate eas terras deseruisse, quas primum incoluerant, & in quas vacuas venerant, non admodum simile vero putaverim.

nautæque animadvertunt. Fixarum quarumdam ortus & occasus, errantium periodos & revolutiones vestigabant, iisque pro calendario, agricultura, arte genethliaca utebantur. At planetarum theorias, astronomiæ partem maxime operosam nec Chaldæi umquam, nec Ægyptii intellexerunt aut attigerunt (*a*), quarum rerum Græci ipsi, etiam cum literis maxime superbirent, vix partem crassiorem attigere. Sane veteres magna consensione tradiderunt, Thaletem primum fuisse, qui eclypses prædixerit (*b*). Tantum in astronomia Ægyptii & Chaldæi profecerant! Ac profecto quum & essent in geometria, aliisque mathematicis imperiti, & nondum telescopiorum usus invaluisset, qui poterant in eas res ingenio penetrare, quas recentes astronomi tot auxiliis stipati abstrusissimas esse fatentur? Hoc acute perviderunt, si fides Proclo habenda (*c*), lunam esse *αιθέριαν χθονα ætheream tellurem*, & *αςέρας πυρ*, *stellas ignem*, quod verum est, fuitque orientis nationibus commune, indeque fortasse ad Thraces, Græcosque permanavit.

De origine autem mundi sic censuisse Ægyptios, discimus ex Laertio in procemio. Materiam universi corporei fundamentum esse *ὕλην molem confusam*. Ex hac discreta quatuor *στοιχεῖα elementa*, & præterea animantia perfecta. Sed præstat hac de re audire Diodorum in primo sic disserentem ex Ægyptiorum sententia. *Quum primum res universæ exsistere cœperunt, unius vultus* (*) *fuisse cælum & terram, permixta eorum natura. Postquam discessissent a se ista corpora, mundo contigisse eum, quem nunc videmus, ordinem: aerem autem perpetui motus factum compotem. Hujus quod maxime erat igneum ad sublimia loca evectum, quippe quum sursum tendat ob levitatem talis naturæ: eademque de causa solem & ceteram siderum multitudinem mansisse in perenni vertigine; quod vero cænosum ac turbidum cum humida concretione imo subsedisse in loco, vi gravi-*

(a) *Burnet. in Arch. lib.* 1. *cap.* 13.

(b) *Laert. in Thal. Cic. de divinat. lib.* 1. *Plin. lib.* 2. *cap.* 13.

(c) *In Tim. lib.* 1.

(*) *ἰδέαν adspectum, faciem*, quidquid ex universo cernitur, *vultum* vertit Grotius Ovidium imitatus. *Ante mare & terras, & quod tegit omnia cælum. Unus erat toto naturæ vultus in orbe.*

gravitatis. Sed hoc quoque cum volutaretur in se versareturque perpetuo, ex humidis mare, ex solidioribus edidisse terram, sed cœnosam mollemque valde. Hanc vero, ut primum, qui soli adest ignis, collucere cœpit, incaluisse; tum vero quum fermentaretur summa facies intumuisse pluribus in locis humentia, atque iis tuberculos extitisse tenuibus pelliculis circumdatos. Quod etiam nunc in stagnis locisque uliginosis fieri conspicitur, ubi post refrigeratum solum, subito incalescit aer, non autem paullatim immutatur. Quumque ad eum modum ex calore fœta impleta essent quæ madebant, iis fœtibus advenisse alimentum noctibus ex circumfusa nebula, diebus vero eos ab æstu solidatos. Postremo quum ad sui plenitudinem venissent ii fetus, perustaque, atque ita rupta essent membranarum involucra, enatas apparuisse omnimodas animantium formas. Horum alia plurimum sortita caloris ad loca supera abiisse, facta volucria: & quæ terrestri crassitie essent prædita, ea in reptilium & aliorum humi viventium posita classe. At quæ de humente natura traherent plurimum, ea quoque ad locum perlata cognatum sibi, dicique natantia. At tellurem, quum & ab æstu solis & a ventis magis magisque induruisset, ad postremum non suffecisse gignendis majoribus animantium; sed ea ex mutuo coitu cœpisse gigni. Videtur ab his, quæ dicta sunt, nec Euripides dissentire, qui Anaxagoræ Physici discipulus fuit. Nam is in Menalippe sic loquitur,

Figura ut una fuerit, & cœli & soli:
Secreta quæ mox ut receperunt statum,
Cuncta ediderunt hæc in oras luminis,
Feras, volucres, arbores, ponti gregem,
Homines quoque ipsos....

De prima igitur rerum origine (ex Ægyptiorum sententia) talia sunt quæ accepimus. Qui Diodori locus (nisi is ex græco genio finxit) ostendit mechanicam phisopohandi rationem non penitus fuisse veteribus ignotam.

Hæc autem Diodori narratio huc redit. 1. Extitisse chaos quoddam primogenium: 2. Deinde vi motus partes universi singulas locum suum accepisse ita, ut virtute mechanica ignis sublimem locum, terrâ infimum, media corpora medium obtinerent: 3. Animantia omnia ex molli adhuc tellure nata, & adaptata locis, in quibus nascebantur.

Sed

Sed iidem Ægyptii, ut tradit Laertius, addebant, mundum hunc, ut mechanice ortus est, ita fore interiturum idque, aut combustione, aucto ignis calore, aut inundatione, exscrescentibus aquis. Nulla in hac narratione alterius activi principii fit mentio, præterquam motus. Sed fortassis Diodorus, ut physicorum est mos, explicatis rebus mechanice, non putaverit fieri oportere mentionem divinitatis. Nam alioquin constat Ægyptios suum *Chneph* veluti supremum numen ovum ore tenens, quod esset mundi symbolum, depinxisse. Non recte igitur Eusebius atheismi hanc Ægyptiorum cosmogoniam accusare videtur.

Illud verum est, primos, qui avitam veterum mortalium religionem corrupisse videntur, primum Dei symbolis, mox deorum, dearumque commentis, signisque, fuisse Ægyptios. Tota certe græca mythologia, quam Homerus, Hesiodusque tam docte cecinere, Ægyptiaca est (1) ab Orphæo ac Cecrope invecta. Inde igitur arcessenda sunt prima græcanicæ thelogiæ stamina, quæ deinde philosophi, cum utut palam absurda ejurare non auderent, cum physica copulavere, præsertim Platonici, atque utramque sententiam fœdaverunt. Vide auctorem anglici operis *Enquiry intolife and writings of Homer*. Interea, quod perspecte animadvertit Moshemius, non is, qui non omnia de Deo, atque adversus illum pietate, ex veri virgula sentit, statim cum Atheis est ablegandus; nisi si historiam atheismi in immensum augere velimus.

§. VIII.

(1) Unus apud Ægyptios artium omnium & disciplinarum inventor audit Mercurius, quem *Trismegistum*, idest ter magnum vocant. Quis autem fuerit Mercurius iste, quando vixerit, quid scripserit, quæ fuerint ejus columnæ, ad quas legendas tanta aviditate peregrinabantur Græci, contendunt philologi, & lis adhuc sub judice est. Consulatur Burnetius in *Archeol.* loc. cit. Hermannus Conringius lib. I. *de Hermetica Medicina*, Ursinus *de Hermete Bruck.* &c. Narrat Jamblicus a Mercurio scriptas duas Myriades voluminum: Manetho vero (uterque apud Eusebium in primò *Præparationis*), sex Chiliades, quingentas, & viginti quinque supra tres Myriades. Ex hoc autem viri quidam eruditi conjiciciunt numquam extitisse Mercurium, scriptaque omnia, aut pleraque Ægyptiorum Secerdotum, ut majori in honore haberentur, majorisque essent auctoritatis, sub Mercurii nomine vulgata. Nam quod contendit Huetius, Mercurium eumdem fuisse atque Mosem, & Mercurii columnas mosaicam doctrinam continuisse, id quale sit viderint alii.

§. VIII.

Phœnicum Physiologia.

SUccedant his Phœnices populi perantiqui ad imam oram maris mediterranei siti. Hæc gens adeo litterarum fama percrebuit, ut apud plurimos vulgatum fuerit, litteras a pœnicibus inventas, ut tradit Plinius. Numeros etiam invenisse dicuntur, tum & astronomiam, seu sideralem scientiam: ad hæc nauticam, & nova per oceanum itinera, quæ apud Herodotum & Diodorum descripta habes. Omnimodæ tandem philosophiæ peritos Pœnices facit Strabo (*a*). Sed ut veterum aliorum philosophorum, qui Græcos præcesserunt, ita Phœnicum nihil ad nos distincti pervenit præter fragmenta quædam Sanchoniathonis Berytii, qui ante Trojana tempora vixisse dicitur, quæ tamen viri docti plurimi in dubium revocarunt (1). Ea in ordinem digessit Cumberlandus, com-

(a) *Geogr.* 4.

(1) Viri, ut dixi, plurimi, iique doctrina conspicui imposturam aliquam hac in re subodorantur. Et primum quidem, quod ad ætatem hominis istius pertinet, fabulosum id esse plurimis argumentis demonstrare studuit Antonius Vandalius in *Dissert.* super *Sanchoniathone*. At novem illos Sanchoniathonis libros non a Philone Bibliensi versos ex phœnicia lingua, sed confictos; aut certe a posteriore alio Græculo saburratos suspicatus est Joannes Henricus Ursinus *de Zoroastre*, *Hermete*, *&* *Sanchoniathone*. Henricus vero Dodwellus duas an. 1691. edidit epistolas anglicana lingua, in quibus id ex instituto aggressus est demonstrare, Sanchoniathonis illa omnia primum a Philone Biblio conficta, dehinc ab aliis nullo judicio, ut erant bona ex parte antiqui, adoptata. Richardus Simonius, quo nemo his in rebus nasutior, circa tempora Porphyrii Historiam Sanchoniathonis consutam conjicit *in Biblioth. crit. tom.* 1. *cap.* 1x. Quod tamen minus verum videtur: quandoquidem Athenæus *lib.* 3. *cap.* 36. *Dipnos.*, qui integro ferme seculo est Porphyrio antiquior, *Moschi* simul meminit, & Souniethonis phœnicum scriptorum: *peregrinus autem sit oportet* (inquit eum in locum Casaubonus) *in Republ. literaria, qui neget pro* Σουνιαιθωνι *scribendum esse* Σαγχωνιαθωνι. Mitto quod addit ibidem Casaubonus, ejusdem Sanchoniathonis & Philonem Judæum, & Josephum meminisse: *in quo*, inquit Fabricius, *proculdubio memoria excidit*. Gratum saltem fecisset, si Philonis, & Josephi loca indigitasset. Ipse vero Albertus Fabricius *Biblioth. Græc. lib.* 1. xxviii. §. 3. variis prolatis opinionibus, rem, ut mihi videtur, in medium relinquit; at in partem negantem inclinat, Buddei judicio. Ego in fragmentis Sanchoniathonis platonismi vestigia deprehendi, non nego: at id satis non est, ut de libri genui-

commentariisque illustravit. Ex his fragmentis hæc de rerum *origine* & *constitutione* Phœnicum fuisse videtur doctrina. 1. Universo huic præexstitisse *chaos turbidum*, *seu aerem tenebrosum*, idque per infinitum prope tempus. 2. Chao πνευμα *spiritum*, quem *vim genitalem* interpretatur Grotius (a) præsedisse. 3. Hunc *spiritum* tandem aliquando captum amore των ιδιων αρχων (*principiorum suorum*, an mentium? idque platonicως, ut videtur, seu id Sanchoniatho, seu Philo excogitaverit) arctius se chao immiscuisse, eamque commistionem vocatam *cupidinem*. 4. Ex hoc conjugio natum Μωτ) mosaicum abyssum exposuit Grotius), seu materiam quamdam paullo corpulentiorem, licet mollem. 5. Hinc tandem factum rerum omnium seminarium. Atque hunc in modum locus ille (b) ab Eusebio prolatus coagmentandus & explicandus videtur; si auctorem sibi constare velimus. Apparet autem hinc 1. materiam universi statui fluidam & tenebricosam, 2. *Principium* seu causam poni naturam non genitalem solum, sed & intelligentem, uti ex vocubulis ιδιων αρχων liquidum est: quæcumque enim sint αρχαι illæ certe mentes & intelligentiæ esse debent. Itaque & hic Zoroastrianum aliquid videre licet. Non jure igitur Eusebius & hanc

(a) *De verit. relig. christ. lib.* 1.
(b) *Lib.* 1. *præpar. cap.* 10.

nuinitate dubitemus; potuit enim id ab interprete Philone proficisci: aut potuit Plato ex Pytagoræ fontibus accipere, quæ ille ab orientalibus doctus erat. Sed illud me magis commovet, quod dicam. Scripsit Philo iste Bibliensis, ut ex Suida recte conjicit Vossius, circa primi seculi finem, quo tempore Ethnicorum religio eam maxime ob rationem contemtui esse cœperat, quod deorum pluralitatem inducebat. Ethnici philosophi, ut caussam suam honestius defenderent, tantam deorum, dearumque copiam ad physicas revocabant caussas, & allegorias esse naturalium rerum docebant, Stoicorum potissimum & Epicureorum exemplo. At Philo id videtur indignatus, quantum ex ejus præfatione in libres Sanchoniathonis, quem retulit Eusebius, patet; eamque ob rem ait in eadem præfat. se vertere voluisse Sanchoniathonis libros, ut avitam sustineret religionem, demonstraretque tanti theologi auctoritate, tot deos virtutis merito factos. At at: hinc illæ lacrumæ! Nam alioquin scimus Ethnicos alios in eumdem finem plura alia commentos. Sola Apollonii Thianæi vita a Philostrato scripta id evincit: nam ab ipso initio vel crassiora ingenia Christi simiam Philostratum agere voluisse facile olfecerint: somnium divinum matris Apollonii: partus in campestri loco: olores concinentes, & trecenta alia. Sed hæc de Sanchoniatone talia sunt, ut ea neque negare, neque affirmare sit animus.

hanc Phœnicum cosmogoniam atheismi insimulat, quasi a mundi creatione omnem supremæ mentis curam exclusērint. Rectius Grotius vestigia quædam mosaicæ doctrinæ in ea narratione agnoscit (*a*).

Sed & illud non est tacendum, doctrinam *atomorum*, quam Leucippus, Democritus, Epicurus tam celebrem effecerunt, Phœniciis plurimos tribuere. Strabo enim (*b*), & Sextus Empiricus (*c*) Moscum quemdam Phœnicium (Mochum alii legendum utrobique putant) qui ante Trojæ excidium vixisse creditur, doctrinæ atomorum inventorem faciunt. Ex instituto hac de re prolixe disputat Radulphus Cudworthus sub initium *systematis intellectualis, universi*, ibique vir elegantissimi & acerrimi judicii Moshemius. Non vacat horum disputationem aut describere, aut colligere. Duo addo. 1. Hæc narratio unius Posidonii fide nititur, de qua nonnihil addubitare videntur Strabo, & Sextus: re enim enarrata uterque addit, εἰ δὲ δεῖ Ποσειδωνίῳ πιστεῦσαι *si Posidonio credere oportet:* quod acute observatum Burnetio (*d*). Alterum idem observat Burnetius: *non mihi videtur*, inquit, *indolem antiquissimorum temporum referre iste modus philosophandi per hypotheses, & systemata, quem modum ab introductis atomis sequebantur philosophi. Hæc græcanica sunt, ut par est credere, & sequioris ævi*, Quamquam non video cur aut Phœnices Græcis habendi sint agrestiores, quando constat humanitatem a Phœniciis venisse ad Græcos; aut admittendæ sint hypotheses & systemata, statim ac quis atomos corporearum rerum esse elementa dixerit. Quin systema mundi platonicum, quo nihil est elaboratius, Persicum est ac antquissimum, quod Pythagoras præsertim per Græciam disseminandum curavit. Qua de re dicemus inferius in dissertatione *de origine malorum*. Quod vero Huetius (*e*) contendit Moschum hunc eumdem fuisse ac Mosem *argumentis id facit tam infirmis*, inquit Buddeus (*f*), *ut paucos in sententiam istam sit pertracturus*.

§. IX.

(a) *De verit. relig. christ. lib.* 1. §. 15. *adnot.* 2.
(b) 16. *Geog.*
(c) *Lib.* 1. *adv. physic.*
(d) *I Archeol. pag.* 360.
(e) *Dem. Evan. pr.* 6.
(f) *Hist. Phil. cap.* 3. *ad* §. 14.

§. IX.

Thracum doctrina de rerum corporearum origine.

Litterarum Thracum auctorem magna consensione veteres faciunt Orpheum (1). Is rerum originem eodem ferme explicavit modo, quo recensiti alii, ut pulchrum sit videre totam antiquitatem in uno hoc mirifice convenisse, ex chao primum orta omnia, idque vi Dei: siquidem id omnium veterum nationum consensu constat: qua constante, etiam inter Americæ populos, traditione, super facto, cujus primi telluris incolæ plurimis signis certi esse poterant, nihil ego fortius ad hoc dogma contra atheos ac pantheistas statuendum esse censeo. (2) Æthe-

(1) Hunc ante bellum Trojanum, & quidem μια γενεα *una generatione* vixisse, ex antiquiorum traditione Græcorum scribit Theodoretus (*de Græc. affec. curat. serm.* 2.). Tradit Diodorus Siculus libro quarto in Ægypto omnem pene suam physiologiam, & theologiam Orpheum didicisse, quod confirmare nititur Burnetius (*Arch lib.* 1. *cap.* IX.), ut nempe statuat Ægyptiorum Mercurii, Phœnicum Sanchoniathonis, Orphei Thracum cosmogoniam unam eamdemque esse; quippe & ab Ægyptiis Sanchoniathonem sua omnia accepisse scribit Philo apud Eusebium. Sed si ullus unquam fuit Orpheus, vero est proximius, ejus physiologiam atque theologiam ab Oriente potius profectam, unde originem duxisse Thraces pluribus demonstrat vir doctissimus Paullus Pezronius *de origine Gallorum*. Sane Thracum quæ fertur de universo doctrina cum orientali convenit. Dixi autem, si ullus unquam fuit Orpheus; quoniam non abhorret a vero, uti Ægyptios sacerdotes sub Hermetis nomine, ita Traces sub Orphei sua vulgasse. Revera si vera sunt, quæ Suida scribit, vix ullus certus est Orphei liber: quin ne valde quidem antiqui, sed Pythagoreorum ferme omnes & Platonicorum. Vide & Clem. Alexand. Strom. 1. Jam negat Aristoteles (*apud Tull. lib.* 1. *de nat. Deor.*) ullum fuisse Orpheum, esseque id nomen fabulosum censet, cui & Dionysius quidam a Suida laudatus, & Androtion apud Ælianum *var. hist. lib.* VIII. *cap.* 6.) & Gerardus Vossius (*de Arte Poetic. cap.* XIII.) adstipulantur. At Vossio præsertim irascitur Burnetius; hic quippe tale in Orpheo cosmologiæ suæ præsidium reperisse sibi visus est, ut audacter scripserit in Archæologiis *lib.* 1. *cap.* 9. *Hunc, si ab umbris repocare liceret, ut ille olim suam Euridicem, ad probandam doctrinam nostram circa rerum origines unus valeret multos testes*. Legatur de hac eadem re Andreas Christianus Eschembachius in *Epigene de Poesi Orphica*.

(2) Postquam hæc essent sæpe edita venere ad manus Bolingbrockii opera philosophica, in cujus v. tomo duæ exstant super hac re dissertationes. Nemo illo nec doctius, nec acutius, nec gravius hoc argumentum pertractavit, demonstravitque vel obstipis mundum aliquando cœpisse, esseque eam certissimam existentiæ Dei demonstrationem. Sed nihil illi causæ esse debuit, cur in Mosaicam historiam, totamque revelatam religionem impotenter debaccharetur, suumque opus in invidiam adduceret.

Æthera & *chaos* pro universi *initiis* habuisse Orpheum scribit Suidas, voce ορφ. sed quæ tamen a Deo essent facta. Primus præterea Orpheus fuisse dicitur, qui lunam & reliquas stellas perinde ac terram nostram incoli & habitari docuerit. Certe in Orphicis hoc dogma olim lectitatum testatur Plutarchus (*a*), & ex eo (*b*) Eusebius. Hinc fortassis idem hauserunt Anaximanes, Anaxagoras, Aristarchus, Democritus, aliique veterum Græcorum plures, ut discere possimus, non esse hanc recentiorum tantum astronomorum opinionem, sed cum mundo ipso fortassis natam; qua profecto nihil est validius ad immensam Dei sapientiam, potentiam, bonitatem intelligendam. De luna Orpheus, apud Proclum in Timæum, hæc habet,

Η πολλ' ουρ', εχει, πολλ' αστεα, πολλα μελαθρα.

Hæc montes habet, ac urbes, adesque superbas.

Conjungi possunt cum Orpheo Linus (1) & Musæus, quorum ille præceptor, hic discipulus Orphei fuisse dicitur. De Lino hæc prodidit Laertius in procemio, eum nempe carminum suorum hoc fecisse initium,

Olim tempus erat, simul indigesta jacebant

Quo cuncta ..... additque inde Anaxagoram sententiam illam suam accepisse, *omnia simul erant, mens autem accedens ea in ordinem adduxit*, quæ mosaicam parte in altera sapit cosmogoniam. Musæum præterea, eodem Laertio teste, docuisse ferebant εξ ενος τα παντα *ex uno omnia fieri, & in unum resolvi*, quod de chao, cujus unus erat vultus, ut firmata erat atque vulgata veterum traditio, intelligi debet (2). Orpheo jungendus Hesiodus

(a) *De Plac. lib.* 1. *c.* 13. (b) *Præp. lib.* 15. *cap.* 30.

(1) Ex Lino potissimum suum Chaos, & mundi hinc geniti originem describit Ovidius in primo *Metamorphoseos*, ubi canit.

Ante mare & terras, & quod tegit omnia, cælum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles &c.

(2) Cæterum in his verbis Johannes Franciscus Buddeus (*Histor. Eccl. Vet. Test. period.* 11. *sect.* 11. *ad* §. 18.) Orphei simul & Musæi pantheismum detexisse (non jure, opinor) sibi visus est. Vult ergo omne illum τελετων *ceremoniarum* apparatum, quo suos initiasse Orpheum tradunt veteres, huc directum, ut horribile dogma, *naturam rerum esse Deum*, idest pantheismum, animis inculcaret suorum. Ergo ubi Burnetius sanctioris theologiæ Orpheum doctorem ita facit, ut Mosi audacter conferat; Buddeus profanæ impietatis facit propagatorem; Angli pantheistæ de Lino, non de Mu-

dus (1) aliique veteres Græciæ poetæ, qui cosmogonias, & theogonias cecinerunt; nihil autem habent aut novi, aut proprii. Omnes hoc unum recinunt (nisi quod naturæ ferme omnia deorum, dearumque vocabulis angustiora facere ament) omnium primum extitisse chaos; inde natum universum, & quidem mechanicis motionibus, non sine supremæ mentis cura. Ea de re legatur Grotius *de veritate religionis christianæ* (a), & sæpe laudatus Burnetius *in Archæologiis* (b), quo in loco το αρχαιον χαος omnium veterum nationum atque philosophorum consensione probatum, plurima eruditione demonstrat.

CAP.

(a) *L.* 1. §. 16. (b) *L.* 2. *cap.* 1.

Museo, versum illum referunt.

Εκ παντος δε τα παντα, και εκ παντων παν εστιν, ex toto quidem sunt omnia & ex omnibus est totum (*Pantheisticon pag.* 5. *apud Sykes connexion de la Religion naturelle & de la revelée pag.* 85.) *Hujus autem versiculi*, pergunt, *quem semper habent in ore, fusior est explicatio .... Universum itaque, cujus exigua portio est mundus hic adspectabilis, affirmant esse infinitum tam extensione, quam virtute; continuatione vero totius & partium continuitate unum: immobile secundum totum, quum extra eum nullus sit locus aut spatium: mobile autem secundum partes, sive per intervalla numero infinita: incorruptibile simul & necessarium utroque modo, existentia scilicet æternum & duratione: intelligens etiam eminenti quadam ratione .... cujus sunt denique partes integrantes semper eadem, ut partes constituentes in motu.* Hæc illi Lini versiculum, aut cujuscumque sit, explicantes. At ita veteres interpretari est velle recentium notiones antiquorum verbis affigere. Quid est aliud videre duplices Thebas, & geminum Solem? De Chao ille loquitur quisque ejus versiculi auctor est. Itaque veteres & hunc alterum versiculum Lino tribuunt,

Ην ποτε τοι χρονος ουτος, εν ω αμα παντ' επεφυκει

Tempore primævo omnia simul mixta fuerunt: hi quas phantasias venditant? Sed nihil hoc systemate absurdius, ut pluribus *in* 1. *p.* demonstravimus.

(1) Hesiodi opus, quod επη *poemata* simpliciter dictum testatur Pausanias, nescio ergo cur veteres *Theogoniam* nominaverint. Ego Geogoniam & Geographiam dixerim. Nam nihil toto ergo opere canit Hesiodus, nisi telluris originem, atque earum insularum, quas noverat; tum & Græciæ plerorumque populorum, atque oræ lybicæ insulas urbesque nomine præsertim *nympharum deorumque* appellat: nam νυμφη est νεα φαινουσα, *nova apparens*, quod vocabulum optime cum ejus fine consentit. Neque enim ego concesserim Clerico, viro alioquin doctissimo, hujusmodi nymphas Hesiodeas animas mortuorum fuisse per ea loca vagantes. Itaque nymphæ marinæ insulæ sunt, aut urbes ad litora maris: fluviales urbes ac oppida ad fluvios sita: Δρυαδες urbes mediterraneæ &c. Hæc poetico gypso involuta Theogoniam procreavere. Nam bellum Titanum aut episodium est, veteremque historiam eadem arte exornatam continet, aut ut ego quidem arbitror, veterem traditionem eruptionis montium ignivomorum, quorum sunt plures in mari mediterraneo: ita enim intelligi posse illa tonitrua, fulmina, telluris cælique concussionem, in qua describenda totus est, & mirabilis. Hinc, qui gigantes sub montibus detrusi sint

CAP. II.

De Physiologia Græcanica.

§. I.

Ac primum de Secta Jonica.

POstquam philosophandi libertas aliqua apud rudes crassaque superstitione obrutos populos obtinuit (1), physici apertius de rebus naturæ & disseruerunt, & scripserunt, physicamque a theologia sejunxerunt, in primis Græci aliquot, quibus absurdum visum est totam rerum naturam in dæmones, genios, ignotasque potestates fuisse a poetis, ac sacrificulis conversam. Horum præcipuas sectas ad tres retulerunt veteres historiæ philosophicæ scriptores *Jonicam*, *Italicam*, & *Eleaticam*. Jonicam Thales Milesius, aut, ut Burnetio placet, Phœnix, fundasse dicitur Augustino (*a*), Anaximander vero Diogeni Laertio (*b*). Sed quum hic fuerit Thaletis discipulus, potuit eidem id tribui, quippe qui auxerat, quod magister inchoaverat. Dicti autem sunt Jonici peculiari nomine *physici*, quia relicto, ut dixi, prisco theologicus philosophandi more per symbolorum caliginem, naturales tantum res scutabantur: ex quo fortassis factum est, ut Thales pluresque alii Jonici athei audirent, quod necesse erat contingere *philosophis* paullo liberioribus apud ineptas illas & stupidas nationes, quæ nihil sine peculiari dæmone aut genio fieri unquam

---

(a) *De civit. Dei lib. 8. cap. 2.*
(b) *In proœmio. Hic locus videtur in Laertio corruptus.*

(1) A Thalete videtur hæc apud Græcos libertas cœpisse. Antiquiores enim philosophi ob populi superstitionem vetabantur de rerum natura aperte loqui: itaque Ægyptiorum in morem duplicem adhibebant linguam, *theologicam* unam cum populo, qua sententias symbolorum caligine involvebant: alteram *physicam* cum initiatis, quod Burnetius in Archæologiis sæpe observat. Sed ne tulere quidem longius eam Græci libertatem; quod Anaxagoræ exsilium, Socratis nex, Aristotelis fuga abunde demonstrant. Inde iterum Platonica Pythagoreorum deliria & mysteria invaluere apud gentem, cujus crassi oculi purioris luminis fulgorem pati nequibant. Vide Lactantium lib. II.

quam in natura credere instructi erant adeo, ut vim supremi numinis rerumque omnium opificis ad stupidam inertiam adduxisse viderentur.

Jam universi materiam fluidum quoddam statuerunt Jonici ferme omnes, in quo a *chaologis* antiquioribus non discesserunt. *Aquam* materiam hanc appellabat Thales, Orientalium *Maim*, ut puto, imitatus. Anaximander vero *infinitam quamdam extensionem, quoad totum immutabilem, mutabilem vero quoad partes, ex qua nascerentur & in quam redirent omnia*, ut retulit Plutarchus, quod Plato in Timæo tenuit. Anaximanes Anaximandri discipulos *aerem infinitum* vocabat: Anaxagoras vero Anaximanis auditor, *infinitum quoddam, sed ex infinitis particulis variorum generum, similium tamen, conflatum*: ut videre possis Jonicos ferme omnes, alios quidem clarius, alios vero paullo obscurius eadem de prima rerum origine dicere. Jam Anaxagoræ doctrinam ita elegantissime describit Lucretius,

Nunc & Anaxagoræ scrutemur homœomeriam.
Principium rerum, quam dicit homœomeriam:
Ossa videlicet e pauxillis atque minutis
Ossibu': sic & de pauxillis atque minutis
Visceribus viscus gigni: sanguemque creari
Sanguinis inter se multis coeuntibu' guttis:
Ex aurique putat micis consistere posse
Aurum: & de terris terram concrescere parvis;
Ignibus ex ignem: humorem ex humoribus esse:
Cetera consimili fingit ratione, putatque.

Quid autem senserint de principio universi activo Jonici, acerrime disputari solet. *A Deo factum esse mundum dixisse* Thaletem, scribit Laertius. Deum *cuncta ex aqua finxisse* doctrinam esse Thaletis, tradit Cicero (*a*). At id magna consensione veteres Anaxagoræ tribuerunt, ipse in primis Cicero eodem loco, quum scribit: *Inde Anaxagoras, qui accepit ab Anaximane disciplinam,* PRIMUS *omnium rerum descriptionem & modum, mentis infinitæ vi ac ratione designari ac confici voluit*. Nota sane est Anaxagoræ sententia παντα χρηματα ην ομȣ, ειτα νȣς ελθων διεκοσμησε, *omnia simul erant confusa, deinde mens superveniens ea ordine digessit*. Eam ob rem locum

(a) *De nat. deor. lib.* I.

hunc Ciceronis depravatum suspicatur Bælius (a). At L' Escalopier, qui Ciceronis libros *de natura deorum* perpetuis commentariis illustravit, rem ita componit: Thaletis quidem eam esse doctrinam ab Anaxagora vero longe lateque promulgatam (b). Equidem sic censeo Thaletem, Anaximandrum, Anaximanem, aliosque Jonicos, ὡς ἐν παρόδῳ *obiter* de principio activo universi loquutos; Anaxagoram vero primum ex instituto id egisse. Sed ea haud magni sunt momenti. Id certum, idque scire interest, cura supremæ mentis rerum hanc universitatem procreatam, existimavisse Jonicos, quod communem veterum omnium traditionem probat.

Jam vero, si Burnetio credimus, hanc immensam fluidamque materiam in *vortices* disposuere Jonici. Præterea de planetis & stellis fixis idem senserunt, quod hodie doctissimi astronomi. De Anaxagoræ vorticibus videtur testari Plato in *Phædone*, quo in loco inducitur Socrates deridens *circumpositum telluri ab Anaxagora vorticem*. Sed & Clemens Alexandrinus (c) Anaxagoræ δίνας *vortices* memorat, eosque ἀνοήτως *stulte positos* appellat. Porro lunam esse *corpus opacum* ψευδοφανῆ & a sole *illustrari*, Jonicorum erat doctrina. *Sed & habitari lunam, & esse in ea colles, & valles* totidem verbis dicebat Anaxagoras. Is præterea solem vocabat μύδρον διάπυρον *massam ignitam & candentem*. Quibus recitatis subdit Burnetius, *gratulari nos oportere veram cœlorum physiologiam, quam nuperis seculis restitutam vidimus, antiquis sapientibus non ignotam fuisse*. Ego valde vereor ne his antiquorum vocabulis notiones affigamus recentiorum; sic enim habeo, dixisse quidem Jonicos aliquid, ac divinando quidem magis, quam philosophando; sed quantum Anglus philologus contendit, numquam illos dixisse dicam (1).

§. II.

(a) *In dict. art. Anaxag. Rem. D.*

(b) *Vide Davis ad hunc Ciceronis locum.*

(c) *Strom. 2.*

(1) De geometria Thaletis ex instituto disserit Stanleyus (*Hist. Phil. part. 1. cap.* VII.) Proclus ab Ægyptiis Thaletem geometriam ad Græcos derivasse scribit (*in Euclidem l.* 1.): sed plura ei addidisse fatetur. Hujusmodi quædam institutionibus suis geometricis admiscuisse Euclidem constat. Stanleyus enumerat sequentia.

I. *Quævis diameter circulum bifariam secat*: quæ definitio potius habenda est diametri: nec est cur hanc ob rem magnas Thaleti gratias habere debeamus.

II. *Triangulorum isoscelium anguli*

§. II.

De Secta Italica, deque ejus auctore Pythagora.

SEctæ Italicæ auctor perhibetur Phythagoras, qui seculo ante Christum VI. floruit. Nemo hoc philosopho, si veteribus credimus, aut in rerum perpetua inquisitione pertinacior, aut magis in peregrinatione literaria infatigabilis, aut mente acutior: sed nemo magis phantasticus ac impostor. Ex ejus fontibus totam pene philosophiam suam Græcia irrigavit, potissimum in iis quæ ad mathesim & metaphysicam pertinent. Præceptorem habuisse Pherecidem quemdam Syri insulæ scribunt veteres; sed & Ægyptios, &, nisi antiqui mentiuntur, Hebræos, tum Chaldæos, Arabes, atque Persas litterarum flagrans studio adiit, & in ea peregrinatione quadraginta circiter annos consumsit (1); atque, quo magis se insinuaret in singulorum adyta & arcana, omnium fere quum Græcorum, tum Barbarorum Sacris ac τελεσταις misticis ceremoniis, initiatum ferunt (*a*). Pythagoras innumeros habuit ex Asia atque Europa egregios sectatores, & qui ejus philosophiam longe lateque provexerunt. Recenset eos Stanleyus (*b*) *in historia philosophica*. Eorum illustriores fama fuerunt Archyta Tarentinus, Empedocles Agrigentinus, Ocellus Lucanus, Parmenides Eleates. Sed & Plato, quamquam videatur ad Jonicam pertinere sectam, pythagoricus & ipse fuit; quandoquidem a Pythagora non mathematicas modo res, sed metaphysicas quoque vanas anilesque ineptias omnes accepit, veterumque pythagoreorum fuit studiosissimus adeo, ut omnia physicæ studia, in quibus adlaboraverant Jonici, perverterit. Ex his

 (nam

(a) *Laert. Porph. ac Jamb.*

(b) *Part.* 8. *cap.* 23. 24.

guli ad basim sunt inter se æquales, & productis &c.

III. *Si duæ rectæ sese mutuo secent, angulos ad verticem faciunt inter se æquales.*

IV. Eidem tribuit prop. 26. libri primi Euclidis. Tribuit & 1. 2. 3. 4. & 5. libri quarti *Ramus*. Legatur & Proclus in Euclidem.

(1) Porphyrius *Zabratum* Chaldæum inter præcipuos Pythagoræ præceptores fuisse docet. Eum eumdem exstitisse atque Zoroastrem sunt qui autumant, idque satis verisimile censet Beausobre. Hinc tota philosophia græca *dualismo* infecta Chaldæorum; Sed negat Bruckerus.

(nam consentiunt veteres nihil Pythagoram literis mandasse) ejus dogmata petenda ; nec tamen sine magna cautione ; nam quum varia vulgaverint, argumento est & suas magistri sententiis admiscuisse, ne scilicet minus phantasia feraces viderentur.

In confesso est ex veteribus Græciæ philosophis neminem Pythagora longius latiusque mathematica provexisse. Ejus inventa omnia, & argumenta copiose simul & perspicue enarrat Stanleyus. Tres Pythagoras mentis humanæ status, quod ad scientiam attinet, statuebat, *infimum*, *supremum*, & inter utrumque *medium*. In infimo mens est, quousque *sensu* utitur, & circa ea, quæ sunt *sensibilia* occupatur: in *supremo* versatur, quum quæ sunt *intelligibilia*, ab omni materiæ concretione segregata, contemplatur: medius vero status est *geometria* & *arithmetica*. Homines a *sensibilibus* incipere, ad *intelligibilia* vero ferri non posse, nisi status *medii*, ideft geometriæ, & arithmeticæ ope, docebat: geometriam enim neque circa *sensibilia*, neque circa *pura* intelligibilia versari, sed utraque conjungere, gradumque esse a *sensibilibus* ad *intelligibilia*. Quod tam præclaræ dictum est, ut avidissime illud Plato, Platonicique arripuerint. Sed quum Pythagoras, ut hæc satis demonstrant, naturam rerum ipsam intelligibilium cognitionum fecisse fundamentum, Plato totam hanc viam & rationem invertit, atque fundamentum sensibilium opinionum nescio quas ignotas æternasque statuit ideas. Scilicet quum homines recti terram premant, is monstroso conatu invertit, ac funambulorum in morem capita deorsum projecit. Meminerimus hic egregii illius Baconi aphorismi: *homo naturæ minister & interpres tantum facit & intelligit, quantum de natura ordine, re, vel mente observaverit, nec amplius scit, aut potest* (*a*).

In investigatione *naturæ* has debere esse primas philosophi curas, ut ex quibus principiis omnia sint facta, requireret, Pythagoras atque Pythagorici docebant, ut auctor est Sextus Empiricus (*b*). Ipsi vero, cunctis attente perpensis, hoc primum reperisse sibi videbantur, *apparentia hæc ex non apparentibus constare oportere*, ideft *composita*

(a) *Nov. org. aph.* 1.
(b) *Adv. Math. lib.* 9.

sita ex simplicibus, nisi enim simplicia sint, sed omnia sint composita, nulla esse rerum *principia prima*. Unde conjiciebant *corporea ex incorporeis* fieri. Quæ autem sint hæc principia, ut ex eodem Empirico discimus, Pythagoricis non convenit. *Unitatem* & *binarium inde terminatum* statuunt, ex quibus contendebant *natos numeros*, ex numeris *puncta* & *lineas*, hic *plana* omnia & *solida*. At alii ex *puncto* omnia facta docent: inde enim *lineas*, ex lineis *superficies*, ex superficiebus *solida* nasci. Quæ quum Pythagoras Pythagoreique passim docerent, factum est, ut veteres omnes scripserint, *rerum corporearum elementa ex Pythagoreorum doctrina esse numeros*. At si *numeri*, ut arithmetici solent, *abstrate* accipiantur, quis mortalium unquam intellexerit, qui possint *corpora ex numeris* conflari? Quis non videat quam sint hæc absurda & philosophis doctissimis indigna? Eam ob rem viri docti in varias iverunt sententias. Itaque tuentur allegoricos ea dicta esse, numerisque intelligi aut *atomos*, aut *ideas mentesque platonicas*, aut rerum *ordinem & concentum* ex *unitate suprema*, *Deo* nempe (quem μονάδα και αγαθον, *unum & bonum* vocat apud Plut. in *placitis*) & *materia*, quæ binarium sit, profluentem, aut similia, quæ & longum esset exa-

(1) *Quod numeros* (inquit Burnetius in Archæolog. lib. 1. cap. 15.) *pro rerum principiis habuerit Pythagoras, testantur omnes veteres Plato, Aristoteles cum suis commentatoribus græcis, Plutarchus, Sextus Empiricus, ceteri: neque testantur modo, sed ea de re ut nota & confessa varie differunt, discutiunt, exponunt, refellunt. Caret tamen tam fundamento, quam ordine hic modus philosophandi. Numeri enim sequuntur res, rerumque divisionem; neque si antecederent, aut corporibus molem, aut animabus & mentibus cogitationem conferre poterant, cum utrisque destituantur. Manifestum sane est numeros præter numeros nihil posse generare.... Quapropter cum omnia ex numeris composuit Pythagoras, subintelligere non potuit causas efficientes, neque materiales, sed aliquo modo exemplares, imagines nempe quasdam rerum e suis causis exorientium. Quemadmodum enim numeri progrediuntur ab unitate, sive monade omnium simplicissima radice in magis magisque compositos, novasque induunt proprietates in illo progressu; ita a Deo simplicissimo recedunt gradatim rerum productarum classes, retinentque characteres aliquo modo suis numeris analogos*. Hæc Burnetius. Quo in loco subit animum, quod olim Mersennus in Genesim aggressus est, ejusdem naturæ, ac quæ de Pythagora conjicit Burnetius. Nam Theologus Parisinus hoc præsertim argumento probat esse Deum. Nullus est numerus, cujus principium non sit prima unitas: est autem in mundo numerus; ergo prima unitas, seu Deus; cui & illud haud dissimile addit. Nulla est sphæra sine centro: est autem mundus sphæra; est ergo in mundo centrum, idest Deus. Quem ego *Minervæ Capitæ* commendaverim.

At

examinare (1), & æque inutile. Pudere enim debet moratos viros ad quæstionem adigere veteres, qui ita ex composito loquuti sunt, ut nollent intelligi. Illud constat inter veteres Pythagoreos, Samium philosophum, ut magistros seu Ægyptios, seu Chaldæos, dualismum professum, Bona sunt a Deo φυσει atque αιτιᾳ των παντων *natura & causa omnium*: mala a materia, malisque geniis. Hinc manavit in græcas scholas: qua de re alibi erit dicendi locus.

Jam de universi ordine hæc censuisse Pythagoram scribunt veteres. Solem in centro mundi nostri, seu systematis planetarii, situm immobilem: tellurem vero circa solem circumagi: cælos fluidos & æthereos statuisse; singulasque stellas pro totidem numerasse mundis, auctor est Plutarchus de *Placit. Phil.* (*a*). Quod spectat ad solem, rem aliter videtur narrare Simplicius (*b*): nempe Pythagoram in mundi centro *ignem* statuisse, & *qui penitus hæc intelligunt*, affirmare, ignem illum esse *vim procreantem*, *nutrientem*, & *excitantem*; mundique centrum illud esse telluris centrum, non universi. Certe Laertius (*c*) *Philolalum* primum facit auctorem ejus systematis, *terram*

(a) *Lib.* 2. *cap.* 13.

(b) *In Arist. de cælo c.* 8.

(c) *Lib.* 8. *segm.* 85.

At Jacobus Brukerus in *Schediasmate Historico Philosophico de convenientia numerorum Pythagoræ cum ideis Platonis*, *harumque ex illis origine*, si Buddeo credimus (*in Hist. Phil. pag.* 99.) evincit numeros hujusmodi Pythagoricos nihil esse aliud quam *ideas* Platonis. Ipse interim Buddeus Burnetio adhæret. At alii magnis argumentis atomos interpretandos numeros illos censuerunt, quod indicare videtur Sextus Empiricus loco superius prolato. Legatur Cudworthus *in Syst. Intell.* Nolim tamen eo niti argumento, quod numeros vocaverit Pythagoras *monades*; monadis tantum meminere Pythagorici omnes, non etiam *mondanum*. Nec defuere, qui in hac Pythagoræ doctrina pantheismum subodorati fuerint. Auctor est Cicero Deum Pythagoræ fuisse *mentem per universum commeantem*, *ex qua animi nostri caperentur*. Ergo quum doceant Pythagorei animas ex *monade* nasci, *monas*, unde cuncta progignuntur, Deus est, ex quo & animi, & reliqua fiunt. Quid si Pythagoras, ut erat ille assuetus ænigmatices philosophari, monadis nomine intellexerit *Chaos* primigenium? Nam mirum certe est potuisse illum a sententia tanta antiquitatis consensione firmata omnino discedere. In quantas interim ineptias veterum somniorum interpretes imus! Quin fateamur potius viros famæ aucupes rudibus adhuc hominibus vocabulorum mysterio imponere voluisse? Sed ita jam pridem suevimus, ut ea veterum magis admiremur, quæ minus intelligimus. Pereat autem tota illa antiquorum somniorum respublica, minus ne licebit esse hodie philosophos?

terram in orbem ferri. Nec valde contendo potuisse, ut *Philolaum*, ita *Aristarchum Samium* ex *Pythagoræ* fontibus id haurire. Verum viri docti Ezechiel Spanhemius, & Joannes Albertus Fabricius *in Biblioth. Græc.* (*a*) perperam Pythagoreis hanc sententiam tribui contendunt. Sed cum veteri historia aperte pugnat; nam Aristoteles *in II. de cælo cap.* 13. non solum scribit, Pythagoreos posuisse ἐπὶ τοῦ μέσου πῦρ εἶναι, *ignem esse in medio* τοῦ πεπερασμένου οὐρανοῦ, *finiti cæli*; *sed tellurem esse* ἓν τῶν ἄστρων *unam stellarum*, ὡς κύκλῳ φερομένην περὶ τὸ μέσον, *ferri circa centrum*, atque ita νύκτα καὶ ἡμέραν ποιεῖν, *noctem, diemque efficere*. Adnotemus hic interpretis oscitantiam, qui πεπερασμένον *infinitum* vertit, quod & cum vi vocabuli pugnat, & cum historia. Ut illud mittam notissimum, in priori illa sententia, tellurem esse in centro mundi, fuisse Platonicos, ipsumque adeo Aristotelem; quorum tamen patens doctrina est, mundum finitum esse, ac aut stellifero, aut *primo mobili* circumscribi.

§. 18. Paucis nunc complectar, quid de *Deo*, & *anima mundana* docuerit Pythagoras. Tullius (*b*), & Lactantius (*c*) testificantur Pythagoram definitum Deum *animum per universas mundi partes commeantem atque diffusum, ex quo omnia, quæ nascuntur animalia, vitam capiunt*. Cicero hæc ita accepisse videtur *quasi animi nostri essent partes divinæ ipsius naturæ*. Quod si verum est, profecto manifestarius Pantheista fuit Pythagoras: nec enim aliud Spinoza, aliique Pantheistæ docent (1). Vide quæ dicta

 sunt

(a) *Lib.* 1. *cap.* 20. (b) *Lib.* 1. *de nat. deor.*
(c) *Inst. lib.* 1. *cap.* 5.

(1) Pantheistæ Angli in *Pantheistico* pag. 54. & 55. apud Sykes (*Connexion de la Religion naturelle & de la révélée* tom. 1. pag. 87. 88.) eodem prorsus modo loquuntur.

Modimperator
In mundo omnia sunt unum,
Unumque est omne in omnibus.

Resp.
Quod omne in omnibus Deus est.
Æternus ac immensus,
Neque genitus neque interiturus.

Modimp.
In eo vivimus, movemur, & sumus,

Resp.
Ab eo natum est unumquodque
In eumque denuo revoluturum,
Omniumque ipse principium & finis.

Modimp.
Carmen accinamus

De

funt pag. 31. not. 1. Justinus Martyr *in Protreptico* ita & ipse de Pythagoræ Deo disserit, ut Pythagoræ pantheismum confirmare videatur. *Unus est*, inquit, *Deus, non ille autem, quemadmodum nonnulli sunt suspicati, extra hunc mundi ornatum; sed ipse in se totus in* CIRCULO TOTO (universum accipio) *omnes inspiciens generationes. Omnium ipse est* TEMPERATIO, *& virtutum operumque ejus omnium* OPIFEX, PRINCIPIUM *omnium*. UNUM, *cæli lumen, & parens omnium*, MENS *&* ANIMATIO *universorum, circulorum omnium* NOTIO. Quæ iis consonant, quæ Plutarchus scribit in *Placitis*. Nec tamen hinc moveor, ut Pythagoram plane phanteistam faciam. Nam I. Hæc esse, ut referuntur, ab illo dicta, vix mihi persuaserim, in tanta potissimum Pythagoreorum dissensione, & varietate. II. Tenuit Pythagoras veterum Orientalium emphaticam docendi rationem. III. Tenuit & ænigmaticam, quæ occasio fuit, cur ejus dicta in partes varias discipuli traxerint, uti in rerum obscurarum interpretatione usuvenit. IV. Ipsi sæpe veteres Christiani ita loquuntur, ut Deum ac *φυσιν naturam* unum esse dicant, quod scilicet Deus sit virtus omnium effectrix rebus omnibus intime præsens: nec tamen Deum cum mundo miscent. Instar omnium sit Lactantius lib. II. cap. 8. *quoniam Deus ipsa natura est*: & inferius, *quum ego ipsam naturam Deum esse contendam*: naturam autem dicit id, ex quo nascuntur omnia, *vim efficientem*: *naturantem* dicunt scholæ.

Sed & illud inter Pythagoreorum dogmata valde est cele-

De natura universi.

Resp.

Quidquid est, hoc omnia animat,
Format, alit, auget, creat:
Sepelit recipitque in se omnia
Omniumque idem est Pater;
In idemque omnia quæ oriuntur
De integro atque eodem occidunt.

Quæ Stratonico Systemati consonant, atque æquè ac illud omnem humanam rationem deturbant. Adeo verum est, subtiliores græcorum philosophorum, quum supra veterem traditionem sapere voluerint, omnia religionis fundamenta subruisse. Ad rem Lactantius. *Opera ipsius* (Dei) *videntur oculis: quomodo autem illa fecerit ne mente quidem videtur: quia, ut Hermes ait, mortale immortali, temporale perpetuo, corruptibile incorrupto, propinquare non potest, idest propius accedere, & intelligentia subsequi. Et ideo terrenum adhuc animal rerum cælestium perspectionem non capit, quia corpore quasi custodia septum tenetur, quo minus soluto ac libero sensu cernat omnia. Sciat igitur quam inepte faciat qui res inenarrabiles quærit: hoc est enim modum conditionis suæ transgredi, nec intelligere quousque homini liceat accedere*, Lib. II. cap. 8.

celebratum, *anima quadam mundum esse animatum*, quod placuit Platoni Platonicisque ferme omnibus, placuit & recentioribus plurimis, in primis, *Cudwortho*, *Moro*, *Clarkio*, *Newtono*, aliisque. Legenda omnino sunt, quæ *de causa genitrice* disserit Cudworthus, & quæ ibi doctissime adnotat *Mosshemius*. Me prohibet instituti operis ratio longius progredi: ad pauca igitur verba rem conferam. I. Plurima esse in tellure rerum genera, quæ vivunt, *plantas* nempe, & *animantia*, non est quod dubitemus. Hæc omnia animata veteres censuere. II. Has res omnes ex *seminibus* suis, aut *ovis* statis quibusdam temporibus prodire in compertis est. III. Temporis harmoniam quandam esse inter plantarum, animantiumque generationes, fierique eas non ordinata tantum perennitate, sed & successione quadam pene immutabili, ita, ut licet nec omnia semina, nec omnia ova eodem anni tempore pariant; eodem semper anni tempore in eadem regione, ejusdem generis semina, & ova adaperiantur. IV. Sequi generationes istas vim caloris, ejusque incrementa, aut decrementa. Quibus ex rebus hæc sequi videntur. I. Esse in universo, saltem in tellure nostra, *vim quamdam genitricem*, *principium quoddam hylarchicon*, *archæon*. II. Causam hanc mechanicis legibus operari, varieque agere in variis seminibus, aut ovis III. Naturæ esse mediæ, igneæ scilicet, aut cum igne conjunctæ, & si *Stoicis*, atque *Heraclito* credimus, ignem ipsum seu terrestrem, seu elementarem, seu, quod verisimilius, solem, quem πυρ præcise Pythagorei vocabant, ut ex superiori Aristotelis loco patet. IV. Causam hanc eam fortassis esse, quam veteres, Aristoteles potissimum, *naturam* appellabant. V. Eam tamen a *mente* universi creatrice pendere (1) non omnes agnovisse viden-

(1) Sed in eo gravissima inter Philosphos versatur quæstio, an hæc φυσις, αιτια, αρχη, τυχη, πρωτη αιτια, μοιρα, αναγκη, ut sæpe Græci appellant *Natura*, *Causa genitrix*, *fortuna*, *Principium hylarchicon*, aut, si aliud est vocabulum, quo id quod volo clarius explicem, ipsa sit *Dei voluntas universi creatrix & conservatrix*, an res aliæ a Deo conditæ, & inter causas, ut vocant, *secundas* referendæ? Plurimi veteres Ecclesiæ Patres, in primis Lactantius lib. III. 29. Gregorius Nyssenus, *in Dial. de anima & resurrect.* non aliam agnoscere videntur *Naturam*, idest causam omnia procreantem agentemque immediata, præterquam Dei voluntatem, quos ego credo obscure loquutos, quum primam tantum dicere voluerint. Sequiores vero theologi, naturam aperte a Deo distinxerunt, eoque vocabulo causarum secundarum vires intellexere. Eorum vero quidam, qui

videntur Græci philosophi. Nam infinitam coæternamque materiæ Platonici, Eleatenses, Stoici fecerunt. Quin Hesiodum in Theogonia hanc virtutem genitricem, quam ἐρωτα *amorem* vocat, e chao natam existimare vulgo ajunt. Hunc *amorem* το πυρ esse quidem interpretantur. Gnietus την του κοσμου ἁρμονιαν *rerum concordiam*, Clericus ad eum locum *evanidum in eo esse Dei omnia procreantis vestigium* putat; Sed si ἐρως rerum vis effectrix est, qui potuit posterior esse chao & tellure? Adeone ineptum Hesiodum fuisse credemus, ut id non viderit? Absurdum fuisse in ea re Poetam, Joannes Clericus decernit. Mihi locum Hesiodi contemplanti hæc potius eum voluisse dicere opinor; tria nempe deorum ortum præcessisse *chaos*, *tellurem*, *amorem*: Chaos autem æthera circum tellurem & spatium accipit, quod & Clericus ipse agnoscit. Nam quum ceteros Deos genitos dicat, hæc tria *extitisse* tantum ait, πρωτιστα χαος γενετ᾽, αυταρ επειτα. Ita το αυταρ επειτα non ad tempus refero, sed ad narrationem, licet paullo negligenter quod ille in reliquis solet, positum.

Ex Pythagoreorum omnium scriptis unus ad nos *Ocelli Lucani* libellus demandatus est. In hoc libro mundum esse æternum, tam quod ad formam, quam quod ad materiam, statuit, Sed quisquis hunc librum legerit Aristotelicam in eo contineri doctrinam facile odorabitur. Nec dubitant viri docti plurimi & acuti librum esse ψευδεπιγραφον. Legatur Albertus Fabricius in *Bibliot. Græc.* Sed genitum tamen a suprema mente mundum videtur sensisse. Certe in libel-

---

Physicam prædeterminationem induxerunt, omnes videntur *activas vires* ab universo eradicasse. Saltem Auctoris operis vulgatissimi *Action de Dieu sur les Creatures*, qui horum partes magna doctrina, & elegantia tuetur, hanc esse sententiam, nemo, qui legerit, dubitabit. Eadem fuisse videtur & Malebranchii. Ego, si quod sentio dicere non prohibeor, & intelligo creaturarum esse *aliquas activas vires* quas *naturam* appello, quarum ut creator, ita conservator est Deus: & eorum sententiam, qui omnem ab universo *activitatem* (si eo uti licet vocabulo) auferunt, auctoribus interim imprudentibus, ad pantheismum vergere video. Nam si nihil est in mundo activi, nulla *secunda causa*; rerum omnium energia, activitas, unus est Deus. Et ideo ego & hoc dogma ita formido, tamquam horrificum habeo, quam illud, *naturam esse Deum*. Iniqui autem sunt ii, qui eam doctrinam Thomæ Aquinati tribunt, quum ille non obiter, sed ex destinato & copiose pluribus in locis suorum operum hanc secundarum causarum virtutem explicet ac tueatur.

libello *Timæi Locri*, & in Platonis *Timæo*, qui ex illo pene totus est haustus, mundum, deósque minores omnes a Deo supremo factos, scribitur: fuit autem & hic Timæus Pythagoreus. Præterea Plutarchus (*a*) veterum philosophicarum opinionum callentissimus, diserte scribit, *Pythagoras & Plato genitum a Deo mundum ajunt:* sed ab æterno tamen, si Censorino credimus. *Sed*, inquit, *prior illa sententia, qua semper humanum genus fuisse creditur, auctores habet Pythagoram Samium, & Ocellum Lucanum, & Archytam Tarentinum, omnesque adeo Pythagoricos. Sed & Plato Atheniensis, & Xenocrates, & Dicaearchus Messenius, itemque antiquæ Academiæ Philosophi non aliud videntur opinati. Aristoteles quoque Stagirita, & Theophrastus, multique præterea non ignobiles Peripatetici idem scripserunt.* Hoc est, tota pythagorica proles, in ea fuit opinione, longe nempe ab ea, quæ veteri populorum traditione pervulgata erat. Ceterum mundum & creatum, & ab æterno esse potuisse, plures & gravissimi quoque scholæ philosophi docuerunt.

§. III.

De Sectis, quæ ex Jonica & Italica prodiere, ac primum de Academica, seu Socratica, & Platonica.

EX *Jonica* & *Italica* novæ aliæ philosophorum sectæ prodiere: *Academica* enim, quæ a Socrate videtur cœpisse, tum *Peripatetica* & *Stoica* philosophia, Jonicorum & Italicorum fontibus pene omnes fuere irrigatæ. Socratica seu Academica, atque hinc primus ejus ramusculus Platonica in theologicis magis, atque ejus ætatis nugis item geometricis, atque ethicis, quam in physicis præcelluit. De universo hunc in modum censuisse Socratem & Platonem scribit Plutarchus (*b*): *Socrates & Plato (ambo enim idem de universo senserunt) tria statuunt principia τὸν θεὸν, τὴν ὕλην, καὶ τὴν ἰδέαν, Deum scilicet mentem, materiam, & ideam. Mens est quod Deum nominat. Materia primum rebus orientibus, & intereuntibus sub-*

(a) *De Plac. lib. 2. cap. 4.*
(b) *De Plac. cap. 3. Vide Plat. in Timæo.*

subjectum. Idea natura corporis expers in conceptionibus mentis (*ἐν τοῖς νοήμασι*) & *imaginationibus Dei. Deus autem mens mundi*. Quod spectat ad materiam tradit Laertius (*a*) statutam *infinitam*, *inordinateque motam*, *figurarum expertem*, *ordinatam tandem atque ornatam a Deo*. Qua ex re patet Platonem a veteribus chaologis non admodum discessisse, si huic fidem præstemus: materia enim illa *æterna*, & *inordinata* chaos est. Id vero mirifice confirmatur ex iis, quæ in *Timæo* scribit. Sed & Calcidius *in Timæum* platonicam materiam *sylvam* appellat, idest *chaos*; est enim vero *ὕλην* veteribus *sylva*. Audiendi ergo non sunt recentiores quidam, qui persuadere nobis conantur, posuisse Platonem materiam a Deo creatam, *materiam cum corporibus* miscentes. Sed vide Mosshemium in dissertatione *de rerum origine*. Jam vero ex eodem Laertii & Timæi loco discimus non *inertem materiem* positam æternam, sed *motam*, suapte nempe natura, licet perturbata motione, ita ut chaos referret: animata igitur fuit materia platonica. Quod addit statutam materiam *omnis formæ expertem*, id non Scholasticorum in morem accipiendum, *quasi omni forma substantiali* nudam, sed ita ut ista perturbata motione nihil referret, neque aquam, neque terram, neque ullum aliud corporum genus, quam quam ita fuerit natura comparata, ut ordinata motione ad quamlibet corporum formam adduci potuerit.

De Deo vero, idest *active universi principio* cum Pythagora sensisse Plato videtur, *mentem nempe esse incorpoream* (idest, quæ nullam corporum referat speciem, ac proinde minime sit humanis sensibus subjecta *quæ rebus omnibus insit, per universum diffusam, vimque, naturam motum omnibus largiatur; ut quemadmodum animus noster per singula corporis humani membra diffunditur, arctissimeque ipsis conjungitur, ut inde calor omnis, ac motus oriri debeat, sic etiam Deum Spiritum, animam, mentemque universi vocarunt*, sunt verba Eduardi Corsini viri longe eruditissimi *in Instit. Phys.* (*b*). Pergit vero vir doctus, atque Platonis hunc Deum Virgilii verbis describit.

Prin-

(a) *In vita Plat. In Tim. materiam primum subjectum corporum dicit.*

(b) *Disp. 1. cap. 2.*

Principio cælum & terras campósque liquentes
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se CORPORE *miscet.*
Inde hominum, pecudumque genus, vitaque volantum.
Sic apibus partem divinæ mentis, & haustus
Æthereos dixere: Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Confirmat porro idem Stoicorum sententiis, qui Deum esse *cæli ac terræ, ceterarum rerum animum dixerunt*. Cum Pythagora ac Thalete Deum statuentibus *animum* per naturam rerum *omnem ineuntem & commeantem* sensisse Platonem tandem concludit. Scio viros doctos plurimos, præsertim ex apologistis veteris Ecclesiæ, credidisse in *Thaletis*, *Pythagoræ*, & *Stoicorum* philosophia pantheismum contineri; quare & Plato, si philosophiæ suæ auctoribus, sibique consentaneus esse vult, pantheista esse debet. Sed ut hoc abnuo, ita nollem viros eruditos hanc Jonicorum, Italicorum, Stoicorum, Platonicorumque doctrinam cum Christiana comparasse, & librorum sacrorum, atque Patrum eam in rem præsidium advocasse. Nam quod ajunt, emphasim quamdam esse in his veterum philosophorum verbis, haud nego: at ea talis est, ut, quod caput est, *mentem*, seu subtilem ignem, *cum materia* quodammodo *commixtam*, *eamque permeantem*, *eique fato quodam*, idest *necessitate naturæ* conjunctam & colligatam, quin dixerint veteres illi, ac quin intellexerint ut dicebant, minime impedit.

Jam vero quid de *ideis* senserit Plato, quod ex Plutarchi partitione tertium est universi principium, & olim disputatum est acerrime, & nunc disputatur. Posteriorum Platonicorum ferme omnium sententia est, esse eas *Dei patris cogitationes in ipsa ejus mente permanentes*, ut Plotini verbis dicam. Idem Plutarchus loco superius probato sentit: idem Seneca (*a*) *plenus est*, inquit, *his figuris* (Deus), *quas Plato ideas appellat, immortales, infatigabiles*. Veteres etiam plurimi Ecclesiæ theologi, in primis Augustinus, eamdem Platoni tribuerunt sententiam. Ea de re digna lectu sunt, quæ Petavius *de Deo* copiose com-

(a) *Ep.* 66.

commentatus est. At Aristoteles Platonis discipulus, idque per xx. annos, si Laertio fides, vir in primis mentis acumine præstantissimus, aliam magistro suo tribuere sententiam videtur. Pluribus enim in locis *librorum metaphysicorum* aperte testatur, Platonem posuisse *ideas* non veluti imagines in divina mente exsistentes, sed potius veluti *substantias quasdam incorruptibiles*, & *incorporeas*, *a rebus omnibus*, *& ab ipso Deo sejunctas*, ac *separatas*, quas veluti archetypas rerum formas & exemplaria ille inspiciens, ad illarum similitudinem materiam disponeret, resque omnes produceret. Quæ quum quid essent intelligere non posset, *vaniloquia*, *cantiones*, *inanes nugas*, *cantilenas insulsas*, & *circulatorum fabulas* eas appellavit. Quæ Aristotelis testificatio, Platonicæque doctrinæ interpretatio procul dubio recentiorum omnium Platonicorum auctoritati videtur ab eo præferenda, qui canones omnes criticos violare nolit. Nam quod ajunt, imposuisse Platoni petulanter Aristotelem, minus verum arbitror; in Ethica enim ad Nicomachum honorifice de Platone loquitur, etiam quum hujusmodi memorat ideas, *vir*, inquit, *mihi amicissimus ideas induxit*: nec simile est vero tam absurdam sententiam eo tempore virum doctum Platoni tribuisse, quum infinita esset adhuc in vivis Platonis discipulorum turba. Sed, inquiunt, an tantus philosophus tam stulte ineptire potuit? Quasi vero ullum sit absurdum, quod non aliquis philosophorum dixerit. Quid quod fere eadem non dubitavit docere Origines? Jacobus Bruckerus (a) haud ambigit Aristotelis veriorem esse sententiam, idque pluribus confirmat argumentis. Interea ingenuitati debeo, hujusmodi portentosam opinionem in Platonis libris, qui exstant, diserte nullibi reperiri, nisi longe detortis sententiis; Aristoteli vero concedendum est, alteram opinionem vix ab alio vetustiore Platonico ante Tullium, Senecam, & Plutarchum, doceri (1). Porro quid illæ sint abstra-

ctæ

(a) *In hist. de Ideis sect.* 1. *ad* §. 5., *& in histor. crit. phil. t.* 1. *p.* 695.

(1) Sed & illum animadverti velim, veterum Græcorum fuisse morem, præsertim poetarum, eorumque qui oratione poetico charactere animata scripserunt, omnes quum supremæ mentis, tum Deorum inferiorum proprietates per προσωποποιίαν veluti res, easque animatas exhibere. Hesiodus sit instar omnium. At enim veteres illos

Hæ formæ ne id quidem apud recentiores eruditos constat. Esse mentes ab æterno a Deo genitas, quarum princeps sit λογος, quarumque causa mundus logos condiderit, sunt qui in Timæo cernere putant. Id si ita est, Zoroastrianus fuit Plato. An Origenes in περι αρχων Platonicum systema obtrudere voluit? Quod si nec mentes sint, nec animatæ, separatæ tamen hujusmodi ideæ, ac per se subsistentes, me, quid illæ sint, cum ignorantissimis ignorare fateor.

De generatione porro universi hunc in modum disseruit Plato. *Quum oporteat* (dicam verbis Burnetii) *mundum esse visibilem & tangibilem; nihil autem sit visibile sine igne, nihil tangibile sine terra, corpore solido; hæc duo elementa in primis erant necessaria: ut vero cohæreat mundus, & quid unum sit, opus fuisse ut hæc duo extrema per aliquod medium proportionale conjungerentur; solida autem non uno, sed duobus semper mediis inter se copulantur. Deus igitur ignem inter & terram, aerem, aquamque disposuit,*

illos Græcos tam stupidos fuisse putabimus, ut crediderint, ερωτα *amorem*,

Θειδαν τε, Ρειδαν τε, Θεμιν τε, Μνημοσυνην τε

Theamque, Rheamque, Themimque, Mnemosinemque res esse ab animis, aut diis separatas? Quum igitur Plato orationem sectatus fuerit poeticam, seu potius theologico stilo usus, cujus anima fuit illis temporibus enthusiasmus; cuiquam ne mirum videri potest eodem modo de divinis æternæ mentis ideis loquutum? Sed quum nota sint & cæterorum philosophorum id temporis absurda plura, & quæ hic noster Plato de sua illa trinitate divina commentatus fuit, nolim ego hac tantum ratione illum ab hujusmodi errore liberare. Illud iterum dicam, si vera sunt, quæ Aristoteles dicere videtur, hunc magnum geometram in arundine sæpe longa equitasse. Quid si Macedo philosophus, qui mundum & æternum, & necessario procreatum docuit, & has quoque ideas mentis æternæ deridere voluerit, velut minus systemati suo commodas? Viderint docti. Sed & illud non satis intelligere potui, quamobrem Bolingbrokius, qui in Plutarchi ac Plotini fuit sententia, hujusmodi mentis æternæ ideas tantopere aversatus fuerit. Quid enim? Aut rerum hæc universitas a Deo procreata est, aut per se & ab æterno, est, aut fortuito nata. Duo hæc postrema magnis argumentis refellit Anglus philosophus. Quum ergo mundus a Deo sit factus, potuitne ille sine anticipata quadam intelligentia fieri? quæ tam antiqua esse debet, quam Deus. Hanc ejus intelligentiam primam mundi architectricem idearum nomine appellamus. Quas ille quum repudiet, me quid animo volveret, ignorare lubens fateor. An, ut Aristoteles, ab æterno mundum a Deo manasse? Suspicari possemus, nisi & in hoc mirifice secum ipse bellaret.

fuit, tanquam proportionalia: ideoque ex quatuor elementis hoc modo dispositis mundus necessario conflatus est. Deinde quum corpora solida resolvantur in plana, & plana iterum, juxta Platonem, in tringula; ideo elementa hæc ex triangulis composita esse voluit. Ita ignem ponit esse figuræ pyramidalis propter penetrationem, & compositum ex quatuor triangulis: aerem facit octoedrum productum ex octo superficiebus, quarum unaquaque in sex scalena dispertitur. Terram figura cubica, propter soliditatem, ideoque genitam ex sex planis, quorum unumquodque constat ex quatuor triangulis. Denique aquam facit Icosoedram ex viginti triangulis conditam, e scalenis itidem unoquoque compacto. Et cum mundi corpus hoc modo construxisset, animam ei mathematicam ex numeris & proportionibus conflatam inserit & associat. Hæc Burnetius ex Timæo. Inde & hoc addo, primam materiam tenuissimam fuisse ac invisibilem: mox gradatim densatam, terram evasisse. Quæ ea maxime de caussa retuli, ut cognoscatur, quot paradoxa, ac somnia inconditasque opiniones nimius metaphysicæ matheseos abusus in physicas disciplinas inducere possit. Nihil addo de *animæ* Platonis mundana, quod ea res adeo est involuta, ut multis explicari non debeat, paucis non possit.

§. IV.

De Aristotele, ejusque Peripatetica secta

PRimus græcorum philosophorum Aristoteles Stagirites Platonis alumnus a constante antiquorum chaologorum doctrina aperte ac sine ambage discessit: nullum enim *chaos* universo præexstitisse, sed fuisse illud ita, ut nunc est, ab æterno *idem*, *idemque* æternum futurum, diserte docuit, quum alibi, tum potissimum in libris *de cælo* (*a*). Quod & Censorinus *de die natali*, & Lactantius, & veteres aristotelicæ philosophiæ interpretes omnes confirmant, præcipue Simplicius, qui ex instituto id egit. Legi possunt que de hac re copiose & docte disserit Jacobus Thomasius de *Exustione mundi Stoica* (*b*). Nec tamen ingenitum universum voluit, sed potius a Deo, *æterna & suprema* mente, factum:

(a) *In* 1. *cap.* 19. (b) *Dissert.* 4.

ctum: sed factum tamen ab æterno. Id in octavo physicorum librorum sic conatur probare. Quidquid fit, actione aliqua, seu motione fit: ejus vero actionis & motionis principium aliquod *activum*, *motivum*, *causa* sit oportet. At ea causa aut ab alia propellitus, ut moveat, aut ipsa sese determinat. Dicere causam hanc ab alia determinari, ducit nos in progressionem causarum, quarum alia ab alia movetur, infinitam, quod esse nequit: quippe si quælibet, ut moveat, ab alia est adigenda ad motum, nulla quum sit prima in infinita serie, nec ulla profecto movebitur, aut movebit. Ergo prima quædam causa est, quæ ipsa se, aliaque omnia movet. Jam vero hæc causa aut ab æterno continua perennitate movet, aut quamquam non ab æterno movit, deinceps ad movendum se ipsa incitat. Posterius, inquit, hoc esse nequit: nam si statuas tempus fuisse, quum hæc causa non movet, intelligi non potest, quænam eam deinde ratio commoverit, ut moveret: ab *inactione* enim ad actionem nulla res suapte natura sine ulla ratione & causa transire potest. Quocirca, concludit, causa isthæc æterna ab æterno movit, atque ab æterno opus suum fecit. Qua ratione (nam his exemplis utuntur veteres Peripatetici quam libenter) si sol æternus fuisset, æternum fuisset lumen: si ab æterno objectum lumini fuisset corpus, fuisset & ejus umbra æterna: si cretæ pes ab æterno hæsisset, æternum ejus fuisset vestigium. Atque hæc talia sunt, ut facile intelligamus universi productionem factam a Deo, ex Aristotelis sententia, *naturali quadam necessitate*, ut perspecte observat Thomasius: atque idcirco præivisse Aristotelem Spinozæ, quod plurimis probat Walchius in dissertatione *de Atheismo Aristotelis*. Hujusmodi autem erroris origo hinc & in Aristotele & in Spinoza petenda, quod uterque *intrinsecas* Dei actiones cum *extrinsecis* imperite miscuerit. Illæ enim procul dubio *æternæ* sunt, *necessariæ*, *immutabiles*; quandoquidem ipsa Dei sunt *essentia*: non item istæ, quæ liberæ sunt, Deique voluntati subjectæ. Sed ea de re dicetur alibi (*a*). Illud in hoc philosopho singulare paradoxum est, quod, ut ego quidem arbitror, crediderit, Deum non movere agendo, sed attrahendo exsistentem jam ma-

(a) *Vide diss. de mundi origine.*

teriam, qua attractione hanc rerum universitatem procreatam putavit. Vide quæ dicta sunt in 1. p.

Ceterum *sublunatorem mundum* ex quatuor elementis constare, *terra*, *aqua*, *aere*, *igne* docuit Aristoteles. Terram in centro universi immobilem statuit (*a*) eo potissimum argumento, quod gravia ad centrum universi graviteut; gravitant vero ad centrum telluris; telluris igitur centrum est universi centrum. Cujus argumenti quum propositiones manifesto sint falsæ, quantum ei sit pondus, vel rerum physicarum tirones noverint. Legatur Galilæus in *Dialogis mundi*, & Abrahamus Gravius *in historia philosophica* (*b*), quo in loco aristoteleas hac de re argumentationes profert. Jam *ignem elementarem* sub lunæ spæra statuit, in quo, ut in aliis plurimis, imperitiam rerum physicarum patefecit; ita ut mirum sit tam absurdam opinionem potuisse a tot præclaris Peripateticis per plura secula defendi. Salse Burnetius (*c*) ignem hunc *fatuum* appellat. At *mundum cælestem* ex nullo horum quatuor elementorum compactum, sed ex *diviniore quadam materia* (quam idcirco quintam vocat substantiam) *eaque immutabili* constitutum docet. Atque quinta hæc *materia*, *essentia*, *substantia* adeo Aristotelis est propria, ut in Aristotelis vita, quæ sub Ammonii nomine exstat, in *physicis hoc esse Aristotelis præcipuum* scribatur. Rem ædepol negotiosam! (1) Quid igitur faciemus igni celesti ac lumini, quæ certe mutabilia sunt? Quid novis stellis, aut veteribus, quæ aliquando evanuerunt? Nihil hic de maculis solaribus dico, quæ si aut vapor ac fumus, aut scoriæ sunt solis, totam illam quintam Aristotelis ὑσιαν pervertunt. Sed fieri potest, ut minuti sint planetæ, quod non admodum absurde aliqui opinati sunt.

Persequamur autem externum hunc universi apparatum. Cælos solidos atque adamantinos esse vult: Stellas vero instar

(a) *Lib. 2. de cælo c. 13. & 14.*
(b) *Lib. 4. cap. 16.*
(c) *In Arch. lib. 1. cap. 13.*

(1) Quid si ea voce πυρ chaldaicum atque Pythagoricum accepit? Nam qui potuit non & ipse Pythagorica doctrina imbui? Certe Deum in suprema spæra ponit, eumque igneum. Hinc hominum mentem advenire docet, & ipsam ignem hunc quintæ naturæ.

instar clavorum aureorum in laquearibus orbium defixas, aut potius densiores partes suorum orbium: libro enim *de cælo* 2. *t.* 7. aperte docet *astra* ejusdem esse naturæ, cujus sit corpus, in quo sunt fixa. Planetas sua natura lucidos efficit: cometas inflammationes esse non ultra mediam aeris regionem genitas (*a*): *Galaxiam* esse meteorum (*b*). Quæ adeo sunt inepta, ut me pœniteat *genii hujus naturæ*, nec tam quod ita pueriliter in astronomicis balbutiverit, quam quod veterum quædam acute observata velut deliramenta superbe contempserit; ipse vero, magnus ille, si diis placet, physicæ instaurator, tam deridicula substituit, ut habeamus unde affatim pueris risum captemus. Tam in physicis profecerat Aristoteles, ut *plebeis oculis*, inquit perbelle Burnetius, *naturæ phenomena contemplatus sit!* Quid, quod in ipsa terra ne generalia quidem explicuit? qualia sunt motus maris, phaenomena magnetica, metallorum & mineralium vires & compositiones, & quæ ejusdem sunt generis plurima.

Perscrutemur porro intimiorem universi structuram, prout eam Aristoteles tradidit: nam in hoc potissimum aristotelica physica occupata est. Tria esse docet universi principia, *materiam*, *formam*, & *privationem*. Displicebat nimirum ei & *unum* illud Eleatensium (*c*), & Anaxagoræ ὁμοιομέρεια & Democriti infinita atomorum turba, ut ne quid dicam de Pythagoræ numeris, quos ille, ita ut sonant verba, semper accepit, & risit. Contendebat, ut Plato, principia universi debere esse contraria: nam principia sunt, *quæ neque ex se mutuo, neque ex aliis sunt sed ex quibus sunt omnia*. Talia sunt *prima contraria*, quæ *prima* quum sint, ex aliis esse nequeunt: quumque *contraria* sint, non possunt ex sese invicem exsistere (*d*). Concludit hinc esse *tria*, quorum duo sint contraria *privatio* & *forma*; tertium sit commune utriusque subjectum, quod *materiam* vocat. Materiam neque generari, neque corrumpi vult: eam esse *unam*, *infinitam*, *immutabilem*, *simplicem*, ut Plato, docet: ex ea tamen, & in ea *formas* omnium rerum generari. Nec vero formas esse

D 2 aut

(a) *Lib.* 1. *Meteor. cap.* 6.
(b) *Ibidem cap.* 8.
(c) *Phys. lib.* 1. *cap.* 3. & 4.
(d) *Ibidem cap.* 5.

aut *alterationes*, aut *commutationes partium*, quod *Eleatenses*, & *Democritici* docuerunt, sed *substantias*, & το τι ην ειναι, *quo quid est esse*. Hinc in libris de *generatione* & *corruptione* veteres oppugnat, quod generationem & corruptionem per solam transmutationem partium explicabant, ignoratis *formis substantialibus* (1). Legatur hac de re acute disputans Eduardus Corsinus (*a*), & Bruckerus (*b*).

De *materia* Aristotelis *prima* infinitas agitarunt Peripatetici

(a) *In Physica disp.* 4. *cap.* 3. §. 2.

(b) *In hist. de ideis sect.* 1. §. 9. *Et in magna hist. Phil.*

(1) Tam mordaciter disputatum est in Scholis de formis hujusmodi substantialibus seu potius *naturalibus* (nam ita perpetuo vocat Aristoteles ut ab *artificialibus* distinguat) ut Gisbertus Voetius non dubitaverit asserere, *formarum substantialium negationem scepticismo, & atheismo viam pandere*: quum Cartesiani Malebranchianique e contrario tuerentur, doctrinam formarum substantialium pantheismi & atheismi esse propriam. O mira hominum ingenia! Quamquam affirmatissime dicere possumus, neminem minus quid hæc verba *formæ substantiales* significant, intellixisse, quam eorum quondam, qui tam contentiose, tamque obstinate ea de re disputarunt, Veteres potius paullo clarius de his Aristotelis formis videntur sensisse. Plutarchus *de Placit. phil. lib.* 1 *cap.* 10. post descriptas Socratis atque Platonis ideas velut *substantias a materia sejunctas*, addit: *Aristoteles species quidem, & ideas reliquit, sed neutiquam a materia sejunctas*. Ex Plutarchi ergo sententia Aristotelis formæ substantiales ipsæ sunt *substantiales* Platonis *ideæ*, sed in materia inhærentes ac *activæ*. Quum Aristotelis formæ sint insitæ in materia activæ virtutes nec ab ea separabiles, necesse est, ex Plutarchi sententia, ideas platonicas esse substantias incorporeas, corporibus tamen adsistentes, sed ab iis separabiles. Nec id est inverisimile, quum similia docuerint Chaldei, a quibus accepit Pythagoras. Origenes in eadem fuit opinione. Simplicii quoque testimonio idem confirmat Bruckerus (*Hist. phil. de ideis*, *sect.* 1. §. IX.) qui velis remisque in eamdem pergit sententiam.

Formas autem istas εντελεχειας appellavit Aristoteles (*lib.* II. *de anim. cap.* I.) novo prorsus, ceterisque antiquioribus Græciæ scriptoribus inusitato vocabulo. Cicero legisse videtur ενδελεχεια, quocirca vocem illam interpretatur *insitam motionem & perennem* (*Tuscul. quæst. lib.* 1. *cap.* x.). Legatur Angelus Politianus in *Miscellaneis cap.* 1. qui ita omnino legendum, & in Cicerone, & in Aristotele contendit. Id autem, & probatum est Leibnitio, & officio hujusmodi formarum est consentaneum: sunt enimvero activitates etiam ex Aristotelis doctrina, eaque re ab artificialibus differunt, quæ suapte vi & natura nihil agunt. Quumque id ita in ceteris rebus esse possit, in plantis & animantibus per se est manifestum quandoquidem viventium animæ *sunt naturæ sese percientes*, a quibus animantis motiones omnes proveniunt. At Peripateticorum turba omnis dissentit, veteresque refragantur Aristotelis codices, in quibus magna consensione εντελεχεια legitur. Adeatur Walchius *de Atheismo Aristotelis cap.* 3. *sect.* 3. §. 2. sed & id poscit hujus philosophi systema: is enim habet formas pro ultimis complementis corpo-

tetici turbas. Averroistæ materiam hanc primam esse voluerunt *solam potentiam*, *actum purum*, *solum Deum* (legatur Joan. Picus Mirand. in Apol.) Videntur igitur hunc in modum cogitasse, si quid in re tam obscura videre licet. I. exsistere ab æterno extensionem quamdam *immensam*, *simplicem*, *immutabilem*. II. ea *purum esse actum* (ενεργειαν) *primumque actum*. III. in ea gigni *naturæ necessitate formas* omnes corporeas, adeoque esse eam formarum omnium universi *primum subjectum*, hancque esse *materiam primam*, *naturam*, *Deum* (1). Quod quum placuisset pluribus Italis aristotelicæ philosophiæ interpretibus, in primis Vanino, hinc natus est teterrimus ille tot aristotelicorum atheismus, *naturam esse Deum*. Legatur Buddeus *de atheismo & superstitione*, & vita Lucilii Vanini Roterodami gallice edita 1717. Illud verisimilius, si recte aristotelica doctrina accipitur, similia de *materia* prima cogitasse Aristotelem, quam quæ cogitavit Joannes Lockius, qui *spatium reale*, addita vi resistendi, evadere corpus censuit (*a*). Sed hanc vim, seu *naturam*, haud Stagirita satis clare a Deo, & quidem *trahente*, distinguit. Quæ omnia magis etiam confirmant, quod superius audacter diximus, præivisse Spinozæ Aristotelem.

De malorum origine a ceteris paganis philosophis haud dissentit Stagirita: malorum omnium materiam esse caussam arbitratur. Sed illud de penu suo addit, id ex lege *oppositionis* fieri. Mundum, resque ullas mundi, sine partium oppositione quadam & pugna constare non posse: ea ex pugna esse mala. Veteres pagani omnes *fortunæ* sæpe

 mala

(a) *Acosta nota* 2. *ad* §. 18. *c.* 10. *l.* IV. *de intell. human.*

corporum naturalium, qui genuinus est sensus vocabuli *entelechiæ*. Scribit Crinitus *de honesta disciplina*, Hermolaum Barbarum, ut ejus vocis potestatem disceret, malum Genium advocasse, eamque reddidisse *perfectihabiam*, quod nec necessarium, & fabulosum esse probat Naudæus (*Apol. virorum magiæ suspect. cap.* XIII.) Scaliger (*exercit.* 80. *sect.* 4.) existimat vocobulum hoc compositum ex εν, quod sit anima in omnes artus infusa, & ita pars compositi, & τελος, quod sit finis, & perfectio; & ex εχειν, quod possit producere omnes operationes & motus: quod item verum est: est enim forma το αιτιωδες, ut loquuntur Stoici. Sed piget hic repetere quæ in *tertia parte* dicta sunt.

(1) De Aristotele hæc scribit Clemens Alexandrinus *admonitione ad Gentes* ad hanc rem quod attinet. Των ὁλων ȣ νοησας τον πατερα τον καλȣμενον ὑπατον, ψυχην ειναι τȣ παντος οιεται, τȣτ᾽ εςι την κοσμȣ την ψυχην Θεον ὑπολαμβανων &c. idest, *supremum universi patrem minime intelligens, animam esse mundi putat, idest, Deum pro anima mundi accipiens*, &c.

mala tribuunt. Sed in eo discrepant, quid hæc sit *fortuna*. Sepe φυσιν, πρωτην ουσιαν, νουν, μοιραν, αναγκην, ειμαρμενην, τυχην una miscent, ut primam causam spectare videantur. Sæpe causam alteram a prima, materia tamen conditam. An vim materiæ insitam? Nam φυσιν hanc interdum appellant. Aristoteles id se nescire fatetur in II. *Physicorum*. εισι δε τινες, inquit, οις δοκει ειναι μεν αιτια η τυχη. *Sunt quibus videtur esse fortuna causa efficiens*. αδηλος ανθρωπινη διανοια, ως θειον τι ουσα, και δαιμονιωτερον, *& tamen intellectui humano minime manifesta; quippe divina quædam res est, & egregia*.

Non puto supervacaneum conspectum errorum Aristotelis, quem jam Patricius, mox Gassendus, tum Burnetius proposuere, velut hujus historiolæ coronidem adnectere.

I. Mundum æternum esse statuit ex utraque parte, ingenitum nempe, & incorruptibilem, ac naturæ necessitate a Deo genitum.

II. Cælos solidos & eodem tempore in contrarias partes actos.

III. Materiam cælorum divinam, *quintessentialem*, immobilem.

IV. Fixas esse densiores partes suorum orbium, & planetas lucidos sua natura (1).

V. Lucem nec corpus esse, nec qualemcumque motum corporeum, sed energiam diaphani (2).

VI. Sub concavo lunæ ignem latere elementarem.

VII. Galaxiam esse meteorum, & cometas itidem, ultra mediam aeris regionem non evectos.

VIII. Terram hærere immobilem in centro universi.

IX. Sursum & deorsum in natura fundari secundum rationes immutabiles.

X. Formas rerum animatarum esse substantiales, & qualitates sive affectiones corporum ab eorum modis prorsus distingui (3).

XI. Sensationem fieri per species intentionales.

XII. Rarefactionem & condensationem fieri per incrementum, & decrementum extensionis in materia.

XIII. Providentiam infra lunam non descendere. Quod ei

(1) Hoc Aristoteli per invidiam imponi existimo.

(2) Et hoc Renatus docuit, qui ætheris motum esse lumen censuit.

(3) Hoc & restituit Leibnitius, & admodum est naturæ rerum consentaneum.

ei aperte tribuitur (invitis ceteroquin operibus genuinis, quæ supersunt) in opere περι κοσμυ.

XIV. Animam esse entelechiam (vocem, ajunt, barbaram & ambiguam) & immortalitatis dubiæ.

His dictis addit: *vale Stagirita; semper mihi eris malus astronomus, theologus pejor, physiologus pessimus*. Hæc Burnetius. Ego, quod ad me attinet, fateor, horum plurima Aristoteli, viro ceteroquin docto, idcirco affigi, quod ejus scripta, ob genium hominis aut natura abstrusi, aut arte, non satis intelligantur. Nam sane, quis putaverit virum acutum, ad systemata factum, tot secum ipsa pugnantia sentire potuisse? Sed & superioris ævi disputationes, & scholarum odia eorum plurima peperere, resistentibus hominis libris. Nam quæ errat in theologia Ethnicorum hominum conditioni tribuas, quorum nemo fuit, qui puram divinitatis notionem habuit.

§. V.

De Secta Stoica.

Stoici aut ab Antisthene, aut, quod fama vulgatius est, a Zenone Cittiæo habent originem (*a*). Stoicorum secta in moralibus magis est audienda, quam in physicis: ut enim in illis profusi, ita in his, ut magna seculi socratici philosophorum pars, admodum parci: in utrisque tamen nimium subtiles, ac fere ultra communem hominum sensum, ut æquo justius metaphysici solent. Rem omnem Stoicorum physicam paucis complexus est Buddeus in *epitome historiæ philosophicæ* (*b*). Stoicorum igitur de universo dogmata ad hæc refert. I. *Mundum hunc componi ex materia, & anima mundi, quo nomine ipsum Deum, hoc est ignem purissimum intelligebant*. II. *Cuncta fato regi, cui ipse Deus sit obnoxius, fati nomine rerum omnium immobilem, & immutabilem ordinem intelligentes, aut vicissitudinem necessariam mundi creati, & increati*. III. *perpetuas mundi esse periodos ita, ut hoc mundo per ignem destructo, & ad statum mundi increati reducto, novus prodeat per seminales rationes, qui idem fatum sit subiturus*.

(a) *Laertius lib. 7. segm. 1.*
(b) *Cap. 4. §. 38.*

IV. *mundi materiam simplicem, informem, atque immotam ab æterno extitisse, semperque extaturam*. V. *solem purissimum esse ignem, uti & cetera astra*. VI. *lunam ad terræ naturam accedere*. VII. *astra non errantia cum universo cælo circumvolvi, errantia vero propriis motibus cieri*. VIII. *animum hominis divinæ essentiæ esse particulam, hoc est animæ mundanæ, quæ in sideribus purior sit; unde ex cælo & æthere advenire, & hac essentia iterum tandem uniri*. Hæc ille: quorum quædam sunt, quæ paullo uberius sunt explicanda.

Primum omnium Stoici, ut docet in *Zenone* Laertius, *principia* ab *elementis* distinguebant: *illa enim*, inquit Plutarchus, *& nunquam orta esse, & numquam interitura: elementa autem in mundi exustione peritura*. Principia duo activum unum, idest Deum, *passivum* alterum, *materiam*. *Dicunt Stoici nostri*, inquit Seneca (*a*), *duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant, causam* (Deum, quem paucis post *rationem* vocat) *& materiam*. Materiam *pure passivam* facere, *inertem*, sine ulla aut vi, aut motu, simplicibus constantem partibus, ut a corporibus, quæ *principiata* vocarent Scholæ, secernerent. *Materia huic Deum, principium activum* ubique præsentem esse, cum ea compenetrari, ejusque esse *animam*, & naturam. *Quid est aliud natura*, inquit Seneca (*b*), *quam Deus, & divina ratio toti mundo & partibus ejus inserta?* & in secundo naturalium quæstionum (*c*), *vis*, inquit, *Deum naturam vocare, non peccabis: est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus* (1). Hujusmodi autem *Deum* & *naturam* ita definit, ut eum dicam *ignem esse artificiosum ad gignendum progredientem*, uti Cicero in secundo de *natura deorum* nos docet. Quod ita, ut dicebant, intellexere, quippe qui *nullam substantiam prorsus incorpoream* agno-

(a) *Ep. 65.* (b) *Lib. 4. de benef. cap. 7.*
(c) *Cap. 45.*

(1) Ut apud Latinos *natura* sæpe est id, unde aliquid *nascitur*, *causa scilicet efficiens*: ita apud Græcos φυσις est a φυω, *gigno*, *pario*. Hinc φυτον, *planta*, quod nascatur. Hanc *naturam naturantem* dixere Scholæ. Tota ferme græca philosophia hanc naturam το πυρ esse, aut igneæ naturæ sibi persuaserat. Hinc Pindaro olympion. 7. sol dictus γενετλιως ακτινων πατηρ, *genitivus radiorum pater*: idque (sol) ut *cælum* sæpe non poetis solum, sed philosophis quoque Ζευς, Jupiter, est a ζεω, ferveo. Inde *dies noctesque a Jove*.

agnoverunt, ut pluribus demonstravit Lipsius (*a*). Porro naturam hanc & *fatum* quoque appellabant, ut nos docet Laertius (*b*), cui similia habet ex Chrysippi mente Cicero (*c*). Fati autem hujus nomine *æterna, & ex necessitate naturæ manantia Dei decreta*, quæ *in ordinatas* universi *& necessarias motiones abirent*, intellexisse videntur. Quam rem, quum valde sit perplexa, neque paucis explicari possit, multis vero extra oleas esset, omittam. Sed patet ex his pauculis, non injuria censuisse & Jacobum Thomasium in dissertationibus *de exustione mundi stoica*; & Buddeum, de *atheismo & superstitione*, *spinozismum* in hac stoicorum doctrina contineri. Saltem, ut ego arbitror, plurima, quæ spinozismi sint fulcra: nam alioquin quædam sunt in Spinoza, quæ, nisi verba fœde intorquere velimus, veterum nemo dixit. Conferri potest & Cudworthus *in systema intellectuali*.

Sed longe tamen alia videtur existimasse Lipsius: nam in Stoicorum pronœa, non necessitatem fatumque causæ seu æternæ rationis, sed christianam reperit providentiam, immutabili quidem cursu progredientem, sed non ita, ut Deum quoque fato subjiciat. Quam ego controversiam iis intactam relinquo, qui sibi omnia deficere putant, obi sit aliquod in veteribus, quod nondum satis expediverint. Ego quæ satis apud vetustos auctores intelliguntur, libentur accipio: quæ illi ita disputarunt, ut nolle intelligi viderentur, inurbanum esse existimo, nimium impudenter sciscitari. Hoc igitur in stoica philosophia certum exploratumque habeamus, mundum hunc aliquando cœpisse, non suapte natura exsistere (1).

Sed

(a) *In phys. stoic. lib. 2. cap. 45.*

(b) *Lib. 8. segm. 135.*

(c) *Lib. 1. de nat. deor.*

(1) Quid veteres Græciæ populi *Fati* nomine intellexerint haud est, ut dixi, tam facile definitu; propterea quod vetusti poetæ, a quibus illorum thologiam haurire nunc licet, perpetuo historiam, & physicam cum theologia miscent, *deos historicos*, seu primos coloniarum conditores, cum mundi auctore, aut dæmonibus, aut mundanis viribus; consilia postremo deorum historicorum cum voluntate supremi numnis, aut cum naturæ effectis. Id constat ex utroque Homeri poemate, Hesiodo, antiquisque Tragœdiis. Ex. gr. Cum Hesiodus (op. & d. v. 56. & seqq.) scribit τον νομον, *hanc legem a Jove positam hominibus, ut justitiæ obtemperent*: aliam vero piscibus, feris, avibus, εσθειν αλληλους, *ut se mutuo devorent*; manifestum cuique esse debet, hic

Jovem

Sed & illud in Stoicorum physiologia celebratum est, per-

Jovem aut pro rerum conditore accepisse, aut pro *natura*; nam νομος, quam memorat nihil aliud est, quam cujusque rei conditio ac constitutio. At idem Poeta *in Theogonia* Jovis adversus parentem Saturnum civile bellum describens, Jovis nomine nec hunc communem rerum auctorem intellexit, nec naturam, etsi gigantum nomine montes ignivomos, quibus circumdatur in hac Italiæ parte, accepisse videri possit. Observare idem licet sæpe in Homero.

Clericus notis ad Hesiodi theogoniam adnotavit ignotum vetustis Græcis vocabulum τυχη, quo recentiores Græci plurimum utuntur, & quam sæpe *fortunam*, aliquando *fatum* interpretantur Latini; eosque usos voce μοιρα, quæ frequentissima est, ut & verbo μειρω, ac μειρομαι, quod *partiri*, *dividere* generatim significat. Sed tam illud quam hæc cum eodem sensu videntur primum accepta: nam ut τυχη est quod alicui in partem suam contingit tam bonum, quam malum: Ita μοιρα, & μορος id designat, quod cuique tributum est seu boni item, seu mali, cœpitque, ut videtur, in usu esse, postquam græcæ gentes agros sibi divisere, quod innuit Hesiodus. Sed & verbo πεπρωμαι, & πεπρωμαι, *prædefinire*, *prædeterminare*, nomineque πεπρωμενη utuntur. Est autem πεπρωμενη, quasi πεπρωμενη βουλη *præfinitum consilium*, *prædeterminatum*. Quo sensu *fatum* est *quidquid ab alto*, *& ex destinato venit*, ut loquitur Seneca Tragicus. Sed duæ hic suboriuntur quæstiones 1. quid illud *ab alto* est, unde fata veniunt, 2. immutabilia ne sint, an mutabilia. Poetæ illi veteres, oracula, populi, βουλην των θεων *voluntatem deorum* pro fato habent. Hinc vates, & oraculorum sacerdotes dicuntur θεσπατα λεγειν *aperire*, *revelare*, *patefacere fata & movere sortes*, quum consulentibus respondent. Ergo fatum voluntas erat deorum, quorum vires humanas gubernari omnibus antiquis populis persuasum erat. Sed cum tam sæpe in Homero, Hesiodo, Herodoto, tragicisque poetis legamus & deos quoque fatis subesse, *me quoque*, inquit Jupiter apud Lucanum, *fata regunt*; necesse est ut existimemus, veteres nationes duo fatorum genera distinxisse, alterum deorum illorum genitorum Cæli, Telluris, Saturni, Jovis, Apollinis, &c. alterum superioris potentiorisque alterius potestatis. Deos illos Cælum, Tellurem, Saturnum, Jovem, Apollinem, Dianam, Plutonem historicos esse deos, aut potius primos Thessaliæ reges e familia Titanum, qui coloniam illam in Græciam intulerunt, pluribus ostenderunt, Bochartus in Phaleg. & Clericus notis ad Hesiodum. Horum consilia *fata* erant *humana* subditis, προσταγματα quasi dicas *ordinationes* regum illorum. Hæc alteri fato eminentiori suberant. Sed illud alterius superioris potestatis *fatum* non facile dixerim quid apud illos imperitos stupidosque mortales significet. Mundum ex chao, seu ex mundano spatio, emersisse supremæ alicujus mentis consilio ac potentia omnibus vetustis nationibus, confusis licet notionibus, erat persuasum. Posset igitur quis pro ejus mentis consiliis, ac voluntate, quibus totum mundi systema regitur, fatum illud divinum illis acceptum fuisse existimare. Sed plura sunt, quæ hunc sensum incertum redunt. 1. Prima gentes paganæ, Ægyptii, Phœnices, Arabes,

perpetuas *esse mundi* ἀποκαταστασεις, seu vicissitudines, interi-

bes, Assyrii, Joni, Græci non unam ac simplicem divinitatem coluisse videntur, sed plures, ut ignoremus, plurium ne deorum consilia in fatis habuerint, an unius. Scio in contrarium tendere plurimaque eloquentia ac doctrina id demonstrare velle Bolingbrokium in *III. specimine philosophico*, monotheismum scilicet apud omnes illos populos antiquissime ac a primis initiis obtinuisse. Id mihi quoque ita videtur. Sed veram hanc notionem, statim corruperint necesse est: veteres enim, quas ejus ætatis habemus, memoriæ ac traditiones, non modo profanæ, sed sacræ id testantur. Nam Abrahami tempore, paullo scilicet post diluvium, Chaldæi idololatræ erant: erant & Ægyptii; ut etiam ex historia sacra primæ populorum extra tribum Judaicam origines cum idololatria cœpisse videantur. Monotheismus igitur posteriorum aliquot doctorum philosophica fuit religio, non popularis, de qua hic nunc agimus, 2. *materiam & chaos* posuerunt æterna. Ignoramus autem quam vim efficiendi, ac generandi iis dederint. Nec inverisimile est putare, eos arbitratos a Deo quidem procreatum ex chao fuisse mundum, sed non nihil etiam chaos ipsum per se ingenita vi (φυσει) fecisse; quum & Ægyptii recentiori adhuc tempore memoraverint animantia & homines ab humida tellure prosiliisse. Hinc Timæus Locri materiam αναγκην vocat. Ergo, si has notiones animo recolamus, fatum illud potuit esse 1. consilium unius supremi Dei, 2. consilium plurium numinum, 3. vim & efficaciam materiæ in plerisque cum divino fato junctam, in aliis solam. Quis nunc dixerit quid horum illi intellexerint. Præsertim quum poetæ, antiquioresque philosophi, perpetua illa prosopopœa, qua usi sunt, quaque omnes naturæ partes deificarunt, omnia obscura & incerta efficiant.

Poetis, excultis jam populis, philosophi advenere. Eorum plures soli materiæ vim fatalem tribuerunt, ut Democritici, & Epicurei apud Græcos alii primæ menti & materiæ, ut Pythagorici & Eleatenses. Alii soli propemodum menti, ut Stoici. Quæ item magna sunt in obscuritate posita, idcirco, quod non satis philosophi illi curaverint inter utrisque causæ efficaciam probe distinguere, quod animadvertit Aristoteles. Sed ipse Aristoteles, ex platonicis scilicet unus, quantum φυσει, quantum αιτια dederit pol mihi Œdipus erit qui nitide explicaverit: dum, ut supra vidimus, ne ipse quidem quod genus causæ fuerit τυχη, dicere potuit. Hinc apud antiquos paganos nullum vocabulum magis est æquivocum, ambiguum, dubium, incertum, quam fatum, seu poetice, seu civiliter, seu philosophice accipias.

Altera vero quæstio immutabilia, necne, fata habuerint, bipartita quoque est. Nam homines nullo modo vim fatorum evadere posse, si eos excipias, qui in castris Epicuri militaverunt, omnes ad unum usque credebant. Quin ne Epicurei quidem, qui fatalem atomorum vim satis agnovisse videntur. Ipsi dii minores illis subjecti erant: hoc modo esse irrevocabilia arbitrabantur. Sed an primus fati conditor ac servator & ipse ei subesset, ut non liceret illud mutare, non satis apertum apud antiquos esse ajo. Sæpe ita loquuntur ut supremæ mentis libertatem agnovisse videantur: sæpe illam nescio cui αναγκη subjiciunt. Hæc apud plerosque, etiam ex philosophorum tribu, aliquando est ὑλικη αναγκη *materia fatum*, φυσις, *natura*, ut nequeat Deus efficere quidquid vult. Notum est omnibus hanc esse Platonis doctrinam,

terire nempe veterem, hinc ex ejus λογοις σπερματικοις *rationibus seminalibus*, seu potius *animatis seminibus* vi luti ex cineribus phœnix, alium prodire. Stobæus (*a Zenoni*, inquit, *Cleanthi*, & *Chrysippo placet*, *mutar naturam in ignem*, *ut semen*; *idque rursus perfici & deduci in eamdem*, *quæ obtinuit antea*, *mundi compagem*. Hanc naturæ revolutionem παλιγγενεσιαν των ολων, *rege nerationem cunctorum* appellat Marcus Antoninus Imperator, ejusque sæpius meminit. Meminit & ejusdem Stoicorum dogmatis Origenes *in quinto contra Celsum*, & Eusebius *in decimoquinto præparationis*. His autem vicissitudinibus, quæ ab æterno pluries factæ sunt, fientque in æternum, cura tamen supremæ mentis, ut Cicero docet in secundo *de nat. deorum*, mundum perennem fieri docebant Stoici. Ita *natura* seu *mens* materiam permeat atque pervadens *æterni fati* legibus, seu *æternis rationibus* eam aut compaginat, aut dissolvit, *totumque hoc*, *quo continemur*, *quodque*, ut loquitur Seneca (b), *unum est*, & *Deus*, *cujusque & socii sumus*, & *membra*, hæc vi aut in concinnam machinam distribuitur, aut in chaos convolvitur & perturbatur. Adeo veteres traditiones temere interpolabant, aut in conjecturis suis balbutiebant Stoici. Quæ quum cogito, subinde subit animum, vix ullum fuisse inter paganos philosophum, cui pura, simplex, nitida sine ulla erroris mixtura Dei notio sederit animo: ut non sine ulla ratione veteres christiani apologistæ atheos sæpe habuerint. Legatur qui his de rebus ex instituto disseri Jacobus Thomasius *de exustione mundi stoica* (c).

§. VI.

(a) *In Eclog. Phys. lib.* 1. *cap.* 24.
(b) *Ep.* 92.
(c) *Dissert.* 9.

nam. Aliquando est interna, qualis apud Aristotelem: Deus enim, ut homo Macedo philosophatur, ab æterno materiam movet, ac intrinseca naturæ suæ necessitate movet. Apud plerosque Deus prima mundi causa est ignis, qui suapte natura ac necessario mundum pervadit, agitque, ut apud Heracliteos, & Stoicos. Quæ eadem videtur fuisse chaldaica doctrina, ut superius adnotatum est. Adeo apud non antiquas modo gentes, sed primos ipsos ac subtiliores Græciæ theologos Dei notio, mundique origo fabulis ac impietate depravata fuit. Quisquis hæc cum iis notionibus confert, quas de Deo, deque mundi origine christiani habent, non ipse per se animadvertat, quam inutiles fuerint philosophorum conatus ad veram religionem constituendam?

§. VI.

De Secta Eleatica.

TRium græcanicarum philosophiæ veterum sectarum, enarratis jam iis quæ ad Jonicam, & Italicam pertinent, una restat Eleatica, de qua, ut cœpimus, pauca. Ejus originem sectæ a *Xenophane Colophonio* repetitur: at quum aucta plurimum atque illustrata sit a *Parmenide* & *Zenone Eleate*, *Eleatica* est dicta. Fuit autem Elea duplex, una nostræ Lucaniæ quam digammate eolico addito, Veliam vocavere Latini: alia Minoris Asiæ urbs in Mysia majore, Lucanicam sectam Asiaticæ fuisse parentem magna scriptorum pars sentiunt. Exoptata, an inventa prædicant? Utcumque sit, duarum ac illustrium sectarum alumna hæc nostra *magna* fuit *Græcia*, *pythagoricæ*, & *eleaticæ*. Nihil perplexius in historia philosophica, quam Eleatensium de rerum origine & constitutione doctrina: nam & nulla Eleatarum supersunt monumenta; & qui de illorum philosophia litteris aliquid tradiderunt aut minus ea intellexisse videntur, aut non sincere enarrasse. Cicero in secundo Academicarum quæstionum, *Xenophanes* inquit, *unum esse omnia dixit, neque id esse mutabile & id esse* DEUM, *neque natum unquam, & sempiternum, conglobata figura.* Dissimilia habet tamen Sextus Empiricus (a) *Xenophanis* nempe *dogma fuisse universitatem esse* unum, *& Deum rebus inesse omnibus: esse autem rotundum, & nullis passionibus obnoxium & immutabilem, & rationalem* (1). De Melisso vero & ipso Eleatensi scribit Laertius

(a) *Pyrr. hypoth.* I.

(1) Veteres testes, ut ego quidem arbitror, corrumpunt, qui Xenophanem inter pantheistas referunt, quum, si vera sunt, quæ antiqui tradunt, is satis aperte demostraverit se Deum mentem a Deo mundo sejunxisse longissime, etsi illum mundum pervadere sensserit. Sexti verba sunt, ex Xenophanis sententia, *Θεον ειναι δε σφαιροειδη, και απαθη, και αμετάβλητον, και λογικόν*, sed tamen *συμφυη τοις πασιν*, *naturam esse omnium* (sic enim interpretor) idest vim ac efficaciam rebus omnibus præstare, quomodo & Stoici ipsi loquebantur, & veteres poetæ, qui *Deum ire per omnia* dixerunt. Hæc qui componi possunt cum eo mundo, quod ex quotuor elementis coagmentatum censuit Xenophanes? Hic enim mundus nec immutabilis est, nec *λογικος*. Timon apud eumdem Sextum

tertius (a) positum ei universum infinitum, immutabil immo-

(a) *L. 9. segm. 24.*

tum laudato loco ἐπ' ἀνθρώπων Deum vocat, longe scilicet a natura humana dissitum, totumque esse ait θεωρητον, & νοημα, *totum mentem*, aut *ipsam mentem*, aut *totum animum*, *totum animi*, ut loquitur Plinius, quod in mundum non quadrat, nec in mundi partes. Apud Clementem Alexandrinum strom. v. & hinc Euseb. præp. *XIII.* 13. locus exstat pulcherrimus Xenophanis ipsius

Εις Θεος εν τε Θεοισι και ανθρωποισι μεγιστος

Ου τι δεμας θνητοισι ὁμοιιος, ὐδε νοημα.

Deus est hominum deorumque maximus

Qui nec sui extensionis natura nec mente, mortalibus similis est.

Qui autem sunt illi θεοι, quibus similis nullo pacto est, nec κατα δεμας, idest suæ naturæ extensione, nec intelligentia Deus? Nempe Dei naturales, sol, luna, tellus, astra, cetera, mundus denique. Sed *rotundum conglobata figura*, ut vertit Cicero, efficit Deum suum Xenophanes: ei auditum, visum ac reliquas tribuit αισθησεις. Tribuit hercle vero. At non menti, verum *Deo mundo*; aut si illi, haud certe id ut κατα λεξιν mihi persuadere possum. *I.* id si esset & reliquis diis, & homini aliquatenus esset similis, quod ille, magna veterum consensione, negat. *II.* non esset *totus mens ac infinita*, quod ille tamen rotundis ait verbis. *III.* ea ætate tota theologia enigmatica erat, metaphorica, poetica. Adhuc Homeri & Hesiodi stylus vigebat: a quo vix cavere poterat Xenophanes, qui & poeta fuit, & physicam carmine docuit. Hæc non in Xenophane solum, sed in omnibus illis vetustis physicis locum habent. *IV.* & το σφαιροειδης, si primo Deo tribuit, possumus allegorice interpretari, ut *undequaque perfectum absolutumque* significet: quomodo Horatii illud, *totus teres atque rotundus*, *instar sphæræ*, nempe ut loco exempli sphæram ab eo adhibitam existimemus, quo illud explicaret, quod de Xenophane ut Aristoteles, ὁμοιον ειναι παντη, *sibi per omnia esse similem*, ut nihil sit in illa natura *concretum nihil varium*, *nihil multiplex* sed sit adeo per omnia sibi æqualis, ut sphæræ radii. Hoc satis indicat Aristoteles ipse, qui ex Xenophanis sententia non crude rotundum esse Deum scribit, ὁ παντη δ' ὁμοιον οντα, σφαιροειδη ειναι, *sed undequaque similis qui sit, sphæroidea esse*, idest sphæræ naturam habere. *V.* Xenophanis Deus finitus non est, si eidem Aristoteli credimus, sed nec infinitus ουτ' απειρον, ουτε πεπερασμενον. Hæc pugnantia videntur Baylio (dict. art. Xenophanes). Sed ea ita sunt intelligenda, ut dein alia item pugnantia, ουτε ηρεμειν ουτε κινησθε Deum, nec *quiescere* nec *moveri*. Enimvero nec motus nec quies *proprie* de mente æterna ac infinita dici queunt, quum sint affectiones corporum. Eodem modo ex veterum philosophorum loquendi formulis απειρον, & το πεπερασμενον de iis rebus dici proprie possunt, in quibus est natura capax terminorum. Ac απειρον est id, quod destituitur περασι, terminis: πεπερασμενον autem, seu termini iis rebus tribui nequeunt quæ non mole, sed virtute magna sunt. Hæc ut sibi consentiant, necesse est το σφαιροειδη non proprie sumi de prima mente, sed ad ea translata de Deo mundo. *VI.* Ipse Ari-

immobile, unum, sibi ipsi simile, ac plenum, *motumque non esse, verum videri esse*. Plato quoque in *Sophista* testificatur positum Eleatensibus *universum immobile, quod non habeat, locum, in quo moveatur* (*a*). At quasi repente scena conversa, scribit Laertius, Xenophanem *quatuor rerum omnium elementa statuisse*. Sextus vero Empiricus, *omnia* ex *terra fieri*, velut Xenophanis dogma refert (*b*), Stobæus *aquam* quoque addit (*c*). At Parmenides *ignem*, & *terram*, *illud activum passivum* hoc (*d*). Quæ pol qui composuerit, næ is Œudipo acutior fuerit.

Qui igitur hæc interpretantur in diversa abeunt. Joannes Christophorus Wolffius *ad Origenis philosophumena*, Nico-

(a) *Vide Aristotelem in eodem libro de Zenone, Xenophane, & Gorgia*.
(b) *Advers. Phys.* 1. *& alibi*.
(c) *Ecl. Pybs. cap.* 24.
(d) *Laert. l.* 9. *cap.* 22. *Bayle Dict. art. Xenoph.*

Aristoteles hoc, Deum omni ex parte *videre, audire, sentire*, quod ait Xenophanes, ita dictum suspicatur, ut explicaret, qua ratione Deus sit ὁμοιος παντῃ *per omnia sibi similis*: cur non eadem ratione per modum similitudinis sphæram adhibuisse dicamus (*Vit.* Postremo si statuamus, æternum vacuum, mente & vita perfectissima præditum Deum a Xenophane habitum, ut ab Henrico Moro, & a Newtono, omnia sibi constare intelligemus 1. non esse corpus, 2. non esse finitum, neque infinitum veteri loquendi formula, quia, ut ipse ait Aristoteles, *infinitum id est, quod finis capax, finem non habet* (ibidem) *& infinitum est in quantitate*, non in ουσιᾳ *substantia* (idem physic. lib. 1. cap. 3.) 3. non moveri, id enim pugnat cum tali natura: sed nec ηρεμειν, idest *nec nihil agere*: quia quum sit in omnibus rebus, omnibus vitæ ac motus causa est, qua ratione dicitur φυσις, *natura*, 4. παντῃ esse ὁμοιον, homogeneum scilicet, non secus ac sphæræ raddii plene sunt sibi similes, 5. non esse nec diis vulgaribus, nec hominibus similem, nec κατα δεμας, idest extensione immensitate, nec mente; nam nec corpus habet, nec organa sensuum: omnis tamen omnia videt, audit, sentit, idest intelligit toto se omnia, 6. universum ex iis factum esse, quæ ingenita sunt, igne, terra, &c. quia ex nihilo nihil fit: sed factum tamen vi Dei per omnia commeantis, 7. hoc universum *unum* esse, continuatione scilicet & prima *essentia*, idest prima materia, hoc, que proprie rotundum, 8. nihil in mundo substantiarum generari, aut corrumpi, sed sola primorum elementorum copulatione, aut dissolutione fieri omnia: adeoque generationes & corruptiones substantiarum videri quidem, sed illusiones esse. Horum pleraque videntur cum iis pugnare, qui ibidem Aristoteles adversus Xenophanem disputat: sed is ipse fatetur obscure fuisse illa a Xenophane scripta. Quid si is obscuriora reddierit? Conveniunt tamen cum iis, quæ reliquos Eleaticos docuisse constat. Meminerit autem lector & me in re dubia opinari.

Nicolaus Hieronymus Guldlingius, Petrus Bælius (*a*) Joannes Franciscus Buddeus *de antheismo & superstition* (*b*) inter phantheistas Eleaticæ sectæ philosophos referunt non alia, inquiunt, ratione intelligi illud potest, *unum esse omnia, idque esse Deum*. Enim vero recentiores phantheistæ non alia loquuntur lingua, uti superius demonstravimus. Sed & Aristoteles ita Eleatensium id enarrat dogma, ut hoc ipsum confirmare videatur. *Parmenides*, inquit, (*c*) *omnium rerum unum esse principium, & id immobile docuit: unum porro omnia, & ens infinitum esse: quidquid vero est præter ens, id non esse: ens vero unum esse; quidquid ergo præter unum sit, id esse nihil: omnia ergo unum esse* (1). Equidem ajo, si phantheistæ fuissent Eleatæ, clarius sententiam suam explicare non potuisse: at ut id asseveranter affirmem, unum illud prohibet, quod mihi persuaserim, plura & esse a vetustis horridius, & poetice dicta, quæ nimium urgenda non sunt, & omnes mundum Deum habuisse, genitum tamen. Ac vero *Deum esse omnia*, & Deum esse *naturam* omnium plurimos quoque veteres christianos dixis-

(a) *In dict. art. Xenoph.*

(b) *Cap.* 1. §. 19. *& in histor. Phil. cap.* 4. §. 47. *&* 48. *Scire tamen oportuit veterum* Deum genitum, *idest mundum, ab ingenito, seu mente, secrevisse. Vide Tim. Locri.*

(c) *In* 1. *Phys. cap.* 2.

(1) „ Idem Aristoteles in I. „ metaph. 4. Quo demonstrat, „ Parmenidem aliquid de causa ef- „ ficiente pulchrum ac sublime sen- „ sisse, hunc ejus versum recitat

πρωτιστον μεν ερωτα θεων μητισατο παντων,

„ quem & in Sexto Empirico le- „ gimus *lib.* IX. *adversus physicos* „ I. & Stobæo in *Eclogis physicis tit.* 12. Plato quoque eum „ memorat in convivio. Eum sic „ vulgo vertunt

Ante deos omnes primum produxit amorem.

„ Sed vel imperiti rerum græ- „ carum viderint, interpretes vim „ græci verbi *μητισατο* nullo mo- „ do τῳ *produxit* reddidisse: num- „ quam enim apud veteres *μητιαω*, „ ac *μητιαομαι*, nisi quum ali- „ quid consulto ac meditate fit, „ occurrit. Quum ergo ex Par- „ menidis mente (cui Hesiodum „ Aristoteles adjungit) *ερως* fit „ *efficiens* atque *moderatrix* mun- „ di causa, quod Stagirita, & „ Sextus juxta agnoscunt (*το τι οθε ἡ κινησις*); hic *amor της* „ *mens* erit, aut a *prima mente* „ progenitus: nulla enim res *con-* „ *silio* efficit quidquam nisi mens. „ Aristoteles quidem citato loco, „ veteres omnes in hac physiolo- „ giæ parte aut ignorantes fuisse, „ aut obscuros, aut admodum par- „ cos, invidiose disputat. Quod „ duo effecere, I. phantasia poe- „ tica, qua sua dogmata incrusta- „ runt. II. quod in physicis na- „ turales tantum causas explicare „ se profiterentur.

dixisse reperias, quæ non idcirco ita sunt dicta, ut eadem ab hujus seculi pantheistis dicuntur. Cavendum est in veterum interpretatione, *ne vocibus antiquis novas affigamus notiones*. Id interim non eo inficias, non Eleatenses modo, sed Græcos ferme omnes philosophos, si, quod alias dixi, sibi esse consentanei voluissent, pantheitas futuros fuisse: ita enim sæpe loquuntur, ut nescias, qua alia re Deum a mundo distinxerint, præter effectricem vim, at ut id diserte voluerint, id vero est, quod non constare affirmo. Accedit quod narrationes superius memoratæ sibi ipsæ adversantur, si acri judicio expendantur. Quis autem sibi persuaserit, viros non prorsus ineptos dogmata manifesto pugnantia docuisse? Nec vero de naturæ minutiis, sed de toto, ut ajunt, esse. Qua in re qui sibi pugnantia persuadet, is caret sensu communi: extra rationale genus vagatur: fundamentum enim humanæ rationis hoc axiomate continetur: *nihil quod manifesto secum pugnet, verum esse posse*.

Jam vero de cælo, corporibusque cælestibus id notatu dignum reperitur in decretis Xenophanis, *infinitos esse soles in immenso cælo, & infinitas lunas nostræ non dissimiles: nostram vero habitari, eamque esse terram multarum urbium & montium*. Vide *Philosophumena* Pseudo-Origenis (*a*), & Ciceronem in *Academicis quæstionibus* (*b*). Hæc haud dubium, licet antiquiora, quippe Orphicis communia, ostendunt tamen, magnam animo Eleatenses universi imaginem, & præclaram gessisse, nec, quod μικρόθυμοι *pusillanimes* philosophi fecerunt, omnia tellure conclusisse (1). Illud autem quid sibi velit, non intelligit Burnetius, quod ex Parmenide narrat Laertius, homines ἐξηλιυ, *ex so-*

(a) *Cap.* 14. (b) Lib. 4.

(1) „ Venit hic in mentem „ Lactantii, quem ego virum „ quantivis facio: sed nollem tamen in tanta, ac tam bona „ causa, quam tuebatur, extra „ provinciam, nulla necessitate „ coactum, tam sæpe prosiliisse, „ non semper iis instructum copiis, quibus oportebat. Hic „ igitur quum lib. III. 23. hoc „ Xenophanis dogma commemorasset " *stultissime*, inquit, „ *credidit . . . . intra concavum lunæ sinum esse aliam terram, & ibi aliud genus hominum simili modo vivere, quo nos in hac terra vivimus*. „ Atque „ hæc licuit in utramque partem „ disputare. Sed quo eam rem „ ludibrio exponat, consequentia, ut solet, appingit refricatque sæpe ". *Habent igitur illi lunatici homines alteram lunam, qua illis nocturnum lumen*

le natos. Itaque suspicatur legendum ἐξ ἰλύος *ex limo*. A utrum-

---

lumen exhibeat, sicut hæc exhibet nobis. „ Sint, necne, in reliquis „ astris incolæ viderint alii; sed „ certe nulla naturæ ratio vetat „ esse. Ac si (*ex hypoth.*) sint, „ lunatici homines suam & ipsi „ lunam nosse possunt, tellurem „ nempe, quæ necesse est ita illis „ luceat, ut nobis luna. Vir in „ philosophicis disciplinis hospes „ omittere tot astronomica, ma„ thematica, physica potuit in „ bona, ut dixi, causa, ne pa„ rum sibi constantibus ratiociniis „ illam apud graves philosophos „ labefactaret ". *Jam*, addit, *fuisse Seneca inter Stoicos, ait, qui deliberaret, utrum ne soli quoque suos populos daret*. „ Tum „ hos multo sale defricat. Id ta„ men non magis absurdum est, „ quam aquis animantia tribuere. „ Quid prohibet esse corpora ignea, „ ut sunt terrea? Animam huma„ nam esse ignem hic noster Ni„ comediensis Rhetor diserte do„ cet: ait enim lib. II. 12." *quod si anima ignis est, ut ostendimus*, &c. „ Dæmonas igneas „ esse naturas veteres alii theologi „ docuere, ut ostendit copiose Pe„ tavius. Hæc ego pro ingenii „ humani commentis habeo. In„ terim ea ostendunt, Stoicos, „ qui animas & ipsi igneas fece„ re, non debuisse perridiculos „ Lactantio videri, quod dubita„ verint " utrum ne soli quoque suos populos darent.

„ Hæc demonstrant, quam im„ prudenter ii faciant, qui philo„ sophicarum disciplinarum ignari „ philosophos adoriuntur, ac præ„ claram alioquin causam argu„ mentorum levitate produnt. Sed „ illud lepidum, quod eadem con„ fidentia cap. 24. illos adunco „ naso suspendit, qui terram ro„ tundam, in aere pensilem ac „ undequaque habitatam statu„ runt. Est enim aliud in rebus „ humanis certius? Huic tamen „ monstra sunt: puerilis phantasis „ imaginibus experimenta ratio„ nesque mathematicas pervertere „ confidit ". *Est*, inquit, *quisquam tam ineptus, qui credat, esse homines, quorum vestigia sint* SUPERIORA *quam capita?* „ Si „ *superius* id intelligit, quod tel„ lurem tangit, non vidit & nos „ ipsos vestigia superiora gerere „ quam capita? Si cælum vocat, „ illi terram premunt ut nos, ac „ cælum capitibus spectant ". *Fruges & arbores* DEORSUM *versus crescere?* „ Hic *deorsum* ac„ est & cælum. Nonne autem & „ nostræ *deorsum* versus crescunt"? *Pluvias, & nives, & grandinem* SURSUM *versus cadere in terram*. „ Sursum terram hic spectat. Plu„ viæ ergo nostræ, & nives, & „ grando cælum petunt "? *Et miratur aliquis hortos* PENSILES *inter septem mira narrari, quum philosophi & agros, & maria, & urbes, & montes* PENSILES *faciant?* „ Quid hic sibi vult *pensiles*? nempe cacuminibus „ versus cælum prominentibus. „ Quid autem nostri, nonne in „ cælum prominent? Itaque hic „ cum sensibus pugnat. *Sed illa* „ pejora, quibus omnem naturæ „ rationem pessundat ". *Quæ illos antipodas ratio perduxit? Videbant siderum cursus in occasum meantium: solem atque lunam in eamdem partem semper occidere, atque oriri semper ab eadem. Quum autem non perspicerent, quæ machinatio cursum eorum temperaret, nec quomodo ab occasu ad orientem remearent ...... existimaverunt rotundum esse mundum, sicut pilam, & ex motu siderum opinati sunt cælum volvi*. „

Hanc

utrumque fortassis Parmenides docuit, *calore nempe solis ex limo genitos homines*, quod præter alios Ægyptii ipsi, ut superius enaratum est, tradebant. Sed utcumque sit, mirum est persuasum esse potuisse philosopho ulli, animal tam sagax, tamque providum ex inerti tellure gigni potuisse, nisi si totam materiam animatam, ac sensu & ratione præditam existimaverint, quod absurdius quoque est. Interea fatendum est majus etiam delirium esse illud, quod Lucilius Vaninus dialogo XXXVII. prodit ex simiarum, porcorum, & ranarum putredine genitum primum hominem.

Quum furor haud dubius, quum sit manifesta phrenesis.

Nam est qui bilem hæc legens cohibere possit?

§. VII.

De Secta Democritica.

AD italicam æque ac eleaticam sectam referunt historici & Democriticos, qui vetustæ hujus physicæ historiolæ agmen sunt clausuri. Abderites magna veterum con-

Hanc igitur cæli rotunditatem illud sequebatur, ut terra in medio sinu ejus esset conclusa. Quod si ita esset, etiam ipsam terram globo similem. „ Quis non recte ita „ conclusisset? Nihil exploratius ". *Si autem rotunda etiam terra esset, necesse esse ut in omnes cæli partes eamdem faciem gerat.* „ Necesse hercle vero ". *Quod si esset, etiam sequebatur illud extremum, ut nulla sit pars terræ, quæ non ab hominibus ceterisque animalibus incolatur.* „ Nihil evi- „ dentius ". *Sic pendulos istos antipodas cæli rotunditas adinvenit.* „ Est hæc complexio talis, „ cui nemo vel mediocriter in his „ disciplinis versatus non adnecte- „ ret Q. E. D. Ille interea *por- „ tenta* appellat. Adjicit ". *Quod si quæras ab iis . . . . quomodo non cadunt omnia in inferiorem illam cæli partem, respondent, hanc rerum esse naturam, ut pondera in medium ferantur.* „ Est „ quidquam evidentius? Sublata „ enim lege gravitationis nullus „ reliquus est in universo globus „ cælestis: in chaos abit mundus. „ At is hæc *stulta*, & *vana* „ appellat, aitque " interdum putare aut joci causa philosophari, aut prudentes & scientes mendacia defendenda suscipere. „ Quid „ si hic illud Horat. in Art. quis „ reponant?

Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

„ Adeo vitare alienam artem pri- „ ma scribentis cura est. Secer- „ nenda ei fuit religio, quæ ipsa „ sui se veritate tuetur, ab astro- „ nomia, cujus necesse non est, „ ut omnes sint periti.

consensione perhibetur Democritus. Olympiade 91. floruisse, anno vero secundo olympiadis 93. obiisse, scriptum est in Eusebii Chronico: at apud Laertium dicitur natus olympiade 80. quod placuit & Stanleyo. Incerta omnia pronunciat Bælius (*a*). Fertur ultra centesimum annum vixisse. De ejus indole, institutione, peregrinationibus plurima multiplicique doctrina, quæ feruntur, omnia idem collegit Bælius. In confesso est, veterum omnium philosophorum longe acutissime in physiologiam, seu rerum corporearum naturam penetrasse Democritum. *Atomos*, & *inane* prima esse, ex quibus omnia sint conflata, docuit. Utrumque autem a Leucippo accepisse fertur (1). Atomos, idest *corpuscula insecabilia*, multitudine infinitas statuit; inane vero infinitum magnitudine (*b*). Leucippus

(a) *In dict. art. Democr.*

(b) *Plutarch. de plac. in* 1. *cap.* 18.

(1) De atomorum inventore quædam in superiori capite adnotavimus: paucula hic addenda non abs re putamus. Burnetius (*in Arch. lib.* 1. *cap.* VI.) Leucippo inventæ atomorum hypotheseos gloriam eripi non posse contendit. At præter ea, quæ de Mosco superius sunt dicta, viri plurimi longe Leucippo, & Democrito antiquiorem eam esse opinionem, conati sunt demonstrare. Edmundus Dickinsonus non Mosi tantum, quod & probat Huetius, hanc doctrinam traditam scribit, sed & Noacho, &, si diis placet, ipsis antediluvianis Patriarchis: certe a Noacho ad Aristotelem usque philosophiam hanc corpuscularum apud plerasque omnes nationes obtinuisse contendit. Democriti porro atomos Pythagoræ fuisse monades, haud dubitat. Sed & Radulphus Cudworthus *In Syst. Intell. cap.* 1. §. V. *& seqq.* idipsum omni, qui potest, conatu, & viris equisque, ut dicitur, confirmare studet, iis tamen rationibus, quibus id docto interpreti Mosshemio non persuadet.

Jam & de origine doctrinæ *de inani* par discordia. Non desunt, quæ litteratorum est ambitio, qui ab Adamo eam repetant: memoratum quippe in Scripturis *rakisi expansum*, *& thehon abyssum*, *& thohou vacuum*, *& blimah nihilum* (*Jobi* XXVI. XI. 7.) & quæ sunt hujusmodi. At hæc quum ex populari sensu sint dicta, hoc probant aerem vetustis populis *vacuum appellatum* (*vide Clericum in laudatum Jobi locum*, *& in caput primum Geneseos*). Enim vero ut sublimes has abstractasque notiones veteres homines non habebant, ita divinis Scripturis, quæ populariter *naturæ* res describunt, tribuendæ non sunt. Job sane non alia ratione pronunciat *terram fundatam* super *nihilum*, quam qua Ovidius in primo Met. canit, quod

. . . . . *circumfuso pendeat in aere tellus*
Ponderibus librata suis.

Et Manilius lib. 1.

. . . . . *quum pendeat ipse*
Mundus, *& in nullo ponat vestigia fundo*.

Græcos ergo philosophos hæc primum tradidisse non est quod dubitemus. Horum autem, quod ad vacuum spectat, historiam hunc ferme in modum exhibet Bælius *in dict. art. Leucip.* ex Plutarcho *de Placit. lib.* 1. *cap.* XVIII.

Nem-

cippus infinita hæc & insecabilia corpuscula in se invi-

Nempe a Thalete usque ad Platonem neminem fuisse, qui vacuum seu inane admiserit: II. Leucippum, Democritum, Demetrium, Metrodorum, & Epicurum vacuum & quidem infinitum statuisse. III. Stoicos censuisse nullum intra mundum esse vacuum, sed extra mundum esse vacuum infinitum. IV. Aristotelem docuisse tantum esse inane extra mundum, ut respirare posset cælum. At quod primo loco statuit Bælius, id oppugnatur ab Henrico Moro, & Josepho Raphson, qui a Pythagora vacui doctrinæ repetunt originem. Gassendus vero audacter negat ullum unquam Aristoteli statutum vacuum (*Phys. sect.* I. *lib.* II. *c.* 2.) Sed persequamur vacui historiam. Scholastici philosophi nullum esse in natura vacuum, illud etiam naturam horrere tenuerunt. At Galilæus, Torricellius, Petrus Gassendus vacui acerrime defensionem susceperunt. Interea Renatus Cartesius, atque numerosæ Cartesianorum cohortes ita induruerunt, ut nec fieri vacuum, nec ullam ejus intelligi ideam posse, contentione magna probare conati sint. His etsi alia ex caussa, aliisque rationibus, accessit senex Malmesburiensis Thomas Hobbius in physica. Illis ex adverso Angli plurimi, & docti quidem atque acuti philosophi Henricus Morus, Joannes Lockius, Isaacus Newtonus, Samuel Clarkius, Josephus Raphson, tum & plurimi Newtoni sequaces, Gravesandius Keillius, Musschembroekius denique, aliique numero propemodum infinito, ita se opposuerunt, ut jam omnia Europæis philosophis *vacua* videantur. Enim vero reipublicæ literariæ Rhadamanti quidem severo pronunciant ore, ita rem omnem Musschembroekium confecisse, ut vix friguttiat Momus. Quum ecce, quod minime timebatur, clarissimi philosophi Gotofredus Leibnitius, & Christianus Wolfius aliique non pauci, qui acutissime cernere dicuntur, quum omnia *monadibus* plena viderent, nullibi, nisi forte in Epicureorum sincipite, vacuum introspexerunt. Post electrica experimenta igne subtili & elementari totum mundanum spatium repleri suspicari novissimi physici cœperunt. Ergo certamina recrudescunt, ginitque iterum

Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

O miseras hominum mentes! o pectora cæca!

Jam ut eruditionem Democriti physicam tirones animo comprehendant, percensebo breviter libros, quos aut de rebus naturæ, aut de mathematicis scripsisse ex Trasyllo refert Laertius *in IX. Sect.* 45.

I. *Diacosmus magnus*, seu *de universo*. Hunc librum mirum in modum laudavit Tullius in Lucullo. II. *Diacosmus minor*. III. *Descriptio mundi*, seu *de mundi dispositione*. IV. *De planetis* quos plures esse, quam septem, ostendit. V. *De natura*. VI. *De natura hominis libri duo* Hippocrati dedicati. VII. *De mente & sensibus*. VIII. *De coloribus*. IX. *De differentibus figuris atomorum*. X. *De mutationibus figurarum*. XI. *De spectro*, *sive de providentia*, quo libro, formas Deorum, quæ animis occursant, divinitate præditas esse disputavit, ut ex Cicerone, Plutarcho, Augustino docet in Bibliotheca Græca Fabricius. Vide, quæ hac de re disputat Bælius Art. Democritus. XII. *De pestibus*. XIII. *Caussæ Celestes*. XIV. *Caussæ terrenæ*. XV. *De igne* XVI. *De Sonis*. XVII. *De Seminibus palmarum*, *& fructibus*. XVIII. *De anima-*

libus

invicem commutari, totumque pervadere inane, atque in sese mutuo incidere & implicari, indeque mundos generare docebat (*a*). Sed inane hoc non extra mundum, quod Stoicis placuit, & Aristoteli, verum per omnia interspersum admisisse Democriticos ex Philopono, Aristotele demonstrat Thomas Aldobrandinus ad laudatum Laertii locum. Jam æternas esse atomos, & ab æterno vi motrice præditas opinatus est Democritus; quem etiam singulis atomis quamdam veluti animam & sensum tribuisse ex Plutarcho de *placitis philosophorum* (*b*) conjicit Bælius in *dictionario* (*c*). Id si Epicurus, ceterique ex hoc grege philosophi admisissent, minus absurde adfirmaturos fuisse, ex plurium atomorum complexu animam sensumque gigni posse, observatum eidem Bælio laudato loco: inanimatis enim, inquit, constitutis atomis, qui ex earum plurium congerie anima, sensusque fiat, ut his philosophis placuit, intelligi nulla ratione potest, quod & Plutarchus adversus epicureum colorem argumentatur. Sed quod non videtur Bælio observatum, *rationales* item & *liberas* atomos oportebat statuisse Democritum, si sibi cohærere voluisset; alias enim gravissimæ illæ difficultates, quas Bælius memorat citato loco, sartæ tectæque remanent, uti facile ostendi posset, si historiolæ hujus ratio pateretur. Scilicet, ut disputat Aristoteles, tam ex nihilo fit, quod ex nullo præcedente fit subjecto, quam quod ex eo subjecto, in quo minus est, quam quod sit; quod cum horum quoque philosophorum subjecto pugnat. Is vero, qui intelligentes & liberas atomos statuisset, ex mentibus corpora componi docuisset. Quis leni animo tam delira capita passus esset? Ecquem lusissent hujusmodi philosophi?

Ato-

(a) *Laert. lib. 9. seg. 30.*
(b) *Lib. 4. cap. 4.*
(c) *Art. Leucippe not. E.*

libus libri tres. XIX. *De lapidibus*. XX. *De Metallorum natura*, His accedunt mathematica, de *contextu Circuli*, & *Sphere*, de *Geometria*, de *Numeris*, *Astronomia*, *Uranographia*, *Geographia*, *Polographia*, *Actinographia*, & infinita alia Mechanica, Musica, Poetica, Medica, de quibus diffuse Stanleyus *in Democrito cap. VIII*. Quod cum recogito, totque aliorum geometriæ, astronomiæ, physicæ librorum Ægyptiorum, Phœnicum, ac in primis Græcorum jamdiu deperditorum recordor, illud subit animum, *multa renascentur, quæ jam cecidere*.

Atomorum ex Democrito proprietates duæ *figura*, & *magnitudo*. Figuræ quidem infinitæ sunt angulares, non angulares, rectæ, rotundæ, leves, asperæ, hamulatæ, curvatæ (*a*). Quantum ad magnitudinem adeo exiguas esse atomos voluit, ut omnino oculis sint imperviæ. Statuit eas præterea ita solidas, ut *individuæ* sint, atque neque pati, neque alterari queant. His accedit atomorum motus ex insita atque æterna vi motrice perpetuo manans. Moventur itaque atomi in *infinito inani*, in quo nihil est summum, nihil infimum, nihil extremum, uti Lucretius plurimis demonstrat argumentis. Hoc motu, qui ex Democrito semper est obliquus, colliduntur atomi, aut separantur, atque ita res omnes efformant. Hic idem motus, quippe æternus, & necessarius, *fatum* est Democrito, & providentia (*b*). Discrimen autem rerum ex atomis conflatarum a *figura*, *situ* & *ordine* atomorum repetunt Leucippus & Democritus. Ergo in explicandis rerum *generatione*, *corruptione*, *alteratione*, non ad ullas *formas substantiales*, seu *vires primitivas*, sed ad coagmentationem, dissolutionem, perturbationem atomorum corpuscularis philosophiæ auctores confugiunt: coagmentatione enim fit generatio; dissolutione corruptio: perturbatione alteratio. Aristoteles in *primo de generatione & corruptione* hoc potissimum argumento hanc oppugnat doctrinam, quod generatio & corruptio, si nihil novi producatur, a se non differant: itaque *ad formas* confugit *substantiales*. Cui argumento quantum sit ponderis, se quidam recentiores ignorare fatentur: nam & discrimen, inquiunt, *generationis*, & *corruptionis* ea *coagmentatione*, & *perturbatione* est in democritica philosophia manifestum: & refert parum sit necne, hujusmodi discrimen, quando nullam in natura *substantiam* ex nihilo generari gravissimæ demonstrant rationes. Quid si quis reponat, ne alterationes quidem concipi posse sine viribus aliquibus materiæ inhærentibus? Sed ego narrare institui, non disputare.

In explicanda autem atomorum natura in quibusdam a Democrito dissentit Epicurus: addit enim & tertiam proprietatem *pondus* seu *gravitationem*; & atomorum mo-

(a) *Arist.* 1. *de gen. & corrup.* *Laertius in* x.
(b) *Stob. Ecl. Phys. cap.* 8.

tum duplicem facit, *rectilineum*, & *declinationis*: quæ commentus, ajunt, est & quia rectilineo gravitatis motu fieri corpora non posse vidit; quoniam parallelæ ferrentur eo motu atomi: & ut ne libertatem ab universo auferret, si motum tantum *rectilineum indeclinabilem* statuisset. Rectilineum motum a vi atomorum derivat: itaque vi naturali fertur atomus, semitamque rectilineam conatur describere (*a*). Vim autem istam atomis ingenitam atque intrinsecam esse vult (*b*). At in eo & Lucretius & alii Epicurei ingenium valde torquent, undenam alter ille motus, seu *declinatio*, quæ ipsissima vidteur quibusdam Newtonianorum *vis centripeta*, nascatur. Cicero enim in primo *de finibus* gravissime eam ob rem Epicurum reprehendit, quod *motum* induxerit sine causa, quod est hominis plumbei in Physicis ingenii. Plutarchus certe, & Laertius eas Epicureorum proferunt rationes, quas tirones ipsi riserint, ut *quod atomus magnis intervallis resultat*; *quod spatiis brevibus pulsa repulsave quasi concutitur palpitatque*, quæ qui interpretetur pol iste *magnus mihi erit Apollo*. Scio quosdam *a vi attractrice* hanc declinationem repetere atque blandiri sibi, in Epicurea physiologia *vires gravitationis*, & *attractionis*, reperiisse. Lucretius aperte *pondus* hanc vim vocat. Utrum revera in his Epicureorum viribus *rectilinea*, & *ponderis*, vires centripetæ & centrifugæ Newtonianorum contineantur, paullo prolixius explicitum est in notis ad Mousch. §. 551. edit. Neapol.

Jam ex Democrito mundi in infinito inani sunt infiniti secundum omnes circumstantias, uti auctor est Plutarchus de *placitis philosophorum* (*c*). Horum nonnulli inter se non solum similes, sed undique perfecte & absolute ita pares sunt, ut inter eos ne minimum quidem intersit, ut tradit Cicero (*d*); omnes vero & generantur & corrumpuntur (*e*). Sol & luna ex lævibus componuntur corpusculis *vertigine circumactis*, ut cartesianos vortices legere possis, quod fusius Huetius in *censura philosophiæ Cartesianæ* explicuit. Luna planities continet, montesque, & val-

(a) *Lucret. in* 2. *v.* 217. *Cic. de finib. in* 1.
(b) *Lucret. in* 1. *v.* 93. *Laert.* 10. *seg.* 43.
(c) *Lib.* II. *c.* 1. (d) *Academic. quæst. l.* 4.
(e) *Laert. in* 9. 44.

valles (*a*). Jam vero, si interpretanti Burnetio credimus, agnovit Leucippus motum terræ circa suum axem: & in prima telluris origine & formatione, quum massa fluida in corpus globosum subsidebat, ait hunc globum membrana quadam circumductum fuisse cetera omnia continente: quam membranam udam primum & limosam, postea induruisse: quæ Ægyptiorum sunt cosmogoniæ consentanea. Id præterea tribuit Leucippo, memorasse eum, situm telluris mutatum olim fuisse (1): quod ex Plutarcho simul

---

(a) *Pult. de plac.* II. 25.

(1) „ Eclipticæ *declinatio* seu „ angulus, quem hæc linea cum „ circulo æquinoctiali efficit, nunc „ gr. 23. & 29^{I}. ex *de la Hire* „ supputatione, mutabilis ne sit, „ an constans, non convenit in„ ter primi subsellii astronomos. „ Purbachius, Reinholdus, Regio„ montanus, Copernicus, Rheti„ cus, Tycho, Longomontanus, „ Snellius, Landsbergius, Bullial„ dus, recentioresque alii quam„ plurimi, mutari arbitrati sunt. „ Quasi sopitam eam quæstionem „ excitavit Eugenius de Louville „ in commentariis Academiæ Pa„ risinæ anni 1716, & in disserta„ tione *de mutabilitate Eclipticæ* „ edita in Actis Eruditorum Li„ psiæ an. 1719. Tantæ ac tam „ gravis rei Eratosthenis præcipue „ & Pytheæ veteres observationes „ veluti fundamenta adscita sunt. „ Eratosthenes anno ante Christum „ 230 angulum eclipticæ admen„ sus, reperit g. 23, 51^{I}, 20^{II} „ Pytheas vero anno ante Chri„ stum 224 supputat g. 23, 52^{I}, „ 41^{II}. Adjici his possunt obser„ vationes Hipparchi, qui æram „ christianam antevertit 140 annis, „ cui magnitudo eclipticæ fuit g. „ 23, 51^{I}, 20^{II}. Ptolemæus quo„ que anno 140 post æram vulga„ rem, reperit g. 23, 51^{I}, 20^{II}. „ Quum Posterioribus seculis mi„ nor repertus ab aliquibus sit: „ conficiunt, hunc angulum quot„ annis descrescere. Louville mi„ nutum unum singulis seculis im„ minui credidit. Ita fit ut intra „ 140000 ferme annos Ecliptica „ coincidere debeat cum circulo „ æquinoctionali. Ergo 560 000 „ retro annis per polos transibat. „ Totum igitur ejus circuitum intra „ 2000 000 annorum perfici oportet.

„ Qui mundi æternitatem sibi „ persuasere hæc avide exceperunt. „ Quibus ex rebus hæc conficiunt. „ I. Ita intelligi qui terras polis „ subjectas incoli potuere, & qui„ dem patientibus tantum frigus „ geluque hominum pecudumque „ corporibus: eæ enim terræ olim „ sub æquatore fuerunt; a quibus „ deinde sensim recedentes ad po„ los venere, paullatimque clima„ tibus, per quæ transibant, sue„ vere. II. Qui cultura omnis ab „ iis populis absit, ignotæque sint „ iis artes, litteræque, quod nul„ lus sit in iis climatibus hujus„ modi rebus locus. III. Tum qui „ non antiquiores epochas quidam „ populi adsciverint, præterquam „ initia ea, quibus in ameniora „ climata venere.

„ Quæ si quis pro somniis ven„ ditet, non repugno: ratione ta„ men non solum nulla fulciuntur, „ sed plurima refelluntur. Primum „ hanc eclipticæ ad meridiem ac „ perennem declinationem suspicio„ nibus magis, quam ullis certis indi„ tiis

simul & Laertio discimus; concluditque id ei difficile no fuisse, qui terram pendulam, & circa suum axem rota tam agnoverit. Ad hoc homines ex aqua & limo pri mum genitos esse ex Democrito tradit Censorinus (a), quæ Epicuri quoque sententia fuit. Animam ignem quemdam & calorem esse Democritus statuebat, eamque ex rotun dis atomis conflatam, quod & Epicurus deinceps, & Lu cretius in III. statuit. Hinc eam mortalem voluere. *In natura Deorum Democritus nutare videtur*, inquit Cicero (a).

(a) *De die natali cap.* 4.

„ tii prædicant. Nam si revera de„ clinet, qui Pytheas post Erato„ sthenem majorem angulum repe„ rire potuit? Qui Ptolemeus 370 „ post Eratosthenem annis eum„ dem ac ille angulum supputat? „ Itaque Ricciolus manifestæ osci„ tantiæ reos veteres illos coar„ guit. Neque ego concesserim ac„ curatiores fuisse observationes, „ quæ posterioribus seculis ad nos „ usque ab Arabibus Europeisque „ astronomis captæ sunt: nam im„ mane quantum inter se differunt. „ Nulla in iis hujusmodi imminu„ tionis constantia apparet. Vide„ re est hunc angulum, qui ante„ riori seculo minor repertus fuit, „ sequente reperiri majorem: de„ inceps iterum minorem: mox „ augescere iterum. Copernicus „ anno 1525 reperit g. 23, 28 I, „ 24 II: Rothmanus anno 1570 „ g. 23, 30 I, 20 II: Tycho 1587. „ 23, 30 I, 22 II. Qui quum con„ tinenter ex Louville calculo mi„ nui deberet, ecce autem Keple„ ri ævo, anno 1627. repertus est „ 23, 30 I, 30 II, idest octo se„ cundi major, quam Tycho ob„ servaverat.

„ Hæc satis aperte docent to„ tam hanc varietatem aut ab in„ strumentorum nata imperfectio„ ne, aut ab observatorum impe„ ritia, vel oscitantia. Quæ „ quum sint, ratione mihi desti„ tui videntur, qui quidquam in„ de certi, aut etiam verisimilis „ audacter concludunt. Caret igi„ tur fundamento hæc opinio, „ quod & Wolffius agnoscit, qui „ posterioribus seculis hanc litem „ excutiendam relinquit.

„ Quod si nos ad physica con„ vertamus, aliud absurdiora sunt „ ea, quæ isti disputant. Lapo„ nes, si hæc hypothesis vera est, „ 140 000 circiter retro annis, ad „ orientem solem sub æquatore vi„ xere. In eo climate omnibus „ artibus literisque exculti esse „ debuerunt. Ut ad polum veni„ rent, per intermedia loca lente „ transire debuerunt: in tanta len„ titudine necesse non fuit omnes „ artes litterasque deserere. Quin „ retinere aliquas potuere, quum „ Moscovitarum exemplo docea„ mur, non solum in temperatis „ climatibus, sed etiam in frigi„ dis, eas excoli posse. Ita fit ut „ & monumenta aliqua exstare de„ berent tantæ vetustatis. Memo„ ria saltem aliqua & traditio; „ quum nunc nulla sit. Kanaden„ ses & Groenlandi artes quas„ dam vitæ necessarias ab Euro„ peis

(*a*). Nullum alium admisisse Deum præter *imagines quasdam, aut simulacra a natura rerum emanantia*, scribit Sextus Empiricus (*b*); quod ita intelligunt plures, pro *vanis* antiquorum *imaginibus* traduxisse quæcumque de natura deorum dicuntur; in quo eum sectatus sit Epicurus, qui, ut gravissime Cicero, *verbo deos tenuit, re sustulit*.

Sed auctor libelli περι κοσμου, de mundo, qui Aristoteli tribuitur, cap. *6*, hæc ita videtur accepisse, ut quoniam *deorum plena sunt omnia*, hauriantur eorum spectra ab hominibus oculis, & auribus, reliquisque sensibus. Mihi certe (dicam fortasse hic, quod intolerandum in historia paradoxum videbitur lectori) nondum probavi Democrito in animum venisse, nullam esse universi caussam intelligentem, etsi non dubitem, non pro ejus majestate cogitasse. Nam quum physici hujusmodi naturalium caussarum curiosi, non, ut poetæ, deos in singulis naturæ phænomenis adhiberent, factum est, ut non satis, superstitiosis illis theologis placerent, atheique audirent, quod & Clemens Alexandrinus observavit. Quibus addo callide in vetusta græcæ philosophiæ lingua distinguendum inter το θεος & το θειον. Quum θεους memorant philosophi civiles ac poeticos fere semper intelligunt. Vix ullus fuit græcorum philosophorum paullo illustrior, qui hujusmodi deos, deasque non, ut merebantur, flocci facerent, θεον vero quum ajunt physici, aut Δια, aut τυχην, aut μοιραν, aut νουν, aut ειμαρμενην, aut φυσιν, primam mundi caussam, nisi populariter loquuntur, intelligunt. Omnes veteres tradunt Evemerum Agrigentinum αθεον fuisse: historiam enim scripserat, qua deridendo demostrabat *aut fortes & claros, aut potentes viros, post mortem ad deos pervenisse, eosque esse ipsos quos colere, precari, venerarique solebant*. Vide Ciceronem lib. I. de nat. deor. 41. & Sextum Empiricum I. adversus physicos.

(a) *De nat. deor.* I.
(b) *Adv. Mathem.*

„ peis docti sunt, satisque docte „ exercent: hujusmodi ergo cur a „ majoribus non retinuissent? Sed „ me quoque pudet tam ineptas „ fabellas serio refellere.

cos. Hæc erant vera, ipseque Hesiodus satis id in *Theogonia* ostenderat. Sed an idcirco mundi causam, mentemque negaverat? Scio id autumasse *Theophilum* ad Autolicum lib. III. sed ex veteri magis infamia, quam ex re ipsa. Hanc igitur loquendi rationem nec Ethnici pati poterant, nec, quum non animadverterent, nostratium plures, quicumque turbam deorum inter Ethnicos abstulerunt, eos atheos habuere. Sed hanc conjecturam in utram partem lector accipiat, haud in magno ponam discrimine.

Jam Democritici & Epicurei inane hoc & universum infinitum esse voluerunt. Ergo, quod erat consectaneum, nullum in eo centrum, contra quod voluerunt Peripatetici, posuerunt. Disputat hac de re Lucretius in primo de *natura rerum* elegantissime. Argumenta ejus huc redeunt. I. Quum dico universum, *omnia* dico.

Nunc extra summam quoniam nihil esse fatendum est,
Non habet extremum: caret ergo fine, modoque.

II. Si jam finem habere constituatur omne quod est spatium, si quis procurrat ad ultimas ejus oras, *jaciatque volatile telum*, aut extra volabit, aut consistet. Utrum dixeris, spatio fines demes:

Nam sive est aliquid, quod prohibeat, officiatque
Quo minus, quo missum est, veniat, finique locet se,
Sive foras fertur, non est ea finis profecto.

III. Si termini sunt spatio, extra quos ferri atomi nequeant, jam omnes ad unum centrum gravitant: id autem efficere debuit, ut

Ex infinito jam tempore subsidendo

unum occupaverint locum, massamque fecerint unam. Argumentum est pluribus obnoxium exceptionibus. IV. Res quaslibet aliis terminari videmus, terram aqua, colles, montesque aere: quo autem dicemus finiri spatium? Hanc rationem exsufflat Aristoteles in libello de *Xenophane &c.*

Pergit autem, atque ostendere conatur nullum esse in universo centrum.

Illud

Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi,
In medium summæ (quod dicunt) omnia niti ....
Nam medium nihil esse potest, ubi inane, locusque
Infinita .... Talia porro addit, quæ clarius etiam ostendunt systema mundanum democriticum, & epicureum simillimum esse cartesiano; quamquam Gregory pluribus Newtono dicat consentaneum. Compaginantur nempe in utroque atomi non *medii cuppedine vinctæ*, sed pondere, & declinatione. Quocirca nullus est secundum Epicureos in universo locus, ubi atomi non graviteut,

Nec quisquam locus est, quo corpora quum venere
PONDERIS *amissa vi possint stare in inani*;

sed semper conantur: ex quo fit, ut quolibet momento temporis possit universum dissolvi, atque ex oculis eripi, si Epicureis credimus. Sed video obscuritatem esse aliquam in hac Lucretii mundaria theoria. Vult Lucretius vim atomorum projectionis, seu centrifugam, nullum habere medium, quo feratur; in quo consentientes habet recentes philosophos, qui nullum centrum virium centrifugarum agnoscunt in immenso vacuo. At illud non explicat, an vis declinationis, quæ necessario centripeta esse debet, ad ullum feratur centrum, quod erat explicatu necessarium, ut intelligi posset mundum conflari.

Qui præterito seculo democriticam philosophiam instaurare ceperunt Maignanus in primis, & Gassendus, non eodem modo vetera illa accepere. Ac primum de natura *vacui* discordant, Epicureorum *inane* non metaphysicum, sed vulgare intelligit Maignanus, nempe pro subtilissimo corpore & fluidissimo, quale est æther, idque plurimis veterum exemplis confirmare nititur: quod, docti viri pace, est nolle videre, aut, si illud grave est, cæcutire. Sanius ergo hæc interpretatur Gassendus. Nec minor de natura atomorum contentio. Gassendus non negat atomos partes habere, saltem tales, quæ intelligi, & designari possint: itaque quod atomus dividi nequeat, non ejus tribuit simplicitati, sed soliditati, & omnis interspersi inanis defectui. At Maignanus post Lucretium, omnino simplices facit atomos: alioquin, inquit, si compositæ sint, rerum naturalium elementa esse nequeunt: elementa enim esse simplicia debent. Atque hanc eamdem opinionem sequuti sunt Leibnitius, &

Wol-

Wolfius, quemadmodum in sequenti capite explicitum erit.

CAP. III.

De Physiologia recentiorum.

§. I.

De litterarum interitu, earumdemque restauratione.

Videbantur græcanicæ litteræ ad summum ejus, quæ inter homines versatur, sapientiæ apicem pertigisse; nam non artes modo humaniores, sed sublimes ipsæ disciplinæ mathesis, theologia, physica, ethica, politica longe lateque per orientem, occidentemque provectæ erant, auctæque plurimum, defæcatæ, illustratæ, *Sed negatum summis stare diu.* Nam ecce repente mutata scena, barbarisque, & ne fando quidem antea notis gentibus aut ex oceano glaciali exciris, aut ex æthiopico, atque per cultas Asiæ, Europæ, Africæ ora effusis, veluti tetra quædam nox telluri incubuit. Itaque dicere id rursus hic possimus, quod de ævo suo Tacitus: *Coortæ Sarmatarum at Suevorum gentes, nobilitatus cladibus mutuis Dacus. Jam vero Italia novis cladibus, vel post longam seculorum seriem repetitis, afflicta. Haustæ, aut obrutæ urbes: fœcundissima Græciæ, Italiæque ora incendiis vastata, consumtis antiquissimis delubris: pollutæ cerimoniæ: plenum exiliis mare: infecti cædibus scopuli*: publica privataque omnia profanata jura: intermissæ artes: exustæ bibliothecæ ditissimæ, omnia vastante Ostrogothorum, Gothorum, Longobardorum, Wandalorum, Herulorum, Saracenorum, Turcarum fœda colluvie, seu ita humanarum rerum fatis vertentibus, seu, quod vero proximius, atrocibus malis nefanda Christianorum scelera Deo ulciscente. *Quis talia fando Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Ulyssis temperet a lacrymis?* Sed avertamus nos a conspectu malorum, quæ nostra tot per annos vidit ætas, & physiologiæ dogmata tota mente repetamus.

Ante annum 1453. unus erat omnem per occidentem philo-

philosophiæ vultus (1). Nihil enim aliud privatæ publicæque scholæ, præter unam Aristotelis doctrinam crepabant. Hic unus hominum magister philosophorum τυραννος audiebat. Quum hoc eodem anno Constantinopolis in Turcarum venisset dominatum, immanem barbariem, tyrannidemque veriti Græci plurimi, apud quos adhuc litteræ spirabant, magna copia per Italiæ amœnissima ora effusi, fuerunt benigne quum Neapoli, tum præsertim Florentiæ excepti. Ergo literas Itali purgare, polire, resti-

(1) In *occidente* inquam: nam toto illo tempore, quo has nostras regiones ignorantia & barbaries occupavit, ab octavo nempe ad decimumquartum seculum, literæ, quæ ut historia docet, peregrinari amant, magno in honore fuere ac longe lateque splenduerunt in toto Arabum imperio. Muhammedes quidem, ejusque primi successores præter politicas bellicasque artes haud videntur magno in pretio reliquas habuisse scientias. Sed postquam intra sexaginta ab Ægira annos & græci imperii magnam partem rapuissent, ac deinde scissa in partes regni vastitate, diversis in locis regnari coeptum esset, tum theologia, ethica, politica, medicina, geometria, astronomia, physica, poetica, eloquentia, artes denique ac scientiæ omnes magno fuerunt & in honore, & motu. Magna ac fœcunda ingenia græcos fere omnes libros in arabam linguam verterunt. Principes Ægypti Damasci, Persidis, Babylonis aliarumque ad orientem gentium, ipsi quoque Cordubensis imperii in Hispania accademias excitavere, doctos & eruditos homines undequaque accersivere, collegia constituerunt, omnesque humaniores artes, & disciplinas propagare magna inter se æmulatione studuerunt. Celeberrima fuit tota pene illa ætate litterarum sama Samarcandæ urbs ultra Oxum ad orientem Caspii maris sita. Babylonis scholas sæpe plura auditorum millia explebant, magnique doctores ornabant. Idipsum factitabatur Damasci, Aleppi, Cairi, Alexandriæ, Mosouli, Hispahan, aliisque in locis Arabiæ, vicinarumque gentium. Exstant hodieque tot illustrium Arabum monumenta in omni pene disciplinarum artiumque genere. Sed nulla in re fuere diligentiores, quam in historia, geographia, astronomia, medicina, poetica, adeo, ut quo tempore totus occidens præ horrore squallebat, immensa illa telluris pars veluti fugatas a Græcia atque Italia Musas & exceperat humanissime, & diligentissime nutriebat. Totius hujus rei monumenta quivis per se legere potest in Bibliotheca orientali Dherbelotti, iisque Gallis, Britannisque, qui nuper Arabum historiam accuratius tradidere, ac veteres Patrum nostrorum pertidiculas opiniones, quibus orientis regna illa agrestia, fera, imperita traducebant, dedicere. Sed imperium litterasque Arabas primum Genghiscam Tartarorum Dux, mox reliqui Turcæ, ac Ottomanni funditus pene dixerim everterunt. Vox hodie veteris tantæ claritatis evanida supersunt vestigia.

restituere cœperunt: inde Italorum ingenia excitata. Cœptum Aristotelis, Averroistarumque jugum excuti, & aut Platonica restituta, aut nova excogitata. Paullatim historia naturalis, anatomia, astronomia, mechanica aucta & illustrata. Instrumenta plurima physica, potissimum optica, inventa, queis naturæ aut longinqua, aut occulta detecta. Res infiniti operis esset, quæ sententiis naturalibus addita sunt, complecti, atque enarrare: nec disputationis hujus termini, quos mihi præscripsi, sinunt. Res est præterea adeo vulgata, ut qui hujusmodi sunt rerum studiosi, infinitam ubique scriptorum copiam sint habituri, Paucorum ergo, sed illustriorum, in extrema hac historiolæ nostræ parte, meminerimus. Interim legatur, si vacat, Christophorus Augustus Heumannus in *actis philosophorum*, & Morhofius *in polyhistore*. Quæ igitur restant ad quatuor capita conferam I. Italos, II. Gallos, III. Anglos. IV. Germanos.

§. II.

De præcipuis Italis, qui in litterarum restaurationem suam dederunt symbolam.

Italos primum post fœdam illam occidentis barbariem litteras, impulsoribus, ut dixi, Græcis, restituisse, in aperto est. Neapolitani Alphonsi regis auspiciis circa quinti & decimi epochæ christianæ seculi medietatem magnum sibi omnigenæ eruditionis nomen peperere: gens mentis acumine præstantissima, & nisi soli, ut puto, ubertate paullo lætior, negligentiorque, primis humanæ sapientiæ conditoribus, auctoribusque par. In primis memorandi sunt Jovianus Pontanus, inter poetas civilesque philosophos immortalis homo nominis, magnorumque ingeniorum parens idem, & educator, atque altor (1) & Ber-

(1) Pontani vitam, studia, academiam, docte ornateque perscripta superiori anno edidit hic juvenis mihi amicissimus, ac magna literariæ Republicæ spes, *Robertus de Sarno*, ex typographia Simoniana in 4. Inde Neapolitanarum litterarum studiosi copiosam segetem petere possunt. Mihi in hac opella physiologiæ fata, quantum veteres commentarii sinunt, primis lineis depingere propositum.

& Bernardinus Thylesius nobilis Consentinus. *Hic prævalido mentis conatu physica peripateticorum principiis dogmata convellere ausus, summa ejus ætatis ingenia cunctis fere in orbis gymnasiis concitavit .... seduloque mathematicarum addictus studio, ac potissimum optica, nova, inexcogitata, imperscrutabilia prope quamplurima detexit.* Ita Joannes Imperialis in Thylesii vita. Scripsit libros novem de *rerum natura iuxta propria principia*, in quibus quum Aristotelis doctrina physicas oppugnasset, Parmenidis hypothesim, *omnia esse unum*, eaque *ex igne*, quod *activum sit principium*, & *terra*, quod sit *passivum*, conflata, restituere conatus est (1). Vidit vir ingenio vastus, physicam, omnesque naturæ scientias non abstractis chimericisque formis perfici posse, sed naturæ ipsius vi, experimentis scilicet. Sed occupata aut distracta tot per secula ratio, quid hoc ageret amplius, quam ut conaretur?

Thylesio jungendus est *Jondanus Brunus* Nolanus, monachus primum Dominicanus, mox transfuga, vir ingenio quidem præcellens, publica pietate nefandus, qui Romæ an. 1600. ceu impius ultrices, quas meruerat, expertus est flammas (2). Observatum est in Actis Lips. (*a*) mundanorum

(a) *Mense Jun.* 1682. *p.* 187.

(1) Thylesianæ Philosophiæ synopsim erudite & ακριβως nuper tradidit Academiæ Consentinæ præcipuum ornamentum & decus Salvator Spiriti in pereleganti ejus opere *Memorie degli Scrittori Consentini* superiori anno Mutianis typis edito. Plura sane in Thylesii philosophico systemate deprehendes rationi & experimentis dissona, plura item phantastica, & vix intelligibilia. Horum nonnulla postquam recensuisset Baco de Verulamio *de Augmentis Scientiarum*, addit: *Qua in parte non admodum feliciter Telesius perfungitur, sed more adversariorum suorum se gerit, qui cum prius opinentur, quam experiantur, ubi ad res particulares ventum est, ingenio & rebus abutuntur, & tam ingenium, quam res misere torquent.* Nempe quum homines nequeant vere in philosophicis sapere nisi de natura, ex quinterno tamen sapere amant. Verum hæc pro temporum illorum conditione facile condonabis Thylesio, nec parvæ id ei laudi cedit, quod iis temporibus ausus fuerit adversus Peripateticorum principem, ingentemque ejus sectatorum turbam primus signa movére, hominumque ingenia ab ejus tyrannide in libertatem vindicare. Hinc idem Verulamius ita de eodem subjunxit. *De Telesio autem bene sentimus, atque eum ut amatorem veritatis, & scientiis utilem, & nonnullorum placitorum emendatorem, & novorum hominum primum agnoscimus.*

(2) Gaspar Scioppius hæc Bruno tribuit dogmata. I. Innumeros esse in immenso universo mundos, idest cælestes globos, eosque habitatos. II. Animos humanos non modo ex corporibus in alia corpora migrare, sed ex uno etiam mun-

rum vorticum systema, quod Renatus Cartesius vulgavit, Bruno referri acceptum oportere; quod & Bælius (*a*), & Petrus Daniel Huetius (*b*) confirmant. *Extitit*, inquit Huetius, *inter novitios philosophos Jordanus quidam Brunus Nolanus, quem cartesianæ doctrinæ antesignanum jure dicas, adeo accurate omnem propemodum ejus compositionem præsignavit in eo libro, quem de immenso & innumerabilibus inscripsit.* Nisi dicere velimus Eleatensium aut Democriti ab eo prolata pomœria: dubio enim vacat vorticum schema aliquod animo & Eleatenses, & Democritum concepisse.

Circa eadem tempora vixit Julius Cæsar Vaninus Taurisani in Apulia natus, qui nisi impietate doctrinam suam fœdasset, magnis philosophiæ instauratoribus par esse potuisset. Ejus doctrina naturalis pene tota est Eleatica. Legi potest Vanini vita superius citata. Supersunt ex ejus scriptis plurimis Amphitheatrum *providentiæ* Lugduni 1625. & Dialogi de *naturæ arcanis* Parisiis 1615.

Recensendi hoc loco essent, si philosophorum Neapolitanorum historiam scribere instituissem, viri illustres Joannes Baptista a Porta, Campanella, Borellus, aliique: sed vetant angustiæ. De Campanella pauca. Is natus est *Styli*, quod Calabriæ est oppidum, an. 1568. monachus fuit Dominicanus. A Telesio ad philosophandum excitus ipsemet scribit *in syntagmate de libris propriis art.* 7. *Telesius*, inquit, *me delectavit tum ob libertatem philosophan-*

(a) *In dict. art. Brunus.*
(b) *Censura Phil. Cart. cap.* 8.

mundo in alium, quod plane origenianum est. III. Una eademque anima duo corpora vivere posse. IV. Magiam scientiam esse, quam damnari non sit fas. V. Spiritum Sanctum nihil esse, nisi mundi animam, quod platonicum. VI. Mundum esse ab æterno, quod est aristotelicum. VII. Moysen miracula arte magica edidisse, & in ea fuisse Ægyptiis omnibus instructiorem. VIII. Mosaicas leges humana esse commenta. IX. Sacras Scripturas mera esse somnia. X. Dæmones fore ut tandem aliquando redimantur a miseriis. Et hoc quoque origenianum. XI. Solos esse Hebræos, qui ab Ada, & Eva sint progeniti, nationes vero alias ab alio cœpisse homine, qui diu antea fuerit a Deo creatus; quod superiori sæculo recentavit Pereyra in opere *de Præadamitis*. XII. Christum nec Deum esse, & insignem fuisse magum. Quæ nefaria & impia dogmata in ejus libro *de immenso & innumerabilibus* extant sunt qui tradunt (*Mr. la Croz dans les Entretiens pag.* 287.) Et in opere me tot monstra non legisse ingenue fateri debeo. Se sunt tamen hic quædam inter pugnantia, ut duorum alterum ne cesse sit, aut non omnia ei jur tributa, aut hominem non sat cum sua ratione consensisse.

osophandi, *tum quia ex rerum natura*, *non ex dictis hominum pendere*. Libertatem autem philosophandi ait, desertionem Peripateticismi. Inter opiniones ejus paradoxas primum meretur locum ea, quæ rebus omnibus, etiam iis, quæ inanimæ vulgo habentur, animam tribuit atque sensum, qua de re agit in libro *de sensu rerum* edito Lipsiæ 1590.: mutum se & in eam opinionem impulsum ait a rerum, quæ cernuntur, *sympathia*, & *antipathia*. Videbatur, sed quasi inscius, eo rapi, quo veteres illi omnes, qui *archeon* quoddam principium universo dedere, aut quo recentiores Newtoniani, qui mutuam corporum omnium *attractionem*, haud dubium ab *hylarchico* principio manantem, aut induxerunt, aut instaurarunt, illustraruntque. Quod vero ajunt, qui ejus refellunt doctrinam, *intellectum quoque universa materia dedisse*, id, horum pace dixerim, minus verum puto: æquo enim justius ejus doctrinam provehunt, sententiasque paullo emphaticos pronunciatas in deteriorem torquent sensum, quod ingenuo interprete est indignum (1).

Nec segnius ceteri Itali philosophiæ studia prosequebantur. Primum in his meretur locum Hieronymus Cardanus Mediolanensis, qui natus est anno vulgaris epochæ 1501. mortuus an. 1576. Is in *natura scientia tot nova attulit*, inquit Vossius (a), *ut summus vir Andreas Alciatus eum vocaverit virum inventionum*. Ipse ei infensius Julius Cæsar Scaliger tantis eum laudibus ornat, ut nil exigi majus ab amico possit. Sunt qui Cardanum de Deo non recte sensisse scribant, quos non probo, uti nec probat Samuel Parkerus (b), nec Bælius *in Cardano*. Ac sane in libro XXI. de subtilitate Deum definit, *causam*, *originem*, *fontem*, *& principium omnium horum*, *quæ in universo sunt*. Interim fatetur se nescire Dei *naturam*: *si scirem*, inquit, *Deus essem*; *nam Deum nemo novit*, *nec quid sit quisquam scit*, *nisi solus Deus*, quod magnæ modestiæ

 tribui

(a) *De mathematicis part.* 41.
(b) *De Deo & prov. disp.* 1. *sect.* 23.

(1) Auctor libri *Principia naturæ*, qui gallice prodiit, hunc eumdem universalem sensum plantis, igni, aliisque corporibus videtur dedisse. Quid faciemus nobilissimo philosopho Francisco Rhedi, qui in eamdem, paulo licet invitus, raptus est opinionem? Vide ejus historiam *Insectorum*.

tribui debet. Enim vero, nisi prorsus sunt stulti, intolerandi sunt, qui tanta confidentia de Dei natura loquuntur, quasi penitus eam comprehenderint, aut de Deorum modo venerint concilio, ut ait Tullius; nec illud ad animum adducunt gravissimum Augustini dictum, *Deus scitur melius, quam ignoratur*. Sed ad Cardanum redeo. Libros igitur de subtilitate hunc in modum concludit „ Tu igitur altissime, a quo omnia bona profluunt, cujus nutu „ cuncta moventur, cujus imperium nullis finitur limiti„ bus, claritas infinita, qui solus lumen verum habes, so„ lus vere æternus, totus in teipso, tibi solus notus, cu„ jus sapientia omnem excedit cogitationem, unus atque „ incomparabilis, extra quem nihil est, qui me velut ter„ ræ vermem in umbra scientiæ direxisti, cui quidquid veri „ hic scriptum est, debeo..... ignosce mihi, mentemque „ meam illuminando pro tua indefessa liberalitate ad me„ liora dirige „. Hunc ego ut de Deo non recte sentire existimem? Quæ quum recogito, nescire mihi videor, quo consilio, quaque audacia leves quidam superioris ævi scriptores ausi sint illustriores philosophos *ἀθεότητος* accusare, adversantibus licet eorum libris. Sunt philosophi, ut ait *de ordine* Augustinus, *naturæ vates*: omnes ne ergo naturæ vates bellum Deo moverunt? Horret dictu animus.

Quæ pertinent ad universam in libris de Arcanis æternitatis subtilissime edisserit Cardanus: „ Universum hoc, „ *inquit* (a), sive sit unum, sive plura; & si unum, seu „ finitum, seu infinitum; & si finitum, an aliquid extra „ se habet, an mobile, an immobile: sit quoque geni„ tum, vel ingenitum; & si plura, finita ne numero, an „ infinita, in libris de Arcanis æternitatis dictum est.

Præcipua philosophiæ hujus capita breviter enumerabo ex Cardani libro de subtilitate potissimum hausta. I. principia rerum naturalium vult esse quinque; *materiam*, *seu hylem*, *formam*, *animam*, *locum*, *motum*, quæ omnia *æterna*, idest immutabilia esse vult. II. materiam pene immensam sine ullo vacuo statuit: eam autem vocat *ingenitam*, & *numquam interituram*; quod ita intelligit, non ut materia per se sit & ab æterno, sed ita ut nec generetur,

---

(a) *Lib.* 1. *de variet. cap.* 1.

tur, nec corrumpatur. III. in ea *naturam* quamdam esse, *principium activum motionum*, & *animam*, agnoscit. Hanc naturam in singulis rebus spectatam esse & *formam*, aut cum *forma* conjunctam. Ab eadem provenire mutationes omnes in materia, eas quoque, quas vacui horrori vetustiores peripatetici tribuebant. IV. negat ullum esse sub cælo ignis elementum, idque validissimis rationibus, aitque se ea in re ita licere ab Aristotele dissentire, ut ille dissensit a Platone: *homo*, inquit, *ille fuit*, & *in multis aberravit*. Hoc ne etiam timide? o misera ejus ævi philosophorum conditio! Itaque tria tantum esse docet elementa, *terram*, *aerem*, & *aquam*, eaque omnia natura sua esse frigidissima vult, quod sint expertia lucis & caloris, seu materiæ igneæ, quam extrinsecus tantum recipiant: hinc flammam vocat *aerem accensum*. V. ignem non *substantiam esse vult*, aut materiam quamdam, sed summam *caliditatem*, idest summam partium cujusvis corporis agitationem, *fulmenque* nihil esse aliud, quam *celerrimum ignem*. VI. terram esse *in medio* universi *immobilem*. VII. aquarum salsedinem repetit & a montibus salinis, & a calore solis maria torrentis. VIII. planetas, præsertim lunam, non omne lumen a sole habere, sed proprio quoque, quod sit quavis flamma nostra splendidius, lucere, ejusque rei argumentum esse, quod in maximis lunæ deliquiis, ea prunarum referat colorem: nec vidit lunam non semper in terræ perfectam umbram immergi, dum ea patitur deliquia, sed in semiumbram. IX. cometas non fieri ex vaporibus terrestribus, quum altiores videantur eo loco, ad quem exhalationes terrestres pertingere possunt, qui Cardano est a tellure passibus 772. millibus dissitus; cometæ vero ad locum decuplo altiorem videantur: sed nec esse vult stellas errantes, verum meteora luminosa a solis forte radiis exorta, quale, inquit, ipsa est via lactea. Hunc in modum vir doctus inter vera & falsa errabat. Sed impendio longius evagatur oratio. Unum addo, neminem philosophorum magis universum abstractis spiritibus implevisse: adeo omnia ejus scripta intelligentias, & dæmonia crepant. Tandem quum in Cardano, aliisque hujus ævi philosophis *antipathiam* illam, & *sympathiam* universi contemplor, mihi videor numquam hanc Newtonianorum attractionem videre: sane attractio hæc & sympathia ab eodem in utriusque principio derivatur,

tur, hylarchico nempe, archæo, aut quocumque id vocabulo appelletur (1).

Andreas Cesalpinus patriam habuit Aretum; obiit vero Romæ anno 1603. Papæ Clementis VIII. primarius medicus. Is sanguinis circulationem omnium primus in orbem aut intulit, aut explicuit; quod quamquam fatetur ipse

(1) Prodiit haud pridem italico anonymus liber hominis adeo phantastici, ut, quod ajunt, ad inanes umbras paveret trepidaretque. Is eo in libro nescio quam *Archæam* torve spectans incredibilia in eo monstra sibi videre visus est. Quid is de Archæa ista animo volveret non queo satis dicere: sed eo tendit, ut quicumque incognitum hoc monstrum ullo modo memoret inter atheos exsulare jubeat. Ego numquam satis laudaverim eam curam ac diligentiam, qua docti homines bonæque frugis, pietatem adversus Deum, justitiam humanitatemque erga homines & tueri satagunt, & ab omni erroris suspicione liberare: nihil est generoso bonoque homine dignius, nihil philosopho, nihil christiano honestius. Sed eos non solum probare nequeo, verum exsecror, qui nulla alia ratione præterquam criminandi libidine illustriores omnis ævi philosophos cum impiis facere prædicant, quod ut est aperte falsum, si esset verum, nihilominus pernegandum esset, hoc præsertim ævo, ubi pauci in Europa sunt αλογοι. Sed hic (nam eo redeo, a quo deflexeram) multo incautior sæviorque est: quicumque *archæon* aliquod, *hylarchicum*, *zooticon* naturæ corporeæ principium in physicis constituerunt, quicumque *naturam genitricem*, *mundi animam*, *rerum sensum* prædicaverunt, in profanis auctor noster habet. Quem ego vocabulorum ignorantia labi opinor. Doceamus igitur puerorum rudimenta. Peripatetici scholarum latinarum philosophi *materiam*, *naturam*, *formas* PRINCIPIA vocant. An ergo cum impiis militant? Non opinor. Age sis, videamus, an quæ isti PRINCIPIA dicunt, eadem sint, quæ omnes, qui græce loquuntur, archæa, hylarchica, zootica appellare possint. Quid ego infantium nænias prosequor? Pagani juxta & christiani theologi *principia* perpetuo αρχας vocant. Materia est αρχη: forma est *arche*: atomi sunt *archæ*. Aristotelea φυσις, *natura*, est *arche*, *archæon*. Quid igitur monstri est, ut quod Latini dicunt *principia*, nequeant Græci vocare αρχας, *archas*? nisi velint nec αρτον *arton* ab illis dici posse, quod nos *panem*, nec θηριον *therion*, quod nos *bestiam* appellamus, nec a sacris canonicus παππαν, quem nos patrem nominamus. Sed est monstrosius illud hylarchium? Tam scilicet, quam *forma substantialis*; quæ si *dat esse materiæ*, si *informat*, si *animat*, quod docent scholæ, materiæ activum est principium. Hoc lingua sua *hylarchicum* dicunt Græci. Ne igitur nos, veluti infantes, vocabula terreant, sed res. Ajunt philosophi esse in materia *archæam*; duplex est quæstio, altera, sit necne: altera per se ne sit, an a primo mundi conditore Deo. Primum philosophici juris est: eam archæam sub nomine *naturæ* philosophiæ peripateticæ scholæ adhuc tuentur. Disputent igitur: sed finibus philosophiæ non excedant. Per se si eam esse philosophus ullus dicat, ut Deum a cura universi disterminare videatur, tum ii jure ac merito inter profanos amandent: est enim impius. Nisi hæc in memoria habeant, turbas se ciere sciant, nulla nec religionis, nec reipublicæ utilitate.

ipse Bælius (*a*), præstat tamen ejus verbis confirmare: nam Angli magna consensione Harvæo suo id tribuunt. In *quæstionibus* igitur *peripateticis* (*b*) hunc in modum scribit Cesalpinus: *Idcirco pulmo per venam arteriis similem ex dextro cordis ventriculo fervidum hauriens sanguinem, eumque per anastomosim arteriæ venali reddens, quæ in sinistrum cordis ventriculum tendit, transmisso interim aere frigido per asperæ arteriæ canales, qui juxta arteriam venalem protenduntur, &c.* Quid, inquit aliquis, faciemus Harvæo? Nempe Patavii is didicit, quod haud dubium magna deinde experimentorum copia apertius fecit. Non ego negaverim quædam a veteribus inventa tanta luce a recentioribus posse ornari, ut non sine ratione secundis parentibus tribuantur. De rerum origine & constitutione ita disseruit Cesalpinus, uti Aristoteles ipse, quem nemo haud dubium acutius interpretatus est, uti Parkerus agnoscit (*c*). Mundum esse æternum, seu ab æterno a Deo generatum: omnia in natura fieri æterna quadam necessitate: hominum brutorumque animas esse vires a materia indissolubiles, atque per totam diffusas materiam, sunt qui ei, ut Aristoteli, tribuuntur. Eam ob rem Bælius cum Spinozistis facere Cesalpinum scripsit. Fuit enimvero illo ævo utraque illa quæstio, mundi videlicet origo, ac animæ humanæ natura, acutioribus Peripateticis veluti Circes quoddam enigma.

Pauca nunc de Galilæo celeberrimo Florentino philosopho & mathematico, qui anno 1642. ætatis suæ 78. mortuus est. Egregia prorsus sunt, & quibus Galilæus ipse majora optare non potuisset, virorum doctorum de eo judicia. Ejus ingenii *se admiratorem* fatetur Grotius in epistola ad ipsum Galilæum. *Exacto judicio, magnaque interioris geometriæ notitia instructus* censetur in Actis Eruditorum an. 1684. *Galilæus omnium solertissimi ingenii esse videtur* scripsit Rapinus in *Animadversionibus ad philosophiam* (*d*). *Tanti apud Gallos æstimatus fuit,* inquit

(a) *In dict. art. Cesalp.*
(b) *Lib.* 5. *cap.* 3.
(c) *De Deo & provid. disp.* 1.
(d) *Sect.* 18.

inquit Leo Allatius, *ut nonnulli illius tantum visendi causâ iter in Italiam instituerint*. Renatus ipse Cartesius, nimium alias sui admirator, ceterorum ferme omnium contemptor; non mediocriter eum laudat (*a*), eam potissimum ob rationem, quod *res physicas rationibus mathematicis examinare conatus fuerit*: nam hoc fuit præcipuum Galilæi decus, quod rerum naturam non phantasia, sed oculis lustraverit, nec hypothesibus, sed geometria, quam ille naturæ linguam vocabat, admensus fuerit: de natura ipsa sapere amabat, non de libris. Leibnitius in eo opere, quod de *resistentia fluidorum* scripsit, nihil actum fuisse, ait, ab Archimede ad Galilæum usque in geometria mechanica, hancque nostram ab eo cœpisse. Enimvero naturam motus, gravitatis, percussionis, harumque rerum leges, primus Galilæus, atque hinc Torricellius (*b*) e natura ipsa expressit. Georgius Bernardus Bulfinger in primo solemni Academiæ Petropolitanæ conventu anno 1725. ita magnanime Galilæum commendat: „ Galilæum hic primum appello, virum ingenio & meritis magnum. Ille physicis tractationibus novam induxit „ formam; ille novam astronomiæ lucem intulit; ille e„ xemplo ostendit optima quæque nondum detecta esse, „ posse autem a nobis plurima detegi; ille viam & præi„ vit, & munivit, qua sola tuto liceat progredi, & ad „ veritatem pertingere; ille æmulos præstantia invento„ rum excitavit; ille excitatos commercio & consiliis suis „ adjuvit; ille amicos, & discipulos reliquit magistro „ suppares; ille immortalem Italiæ suæ gloriam intu„ lit „. Plurima haud dubium sunt, quæ aut ipse in apricum protulit, aut ab aliis accepta auctiora fecit & meliora, quorumque idcirco veluti conditor jure haberi potest. In primis Copernicanum systema, ac motum telluris circa axem suum ac solem, plurimis confirmare & ornare conatus est in dialogis *de systemate mundi*. Soliditatem igitur cæli evertit: stellas inter soles restituit: vacuum reduxit: mechanicas motus leges primus indagare cœpit, præsertim gravitationis accelerationem: physicam naturæ suæ, idest exprimentis, revindicavit. In perspicuis est

(a) *Part.* II. *epistolarum ep.* 91.
(b) *Vide Torricelli* Lezioni Accademiche della forza della percossa.

est inventa, quæ illustriora habentur, Newtoni & Leibnitii, Galilæo, Torricellio, Viviano accepta deberi: hi primi tantatum rerum semina jacuere. Eo auctore Academia, quam *del Cimento* vocamus, excoli cœpit. Telescopii astronomici inventionem (quamquam adhuc ea de re lis est aliqua, uti docet Georgius Paschius *de inventis novo-antiquis* (*a*), eidem vindicat Janus Nicius Erythræus (*b*). Telescopii hujus beneficio & novum orbem in luna monstravit, & maculas solares, & circumjoviales planetas detexit Galilæus; quamquam laudatus Paschius illas Christophoro Schenero, hos Simoni Mario detectas falso judicio velit. Ex his, ut & ex plurimis aliis Galilæi nostri inventis, quæ missa facio, unum ad disputationem hanc nostram pertinet, systema mundanum, cujus licet non inventor, instaurator tamen & propagatur fuit.

§. III.

De Gallorum philosophorum post restauratas litteras coriphæo Renato Cartesio.

Accedamus ad Gallos, apud quos præterito seculo plures mentis præstantia, perspicuitate, & in primis elegantia floruerunt. Infiniti pene ex hac gente essent commemorandi, si non dissertationem tironum ergo, sed plenam historiam scribere instituissemus. Ergo ad Cartesianos omnem conferam orationem. Renatus des-Cartes, qui & Cartesius dicitur, in *Turonibus* natus est, stirpe in *Armorica*, & *Pictonibus* perillustri. A prima juventa studiis deditus in philosophia, & mathematicis stupendos fecit progressus. Tam immodico flagravit mathematicarum disciplinarum studio, ceteras ut omnes ex earum formulis vellet pertractatas; ne ullam quidem esse aliam scripsit investigandi veri rationem, quam cuncta mathematicis rationibus persequi (*c*): ita enim constare potest, claræ ne an obscuræ, solidæ an chimercæ sint earum rerum notiones, quas discimus. Eam certe ipse viam atque rationem philosophandi sequutus est, concedendumque hoc Gallis, universam Europam ad accuratius, saniusque philosophan-

(a) *Cap.* 7. §. 4. (b) *Pinachot.* 1. *pag.* 279.
(c) *Part.* 2. *epistolarum*, *ep.* 91.

phandum excitam ea methodo a Cartesio fuisse; quum aliorum, qui eum antecesserant, conatus, ut ut egregii, vix latum profecerint unguem. Quanquam id non tam Cartesii ingenio, quam tempori tribuam; de provincia enim ille triumphavit, in qua plura Europæ ingenia ac diu laboraverant. Mortuus est vir celeberrimus an. 1650. vitæ suæ 54.

De universo hæc opinatus est Renatus. Extensione illud *indefinitum* esse, tantum nempe, cujus fines intelligere non valeamus. *Vacui* juratus hostis, nec esse illud usquiam, nec concipi, nec esse posse censuit. Cujus ea est ratio, quod materiæ naturam in triplici posuerit extensione; ergo nihil intelligere poterat tripliciter dimensum, nisi corpora: vacuum igitur, inquit, aut corpus est, siquidem extensum est; aut non est, si extensione caret. Una igitur eademque res sunt Cartesio *quantitas*, *extensio*, *materia*, *corpus*. Jam nullas esse in corporibus alias *vires motrices*, nisi quæ Dei voluntate eis tributæ sunt, docuit; quamquam ejus sectatorum aliqui, in primis Malebranchius, immediata Dei voluntate omnia fieri docuerunt. Et Cartesius quidem eamdem motus quantitatem semper a Deo in materia conservari scribit, quam ille ei primum tribuit; ex primo hoc motu nasci mechanicas leges, quibus ortum suum mundus debet. Malebranchius vero (a) longa ratiocinationum eaque subtili serie concludit, nec corpora esse ullo modo posse motus causas, nec spiritus ullos creatos. „ Dicere ergo necesse est, inquit, „ sola Dei voluntate motum produci, atque vim moventem corporibus motis non inesse, quum ea nihil sit præter Dei voluntatem. Dicitur tamen globus causa naturalis motus, quem communicat corpori, cui occurrit, „ non realis, sed tantum occasionalis, qua auctor naturæ „ utitur ad agendum illo, vel hoc modo, illa, vel hac „ occasione „. Quæ mihi vocabulorum sæpe quæstio videtur; apud utrosque enim constat, & qui vires motrices in materia insitas statuunt, & qui omnem corporum motum a Deo immediate repetunt, corpora a Deo & motum primum accipere, & motus supremam directionem. Id seu semel fiat, seu repetitis vicibus, quid, inquam, interest dum de materia agimus? Nam ea de re hic

(a) *De inq. verit. lib. 6. part. 2. cap. 3.*

nic agimus. Jam motus hujusmodi tres statuit præcipuas leges mechanicas Cartesius. I. *Omne, quod movetur, quantum in se est, semper moveri pergit, nisi ab externa aliqua causa cohibeatur*. II. *Omne, quod movetur, semper tendit moveri per lineam rectam*. Utramque complexus est Newtonus in *Principiorum mathematicorum libro* 1. lege motus prima, quæ est hujusmodi: „ Corpus omne perseverat in statu suo quiescendi vel movendi uniformiter „ in directum, nisi quatenus a viribus impressis cogatur „ statum illum mutare. III. Si corpus, quod movetur, „ alteri occurrat, si quidem habeat minorem vim ad pergendum per lineam rectam, quam hoc aliud ad ei resistendum, tunc in aliam partem deflectitur, & suum „ motum integrum servando, solam motus determinationem amittet. Contra vero, si illud majorem habeat „ vim ad pergendum secundum lineam rectam, quam hoc „ ad ei resistendum, tunc corpus in motu exsistens secum „ hoc aliud movendo tantum de suo motu deperdet, quantum ei tribuet " Explicata hæc habes apud Cartesium ipsum in *Principiis parte secunda*, tum & ab ejus sectatoribus Sylvano Regis, Antonio le Grand, Jacobo Rohaulto, aliisque viris hujus sectæ illustribus.

Omnium tamen est ingeniosissima Cartesii Cosmogonia. Eam sic molitur. I. Deum sub rerum initium ingentem materiæ massam creasse in particulas quamproxime inter se æquales, figura fere cubicas, divisam. II. His duplicem indidisse motum; primum nempe quo singulæ circa proprium axem, seu circa seipsas volverentur: alterum, quo earum plures simul circa commune centrum moverentur: totque constituta hujuscemodi centra, quot sunt stellæ fixæ, planetæ, & cometæ (1). III. Priori motu cubicarum particularum angulos confractos, contritosque; indeque tria materiæ nata genera, *subtilem* ac *igneam*; *globosam æthereamque*; *crassam* ac *terrestrem*; eaque tria esse universi elementa. Posteriori vero motu tot enatos vortices, quot constituta fuerant communia centra. IV. In circumrotatis vorticibus *subtilem materiam* centrum potissimum occupasse, *rotundam* athmosphæram, *crassam* vel interpositam, vel ad extimam delatam superficiem. V. Hinc factum, ut vorticum omnium centra fuerint totidem soles vividi

(1) Hæc similia sunt iis, quæ Democrito tribuit Laertius.

vividi atque ardentes. VI. Crassa tamen materia quorundam vorticum paullatim incrustatos fuisse solium vertus, eosque esse, qui planetæ appellantur. VII. Horum idcirco vortices tardiores factos, absortos esse a grandiori aliquo ac vicino vortice, ut a saturno saturnales, a jove joviales, a tellure lunam. VIII. Sed & grandiores isto (*omne enim regnum sub regno graviori est*) a maximo aliquo deglutitos, ut sexdecim nostros a sole (1), ab alia qualibet fixarum fortasse alios IX. Particulas omnes materiæ leves esse, idest omnes conari recedere a vorticis centro: gravitatem vero nasci ex earum, vi, qua vehementius recedant; ab his enim tardiores premi deorsum. X. Ea igitur corpora esse graviora, quæ particulis primi & secundi elementi, quæ vehementissime a vortici centro conantur recedere, minus sint referta, ut corpora terrestria.

Cosmogoniam hanc velut fabulam sub initium habuit Cartesius; sed paullatim eo res provecta est, ut rerum suarum amore impense illo capto, fabula evaserit historia. Adeo rerum nostrarum amor nos turpissime sæpe deludificat! Mira autem sunt quæ inde in universam physicam derivavit. Pauca attingam. I. Lumen nihil esse aliud, nisi pressionem materiæ subtilis solem constituentis in proximam materiam æthereams & globosam, eamque per totam vorticis longitudinem latitudinemque diffusam. Oculis nempe, eorumque nervo optico hinc agitatis, luminis in nobis procreatur sensatio. Ea ex re fit, ut quum omnia sint plena, a stellis ipsis fixis per immensa intervalla, temporis momento, seu in instante potius, lumen ad nos deveniat. Quam luminis doctrinam gravissimæ rationes, atque plurima recentiorum experimenta minus esse veram demonstrant: qua de legatur Newtoni Optica. II. Ex materiæ particulis quasdam esse, quæ inter globorum angulos transeuntes *cochlearem* induant figuram, quas idcirco *striatas* appellant Cartesiani. Harum ingentem copiam ferri in telluris vertice e septentrionibus ad meridiem: eam esse *magneticam materiam*: inde provenire non *magnetis* modo, sed & *acus magneticæ* phænomena. III. Oceani fluxum, atque refluxum quum fluido telluris vortici, tum etiam lunæ motui deberi: nondum

(1) Nunc & Veneris satelles observationes mentiantur, decimo addendus est superiori anno, nisi ... ctus.

dum inter lunam & tellurem materia cælestis fluit, quasi coarctatur, ac comprimitur; ab ea telluris centrum urgetur, simulque & terrestria corpora, imprimis aqua: inde oceani fluxus. At recedente paullatim hinc luna, motaque tellure, liberius cælestis vagatur materia, proprioque renisu refluunt aquæ. Sed huic sententiæ quum cæpta in oceano atque euripis experimenta, tum gravissimæ refragantur rationes, quas vir summus Isaacus Newtonus, aliique ubertim suppeditabunt.

Jam, ne longius progrediar, quid de principiis universi activis senserit Cartesius explicandum est. Dum adhuc esset in vivis atheismi expostulatus est Renatus cum a Martino Schookio, tum potissimum ab infenso doctrinæ suæ hoste Gisberto Voetio. Utrique autem ita respondit, ut potuerit eos pænitere temeritatis suæ: nemo enim alius ex philosophis Deo naturam & majestatem suam diligentius obsequentiusque adseruit, quam Renatus quum in *Meditationibus primæ philosophæ*, tum 1. p. principiorum ab art. 14. ad 32. Ac quamquam argumenta exsistentiæ Dei, quæ in utroque loco protulit, subtesta visa sint doctis pluribus; fuere tamen, suntque hodieque multi, quibus persuasum est, nihil unquam illustrius excogitatum fuisse: sed legantur Gassendus in *objectionibus*, Huetius in *Censura*, Buddeus de *atheismo*, & *superstitione*. Præterea sunt, qui ingerunt, in cosmogonia exiguam Dei habuisse rationem, conatumque esse omnia epicureum in modum, omni sublata providentia saltem *immediatá*, explicare. His addunt, quod quum mentes nihil esse aliud voluerit, quam *cogitationes*, nec cogitationes intelligi possint nisi *modi*, id videatur animo volutasse, cogitationem humanam modum esse alterius substantiæ. *Joannes Regius* in libro, quem præscripsit, *Cartesius verus spinozismi architectus*, conatus est demonstrare, Cartesium, saltem si sibi consentaneus esse voluisset, in eodem se revoluturum fuisse cœno, quo inde Spinoza: quo tendere ait, si attente penseur, ejus de exsistentia Dei, ut vocat, *demonstratio* ex idea entis summe perfecti deprompta: ea enim ex universi adspectu & cotemplatione hauritur, uti contendunt (non jure tamen, me saltem judice) & Huetius & Gassendus: Accedit eodem, quod doctrina animarum humanarum, qua statuuntur *meræ cogitationes*, intellectus vero *pure passivus* ponitur, non possit, inquiunt, nisi in pantheismo locum habere. Ego Car-

tesium

tesium pantheistam efficere neminem posse sine manifesta calumnia existimo: tantum agnosco quædam esse in *ejus* philosophia, quæ, nisi bonam in partem accipiantur, atque ita, ut ille dixit, possint eo perducere, quo, quum iis esset abusus, perductus est Spinoza, qui universum *unam esse substantiam docuit, eamque æternam, duobus conflatam attributis, æterna & immensa cogitatione, æterna & immensa extensione solida, totumque id esse Deum.* Sed nulla esse arbitror philosophica systemata, quibus prava ingenia abuti nequeant, & ut ait ille, imperitis hominibus nihil quidquam est injustius. Scio non mediocriter quosdam ex iis commoveri, quæ de brutis disputat: nam & hæc in cartesiana philosophia celeberrima est doctrina, *bruta animantia meras esse machinas* horologiorum instar: nihil esse in illis *animæ*, nihil *sensus*, nihil *cogitationis*: mechanice brutorum omnium operationes fieri, ut in horologiis, quod ita accipiunt, Deum brutorum esse animam. Quæ tamen longe absunt a Renati mente. Hæc interim sententia etsi a Cartesianis plurimis, non satis tamen feliciter, propugnata, sequioribus philosophis & absurda visa, est, & sensui hominum communi adversa: quamobrem vix hodie reperias qui iis hac in re non subirascatur (1).

Hæc cartesianæ philolophiæ summa. Unum superest ut memoremus, habiturum fuisse Cartesium, si vixisset, unde affatim voluptatis, & ejus, ad quod maxime litterati homines contendunt, premii, gloriæ nempe, hausturus fuisset: raro enim, aut numquam alias post hominum memoria commemoratum est, tantum intra paucos annos uni mortali nomen, tantam apud barbaras ipsas gentes partam gloriam. Nullus fuit ante inductum Newtonianismum reipublicæ litterariæ angulus, quo Cartesii dogmata non celebrarentur. Sed (adeo verum *mortalia facta peribunt*!) cessit Newtonianismo, iisque armis victus est, quibus ille peripateticismum fugaverat. Physica nequit esse nisi experimentalis: id is agnoverat præceperatque: interim fecit ut metaphysica esset, ideſt puerilis, & hypothetica, ideo-

(1) Nolim hæc ita accipiantur, quasi tanti viri honori famæque quidquam per me detrahi sit animus. Vel magni viri suos patiuntur manes, estque is beatissimus, qui minimis urgetur: nullus magnorum virorum est, qui non aliquando parvus esse possit. Hæc ne iis noceant, qui ingenio suo uti nescientes, toti a philosophorum ore, velut ab oraculo quodam pendent, moneo; idque esse historicæ philosophiæ officium puto.

ideoque phantastica. Abiit enim sæpe longe ab intelle-ctus amussi, quæ, ut monet Verulamius, est natura.

§. IV.

De Præcipuis Britannis Philosophis.

ACcedamus nunc ad Anglos. Fera olim, atque inhospita Britania, extra hominum mores cultusque projecta, feracissima hoc nostro ævo extitit magnorum ingeniorum. Longum esset omnia connumerare. De Brunetio tantum, Newtono, ac Whistono pauca dicemus, quod ea ad hanc rem, de qua agimus, originem nempe universi, pertineant. Magnum sibi Thomas Brunetius peperit nomen edito præclaro opere *Theoria Telluri sacrâ* Londini 1682. 4. recuso mox Amstelædami 1699. 4. In eo opere Mosem interpretari se profitetur: at revera mosaicam mirum in modum contorquet narrationem, Mosem in Ægyptiorum, ait, eruditione innutritum didicisse ab iis mundi origines, sacram rem, nec imperito popello evulgandam, arcana lingua narrare, ideit ἀλληγόρικως (1): aut, quod vero etiam similius censet, imitatum vetustos theologos poetas, a quibus fortassis eam acceperit historiam, qui divinas res veriti, aut mirari symbolico carmine cecinerunt (2). Ergo quæcumque de origine mundi scrip-

(1) Cosmogoniam Mosaicam totam esse allegoricam & ænigmaticam veteres quoque aliquot christiani theologi sibi persuaserunt, Origenes adeo ea de re non dubitabat, ut non uno loco *hominis esse insani* scripserit, eam litteratèr accipere velle. Aperte id fatetur quum in libris adversus Celsum, tum alibi sæpe. Hujusmodi ejus loca insigniora collegere Sanctus Basilius & Gregorius Nyssenus in *Philocalia*. Quin Augustinus ipse in eadem fuit opinione: & *lib. II. de Genesi contra Manichæos cap.* 2. satis diserte indicat, *nullum exitum dari ut digne & pie de Deo, quæ scripta (ibi) sunt intelligantur, nisi figurate & in ænigmate proposita credamus.* Hinc ille sex mosaicos dies sex momenta intellexisse videtur.

(2) Hoc in Hesiodum magis quadraret, quem constat veteres orphicas ægyptiasque theogonias, phœnicesque fabulas imitatum, quam in Mosem, quem qui hujusmodi rerum scriptores præcesserint, nemo dicere potis est. Enim in Ægyptiorum sapientia nutritum educatumque divini auctores docent: sed an suo tempore hæc hieroglyphica docendi methodus apud illos in more fuerit, magna cum ratione dubitari potest: neque enim dum satis exploratum est, ejus ævi majorem esse pyramidum: nam Diodorus Siculus vix illi mille annos antiquitatis tribuit: Herodotus Cheopem facit auctorem, longe Mose posteriorem (vide Newtoni Chronologiam). Interim Origenes sæpe in eumdem hunc enthusiasmum incidit, ut omnia allegorice Mosem scripsisse putet: nec alias existimat historica quædam posse defendi. Adeo cuilibet hominum ita genius suus est, ut vultus. Sed an fas est humanum ingenium transferre ad Deum?

scripsit, alias, quam ipsa sonant verba, easque abstrusiores habere sententias putat'. Si igitur Burnetio credendum, antequam Deus ad tellurem conformandam adgrederetur, longe pridem jam partes universi alias planetas, solem, stellas fixas conflaverat, sedibusque suis locaverat. Nunc ad opus aggreditur terraqueum. Ingentem materiæ massam creat, in particulas diversorum generum divisam; has movet, miscetque. Hoc αρχαιον est χαιος, primigenium nempe illud, cujus veteres ferme omnes meminere. Jam ejus Chaos particulæ quæ quidem paullo erant graviores, centrum undique convenere, nucleumque ibi, qui paullatim in metallum induruit, composuerunt. At aquæ partes nucleum hunc undequaque circumdederunt, atque ingentia maria, quæ *thehom*, *abissum*, vocat Moses, effecerunt. Mari porro circumquaque oleaginosæ, crassæquæ aliæ particulæ, minus tamen gravitantes, insederunt, mollemque primum pelliculam, mox etiam densiorem durioremque crustam contexuerunt. Erat autem telluris primigenia illa facies amœnissima, nec aliud nisi delicias perspirans. Evaporationibus subterranei oceani, quæ rorem efficiebant crassiorem, plantæ nutriebantur, fontesque, atque rivuli, placidi ii quidem, & christallini, progignebantur. Sed paullatim usta solis radiis, post 1656. tandem annos, pluribus in locis fessa disruptaque magno fragore, hominum ferme omnium exitio, succubuit oceano; & resilientibus aquis, omniaque mergentibus, Noeticum illud factum est diluvium ita, ut pauci huc illuc mortales evaserint, ex quibus genus humanum sit reparatum. Hinc montes, valles, prærupti scopuli; hinc insulæ, isthmi, freta: hinc subterranei lacus, aut maria; hinc infernæ cavitates. Atque ita philosophi instar infantium phantasiam sæpe magis, quam rationem habent ducem.

Gulielmus Whistonus origines mundi, quas enarrat Moses, non ita accipiendas, quasi totum universum spectent, sed tellurem tantum nostram respicere arbitratur. Tellurem vero, priusquam in hanc formam effingeretur, chaos turbidum fuisse putat, idque ex cometæ cauda factum; nam nihil dubitat ante telluris generationem stellas, solem, ceterosque planetas diu fuisse a Deo creatos, quamquam Moses ad historiam judaicam properans minus id clare narrat. Maxima autem chaos illius pars, si credimus Whistono, aerea fuit atmosphæra, sed adeo

densa,

densa, ut solares radii nullo modo, ne lux quidem ulla, telluris superficiei affulgeret. Interea rerum vis quædam genitrix, *rouah jehovah*, *Spiritum Dei* Mosi dicta, omnia permeabat, operique perficiundo incumbebat. Hæc quum geruntur, tellus nondum circa axem suum agitata, circumacta tamen, utut informis, circum solem, annuum suum cursum peragebat. In fine hujus anni, aer, quum perpetuo ex eo crassiores particulæ excernerentur, mollique subsiderent crusta, paullo evasit rarior: ergo lux quædam subobscura adhuc & dubia illuxit. Ita primo die, qui id temporis primus fuit annus, *facta* est *lux*. Pergit porro, atque eadem lentitudine secundo die, idest altero anno, illustriorem factam vult aeris atmosphæram ita, ut magna ejus pars appareret, quam vocat Moses *rakiah*, idest expansum, græcus latinusque interpres *firmamentum*. Tertio anno induruit adeo superficies illa & crusta maribus incumbens, ut omnino tegerentur aquæ, videreturque tellus minus humida minusque aquosa, planisphæra, undique æqualis, nullis nec montibus, nec vallibus, nec fluminibus, nec lacubus prærupta: ita *apparuit arida*. Quæ quum facta essent, quarta tandem telluris circum solem revolutione, idest quarto die, penitus defœcato aere, sol, planetæ, atque stellæ sunt conspectæ, quas idcirco eo die factas memorat Moses. Tum quinto anno in maribus quidem pisces, in aere volatilia produxit. Sexto tandem, quum satis telluris jam induruisset superficies, bruta animantia, & homines, queis incolerentur tellus, produxit Deus (1). Quam lepidæ fabellæ! Adeo scilicet curiosum hominum ingenium ægre ab hypothe-

(1) Plures viri docti Burnetii & Whistoni theoriam confutarunt, in primis Auctor libri *Moses vindicatus*, qui Amstelædami an. 1694. 12. prodiit. Joannes Keill in *Examine theoriæ telluris a Burnetio editæ cum animadversionibus in theoriam novam Whistoni* Londini 1698. 8. Buddeus *in hist. Eccl. vet. test.* tom. 1. period. 1. sect. 1. ad §. 11. Sane vero non video cur debeamus a simplici mosaica narratione discedere. Unum potissimum Burnetio & Whistono negotium fecisse existimo, quod de diebus, primigenia luce, factisque quarto tandem die sole, atque stellis aliis narrat Moyses, quæ olim & Origenem commoverunt, ut ad allegoriam confugeret. Sed ea leviora mihi videntur, quam ut idcirco deferenda sit mosaica historia. Statuamus, quod caput est, Deum mundum effecisse eo temporis intervallo, quod sex nostris diebus æquivaleat. Non video cur non potuerit Moses hoc spatium vocabulis suo tempore usitatis diei & noctis distinguere, ut facilius intelligeretur a suis. Nec in Pentateucho id est novum. Nam,

pothesibus comminiscendis potis est abstinere, ac postquam commentus est, ab ardendo ac depereundo. Hæc igitur hoc argumento, eoque expeditissimo, refellet philosophus, quod nullum aliud habent fundamentum, præterquam phantasiæ libidinem.

Jam ventum est ad virum summum Newtonum. Nemo post hominum memoriam aut mente plus valuit, aut judicio fuit æquiore, aut meditatione & studio exercitatior. Longe is a Cartesii ingenio abfuit: non enim vagis hypothesibus, & conjecturis capiebatur, sed certis experimentis, severoque atque ex experimentis conformato ratiocinio philosophari amabat. Ergo opera ipsa factum est, ut conjecturalis illa cartesiana physica e scholis, quo se insinuaverat, ejiceretur, atque statueretur hæc altera modestior, & verisimilior, quippe quæ naturæ aptior. Hic inter præcipuas philosophandi leges hanc sibi præstabilivit, *causas rerum naturalium non plures admitti debere, quam quæ & VERÆ sint, & eorum phænomenis explicandis* SUFFICIANT, qua vagas incertasque Cartesianorum hypotheses ex philosophiæ regno disterminatas vult. Ea ex re factum est, ut Europæ celeberrimæ quæque Academiæ ex *comanensi* illa ac poetica physica ad certiorem solidioremque revocarentur. Mortuus est vir doctus an. 1727. ætatis suæ 85. patriæ, exterisque desideratissimus. Quæ autem in rebus naturalibus conatus est, paucis complectar: etenim quum ejus doctrina omnis luculentissime sit ab illustribus hujus ætatis philosophis explicita, non est cur multis eadem repetamus.

DEUM

Nam, ut cetera mittam, ut intelligeretur a Judæis, per prolepsim adhibuit in diluvio noetico enarrando vocabula animantium *purorum*, & *impurorum*: quanquam id discrimen non obtinuit (quidquid pauci contra moliuntur) nisi post promulgatam legem *ritualem*. Jam non intelligo, qui valeat Burnetius explicare systemate suo *subcælestium*, atque *supracælestium* aquarum divisionem, quam secundo die factam narrat Moses. Aquas enim (*Maim*) ille vocat primigenii Chaos fluidam incompositamque massam, in qua major pars fluidis aquæ, ignis, aerisq. particulis coalescebat. Hanc ait divisam medio *rakiab extensione aerea*, ut nempe parva quædam pars efficiundæ telluri hic relicta sit ab aere discreta, maxima altius provecta, ut inde cetera fierent corpora. Sed non est hic ea de re disputandi locus.

Addo hic Burnetium in Ægyptiorum, Thracum, Phænicum aliorumque veterum theogeniis sui systematis præsidia deprehendisse. Sed ignorasse videtur aliquid suo systemati affine enarrari dialogo primo *de Veterum Rethorica* Francisci Patritii. Quem locum vide superius ad §. V.

Deum omnium rerum opificem, *materiam* vero id est quo a Deo cuncta sint formata, tum *spatium æternum*, in quo materia, & corpora sint posita, universi esse principia vult Newtonus. In ejus ergo philosophia explicanda quatuor potissimum capita complecti oportet. I. Deum. II. Spatium. III. Materiam. IV. Motum, motusque leges, quas Deus in universo efformando suprema sua voluntate præstabilisse videtur. Deus ei est *ens intelligentissimum, æternum, immensum, uniforme, organorum, membrorum, partiumque expers* (a). Ejus existentiam ex universi partibus omnibus, motibus, ordine, legibus perevidentissime deprehendi, atque intelligi docet. Nullus pene est physicorum, qui tam honorifice de Deo loquitur, tamque pure, quam Newtonus, ubicumque se occasio offert. Sed & Voltairius in *metaphysica newtoniana* testatur, Samuelem Clarkium doctum illum Newtoni discipulum & familiarem quotiescumque Dei nomen proferret, tanta pietate & reverentia commoveri solitum, ut statim se totum mirifice componeret ad obsequium; rogatumque, quid ita? testificatum, a Newtoni se id consuetudine ac familiaritate didicisse. Atque hoc tam decet philosophum, tamque est ejus proprium, quam penitissima mundi hujus contemplatio: a qua quum ii longe absint, qui fugientibus oculis ejus corticem despectant, quid mirum, tanta eos debacchari insolentia, ut interdum casum providentiæ anteponant?

De spatio ita sensit, esse illud immensum, atque æternum, nihilque esse aliud, nisi ipsam Dei immensitatem. Nempe ut Deus *semper exsistendo facit æternitatem*, ita *exsistendo ubique immensum efficit spatium* (b). Qua in re & plurimi eum antecesserunt, in primis ejus popularis Henricus Morus *In Enchiridio Metaphysico*, & sequuti sunt plurimi, omnium vehementissime Clarkius & Raphsonus. Sed hoc est, quod Leibnitianis non valde arrisit, quapropter Newtonum non recte de Deo sentire arbitrati sunt. Nam quum Deus totus sit actio, & necessaria actio, seu, quod idem est, *purus primus necessarius actus*, ut Scholæ loqui amant: si spatium hoc immensum ipsa est Dei *essentia & natura*, jam totum hoc spatium actio est:

G 2 pene

(a) *In princ. math. schol. gen. & quæst. 31. opt.*
(b) *Schol. gen. superius citato.*

penetrat porro id spatium corpora omnia, singulasque materiæ partes: ergo Deus est vita, anima corporum omnium, singularumque materiæ partium (1). Newtonus ipse (a) quum dixisset „ conformationem primam partium „ omnium universi, potissimum animantium, nulli alii „ rei tribui posse, nisi intelligentiæ & sapientiæ entis po- „ tentis semperque viventis, quod sit ubique scilicet præ- „ sens, possitque voluntate sua corpora omnia In Infi- „ nito Suo Sensorio (spatio) movere, adeoque cun- „ ctas universi partes ad arbitrium suum fingere & refin- „ gere; „ vidit, quid inde deducere aliquis posset: quocirca addit. „ Nec tamen mundum spectare debemus tam- „ quam corpus Dei, neque partes ejus tamquam partes „ Dei. Deus enim est ens uniforme, organorum, mem- „ brorum, partiumque expers: illa autem omnia sunt crea- „ turæ ejus, ei subjectæ, & voluntati ejus; isque nihilo „ magis est eorum anima, quam anima hominis est ani- „ ma specierum illarum, quæ per organa sensuum defe- „ runtur in sentiendi locum, ubi anima eas percipit im- „ mediata sui præsentia, sine ullius rei tertiæ interventu „. Responsio haud dubium, tanti viri pace, coacta, longeque repetita, animæque exemplum a re nostra immane quam alienum. Atqui eo pervadunt qui audacissime Dei naturam perscrutari satagunt. Meminerimus hic, *est quodam prodire tenus, si non datur ultra*, ne ultra ingenii humani sphæram temere prosilientes, & ceteras, quæ clare cognoscimus, veritates labefactemus, & tenebras pro veritate complectamur. Quam illud præclarum, *hucusque!*

Jam de materia hunc in modum scribit in laudato Opticæ loco. „ Illud mihi videtur simillimum veri, utique „ Deum Optimum Maximum, in principio rerum mate- „ riam ita formasse, ut primigeniæ ejus particulæ, e qui- „ bus deinceps oritura esset corporea omnis natura, solidæ „ essent

(a) *In Opt. q. 31.*

(1) Qui non mihi videntur recte ratiocinari. Duplex enim Deo actus tribuendus est, unus internus, alter externus. Deus totus actus est *internus*. Hæc actio ad universum non pertinet: est enim ipsa Dei natura. Sua voluntate agit in iis rebus, quas procreavit. Hæc actio tota in rebus est, Deique voluntate exsistit. Quo modo intelligenda sunt, quæ sæpe veteres theologi iisdem ferme verbis disserunt, *sua virtute Deum replere omnia*, ac ea *universum constringere & continere*, ut loquitur Origenes Periarchon lib. II. cap. 1.

„ essent, firmæ, duræ, impenetrabiles, & mobiles; iis magnitudinibus & figuris, iisque insuper PROPRIETATIBUS, eoque numero, & quantitate pro ratione spatii, in quo futurum erat, ut moverentur, quo possent ad eos fines, ad quos formatæ fuerant, optime deduci. Quæ porro particulæ primigeniæ, quippe plane solidæ, longe longeque duriores sunt, quam ulla corpora ex iisdem deinceps cum occultis interjectis meatibus composita: imo tam perfecte duræ, ut nec deteri possint unquam, nec comminui: nec adeo ulla in consueto naturæ cursu vis sit, quæ id in plures partes dividere queat, quod Deus ipse in prima rerum fabricatione unum fecerit. Tamdiu dum particulæ illæ integræ permanent, poterunt sane per omnia secula ex iis composita esse corpora ejusdem semper naturæ & texturæ. Verum si illæ deteri aut comminui possent, jam futurum sane esset, ut rerum natura, quæ ex iis pendet, immutaretur (1). Aqua & terra ex particulis imminutis & detritis, particularumque fragminibus compositæ, non utique eamdem hodie naturam, texturamque haberent, ut aqua, & terra in principio ex particulis integris compositæ. Quare ut rerum natura possit durare, existimandum est corporum omnium mutationes, in variis solummodo separationibus, novisque conjunctionibus & motibus durabilium illarum particularum consistere. Nam corpora composita disrumpuntur non particularum ipsarum solidarum fractura, sed separatione earum, qua parte ex commissuris inter se junctæ erant, & paucis tantum in punctis inter se contingebant. Porro videntur mihi hæ particulæ primigeniæ non modo in se vim inertiæ habere, motusque leges passivas illas, quæ ex vi ista necessario oriuntur; verum etiam motum perpetuo accipere a CERTIS PRINCIPIIS ACTUOSIS, qualia nimirum sunt gravitas, & causa fermentationis, & cohærentiæ corporum. Atque hæc quidem principia considero non ut occultas qualitates, quæ ex specificis rerum formis (substantialibus Aristoteleorum) oriri fingantur, sed ut universales naturæ leges, quibus res ipsæ sunt formatæ. Quippe PRINCIPIA quidem talia re-

(1) Vide ut hæc argumenta ornavit Musschembroeckius in *Elementis Physicæ*.

„ vera exsistere ostendunt phænomena naturæ, licet ipsorum caussæ quæ sint, nondum explicatum est „. Hæc ille.

Pauca nunc de nevvtoniana cosmogonia. Testis est Voltairius in citatis epistolis, universi theoriam suam, dum in horto meditabundus deambularet, decidentesque adspiceret fructus, excogitasse Nevvtonum. Omnium ergo primum ex planetarum circum solem revolutione deducebat aperte *planetas in solem* gravitare: quæcumque enim corpora, quæ circum aliquod centrum aguntur, in id gravitare seu a centro illo attracta, seu ab externa causa aliqua adacta, id procul omni est dubio. Vi ergo centripeta, a quacumque ea causa producatur, in solem aguntur planetæ. At si centripeta tantum hac vi impellerentur, omnino cum sole jungerentur; ergo & centrifuga vi a sole retrahuntur. Harum ergo duarum virium quasi commixtione & temperatione universi progignitur statque ordo. *Attractiones* has vires centripetas vulgo vocat, contenditque universalem esse mutuamque & magnorum corporum, & minimarum materiæ particularum attractionem istam ita, ut non solum planetæ solem, sed & sol planetas, & singulæ planetarum, solisque partes singulas attrahant, aut in singulas gravitent. Attractionis hujus, aut gravitationis se causam ignorare fatetur Nuwtonus: sed discimus ex *scholio generali* superius laudato in eorum sententiam inclinasse, qui principium quoddam hylarchicum in universo statuerunt. *Adjicere jam*, inquit, *liceret nonnulla de spiritu quodam subtilissimo corpora crassa pervadente, & in iisdem latente, cujus vi & actionibus particulæ corporum ad minimas distantias se mutuo attrahant .... & corpora electrica agunt ad distantias majores .... & lux emittitur, reflectitur, refringitur, inflectitur, &c.* Sed an hinc etiam repetierit planetarum mutuas in sese gravitationes, non ausim dicere; a Dei potius voluntate illas derivasse videtur. Quamquam in Optica sæpe suspicetur, elastico fluido totum ferme mundanum spatium compleri, ejusque vim circa corporum cælestium superficies esse vehementiorem; atque hinc gravitatem proficisci posse. Adeo vir magnus in re perobscura secum ipse luctabatur.

Procul omni est dubio late ab hoc viro fuisse astronomiæ pomœria prolata: nam & spatia a planetis seu circa

solem,

folem, seu circa primarios descripta, & tempora, & spatiorum ac temporum proportiones, & vires, quibus id efficiunt, & earum virium leges ita admensus est; calculisque geometricis demonstravit, quasi qui a globorum illorum intermundiis heri aut nudiustertius ad nos descenderit, resque non ingenii acumine detectas, sed oculis exploratas enarraret. Nec vero minorem lucem luci ipsi fœneravit. Lucem *solium* esse defluxionem, maxima saltem ex parte, tenuemque adeo, ut nihil magis suis opticis experimentis patefecerit; singulos luminis radios fasciculos esse infinitorum radiolorum; radios diversæ esse & *refrangibilitatis*, & *reflexibilitatis*, nec tamen nosci qua id fiat causa: refrangibilitate creari colores christallino prismate, incredulis etiamnum plerisque monstravit. Præcipuos luminis fontes perennesque solem esse & fixas, quæ dicuntur, stellas, non dubitat Newtonus. Sed recentissima electricismi experimenta satis superque ostenderunt, spatium mundanum igne ac lumine elementari repleri totum. Hoc interea idem Newtonus conjecisse videtur, cui tantopere fluidum illud subtilissimum corpora omnia crassiora pervadens postremo placuit. Ita fit ut post tot experimenta in ea re, qua ceteras addiscimus, cæcutiamus adhuc. Oh imbecilles mortalium animæ! Nam quum lucis adhuc naturam ignoremus, quamquam nulla cum re familiarius vivamus, ecquid spei in reliquis rebus intuendis superest?

Quibus ex rebus patet longe a cartesianis newtonianos philosophos distare. Primum corporum particulæ etiam primigeniæ friabiles Cartesianis, reapse in infinitas moleculas divisæ Renato (a): at solidæ ita Newtonianis, ut nulla naturæ vi frangi possint; quæ opinio longe rerum naturæ accommodatior videri potest, præsertim si nullæ sint vires substantiales primigeniæ ac immutabiles: nam si corpora sola particularum modificatione differunt, primaque ipsa corporum elementa dividi, discerpi & mutari possunt, nec ulla essent stata atque permanentia corporum genera, & generationum constans ordo interrumperetur, omnibusque ex rebus possent omnia prodire. Tum nullum in cartesiana secta spatium vacuum, ne

(a) *Vide part. II. princ.*

ne possibile id quidem; quæ sententia etsi non satis repulsa, valde tamen est physicis disciplinis incommoda: immensum vero vacuum statutum Newtonianis, quo naturæ corporeæ phænomena facilius explicantur & dilucidius. Ad hæc motus astrorum circumvolutione vorticosæ materiæ fit in cartesiana secta: viribus centrifugis atque centripetis in newtoniana. Præterea corpora omnia telluris in cartesiana suapte ac prima natura levia, idest centrifuga: in newtoniana gravia, seu centripeta. Porro ibi motus omnes pulsione, hic eorum pars major attractione explicati. Præterea in cartesiana lumen motio est æthereæ materiæ: in newtoniana fluidissima atque subtilissima materia e corporibus luminosis manans. Magnes vi materiæ striatæ impellitur ad ferrum, si Cartesianis credimus: a principio attrahente rapitur ex Newtonianorum sententia. Oceani ibi fluxum atque refluxum cælestis efficit materia, quæ per arctiorem locum transiens aquas premit: hic attractione lunæ & solis elevantur aquæ. Colores ibi variæ solis radiorum reflexiones a variis superficiebus; hic variæ innatæ refrangibilitates eorumdem radiorum. Tandem, ut cetera mittam, nihil nisi hypotheses vagas incertasque docet in cosmogonia Cartesius: nihil nisi quod aut experimenta, aut rationes demonstrant, adoptat Newtonus. Ergo disterminate Cartesianorum sunt hypotheses, ex quo ad solidiorem physicæ scientiam ab incertis hypothesibus revocata est Europa. Atque quemadmodum ab occultis qualitatibus ad hypotheses tam repente conversa fuerat per Cartesium, ita ab hypothesibus ad experimenta, mathematicasque rationes quod conati jam erant Baco, & Galilæus, a Nevvtono. Ita

Multa renascentur, quæ jam cecidere.... Sed an hoc etiam ?........ *cadentque*

Quæ nunc sunt in honore ?.... opinor, si experta & mathematica exceperis: nam est nonnihil hypothetici & in hac quoque hæresi, quod recentissima experimenta repudiant.

§. V.

§. V.

De præcipuis Germanis philosophis.

Dicendum nunc est de Leibnitio & Wolfio Germanorum omnium celeberrimis philosophis, qui novam celebremque & ipsi hæresim condidere. *Gotofridus Gulielmus Leibnitius* (sunt verba Joan. Francisci Buddei (*a*) *mathematicus insignis, ingenioque tam vasto præditus fuit, ut nulla fere sit pars eruditionis, quam non attigerit. Ad philosophiam, quod attinet, tantum abest ut Cartesii aliorumque recentiorum placita prorsus calculo suo adprobaverit, ut Scholasticorum contra laudaverit philosophandi rationem: eorumdemque labefactatam hactenus, & tantum non conculcatam, postliminio restituere auctoritatem adgressus sit*. Videlicet adeo ei peroso physica, metaphysica quippe quæ nullius freni patientia, perplacuere. Mundum ex *monadibus* compactum esse vult: monades vero esse substantias *simplices vi quadam activa animatas*. Earum quatuor esse vult genera. Unum earum, quæ vi motrice obscure ac confuse mundum exhibente sunt præditæ; ex his corpora sunt composita. Secundum earum, quæ mundum repræsentent clare, sed minus distincte, ex quibus constent animæ brutorum. Tertium earum, quæ mundum clare & distincte repræsentent, quales animæ hominum. Quartum, seu potius quarta, eaque perfectissima & vera monas ea est, *quæ repræsentet simultanee & distincte omnia possibilia*, qui est Deus (*b*). Atque hoc est maximum in leibnitiana philosophia παράδοξον, quamlibet scilicet monadem universitatem rerum, qua distincte, qua confuse, veluti in speculo referre. Qua de re in Actis Eruditorum Lipsiæ plura relata reperiuntur.

Quandoquidem autem Christianus Wolfius remis velisque, ut dicitur, Leibnitii dogmata propugnare est adgressus, hanc universi structuram, monadumque illarum naturam ex Wolfio enarrabimus. Is igitur in *Cosmologia* (*c*) sic omnium primum *elementum* definit, *principium inter-*

(a) *In Epist. hist. phil. adnotat. ad §. 31. cap. 6.*
(b) *Budd. loc. cit. Hansch. princ. phil. Leibn.*
(c) *Sect. 2. cap. 2. §. 191.*

Internum corporum irresolubile in aliud prius. Corporum igitur elementa esse ait simplicia, uti elementa vocabulorum, quæ simplices sunt litteræ, quæ nempe in alias litteras solvi nequeant. Hinc corpora esse entia composita ex simplicibus substantiis sumit. Addit propterea nihil esse in corporibus *substantiale* præter simplicia isthæc entia, corporaque vocari quidem posse *aggregata* ex *substantiis*, non vero *substantias*; quippe ipsa simplicium substantiarum unio, qua fiunt corpora, substantia non est. Jam vero reperit in corporibus *vim activam motricem*, quam non quidem *substantiam*, sed *substantialem* habet, quamque ex simplicibus manare substantiis demonstrat; ea vel maxime ratione, quod, quæ reperiuntur in substantia composita, sint ex simplicibus, ex quibus ea constat, necesse est.

Quod autem elementa corporum sint substantiæ omnino simplices, sic probat. Elementa sunt ea, ex quibus primum corpora conficiuntur: hæc autem si ex aliis sunt composita, priora non sunt, nec idcirco elementa: substantiæ ergo simplices sint necesse est. Quicumque igitur prima elementa composita esse statuunt, ii una opera elementa esse negant. Non ergo sunt corporea prima isthæc elementa. Eamdem ob rationem nec extensa sunt, nec figurata, nec magna. Præterea ne ullum quidem occupant spatium, & nullo intestino motu agitari possunt: hæc enim omnia in simplicibus substantiis locum non reperiunt: Ceterum tales sunt, ut in iis *ultimæ rationes* eorum omnium, quæ in rebus corporeis deprehenduntur, contineantur. Ergo in his elementis phænomenorum omnium, quæ in corporibus observantur, rationes primæ sunt pervestigandæ. Ac primum corporum *similitudo* aut *dissimilitudo*, *identitas* aut *diversitas* ex hujusmodi tantum elementis est explicanda: nam si eadem fuerint elementa, idem perdurabit corpus; sin mutentur, mutabitur: similia elementa similia conflabunt corpora; dissimilia conflabunt dissimilia: tum singulorum corporum generum proprietates, effectus, quæ non nisi ab elementorum natura ac viribus primævis proficiscuntur. At dicet fortasse aliquis, ex simplicibus hisce atque inextensis substantiis corpora extensa & solida procreari non posse: penetrabunt enim sese mutuo, ut ne infinitus quidem earum numerus vel latum unguem conficiat. Eam Wolffius rationem nihili prorsus facit, putatque se ex horum

horum elementorum natura explicare facillime simul & clarissime posse, quo tandem pacto extensio ex iis solida & divisibilis prodeat. Id sic exorditur.

Singula elementa dissimilia omnino esse, nullumque esse alteri prorsus simile, quin ne fieri quidem a Deo posse, quod nulla subsit *sufficiens ratio*, contendit, jactatque vel experimentis quamplurimis quum sibi, tum Leibnitio patuisse, nullum revera esse in natura individuum undequaque alteri simile. *Similitudo*, inquit, *posita est in eorum identitate, per quæ entia discerni solent*; quum autem entia simplicia per se tota discernantur, nihil *idem habent*; dissimilia ergo sunt. Sed quo potissimum monadum *natura* & *essentia* continetur? Nempe, inquit, *vi activa*, *anima*. Est scilicet cuilibet propria vis quædam activa, & anima, qua est quod est, & ab aliis omnibus distinguitur discerniturque, *Principium* hoc *discernibilium* vocat. Non ergo eos probat, qui atomos omni *activitate* spoliant; non posse eos hujusmodi atomis rerum naturalium causas, ordinem, vim explicare arbitratur. Jam ob hanc *activam vim* elementa in continuo sunt conatu, quo fit ut *internus cujuslibet atomi status* perpetuo mutetur: quippe *status* elementi ab ejus actione pendet, actioque illa in omni ferme temporis momento varia est & diversa. Sed status tamen hujusmodi connexi inter se sunt ita, ut fato velut quodam alter ex altero necessario manet, ut possint ex primo ceteri omnes perspici & prævideri. In tanta autem universi extensione, in qua, si Leibnitianis credimus, ne minimum quidem *vacuum* quanta erit elementorum hujusmodi copia. Quot cujusque elementi status: quot omnium? Interim & elementa omnia, & omnes omnium status talem habent inter se connexionem, talemque conficiunt harmoniam, ut (quale paradoxum!) si unum elementum pereat, si unus perturbetur status, tum totius universi ordo, connexio, series, harmonia turbabitur. Ita Wolffius (*a*).

His hunc in modum expeditis, ad id tandem adgreditur explicandum *in Cosmologia* (*b*), qui fieri possit, ut ex monadibus illis corpora cogmententur. Singula, inquit, elementa, in singula agunt, a singulisque in singula reagitur. Ergo mutua hac actione copulantur; eadem, ne sese

(a) *In Theol, nat. part.* I. (b) *Sect.* I. *cap.* 3.

ne sese penetrent, præpediuntur. Quocirca ita uniuntur, ut simul alterum extra alterum exsistat: ea est extensio, *quæ* nempe partes habeat extra partes. Sed qui solida? nempe quia agens undequaque. Atque est hæc Wolfii de rerum corporearum elementis doctrina per summa capita explicita. Nullum, ut patet, isti philosophi *vacuum* spatium esse contendunt: spatiumque nihil esse aliud volunt, quam *corporum* extensionem, *coexsistentiam*, & situm. Ea de re acerrime pugnatum est Leibnitium inter & Samuelem Clarkium: cujus disputationis præcipua momenta exstant in *miscellaneis* gallice editis, quæ præscripta sunt *Récueil des diverses piéces sur la philosophie, la religion naturelle, &c. par Mms. Leibnitz, Clarke, Newton, & autres auteurs célébres. Amst. tom. 2. in 8.*

Jam quid isti doceant de viribus universi activis, intelligitur facillime, si leibinitianam & wolfianam celeberrimam illam harmoniam præstabilitam enarraverimus. Diffuse systema hoc explicatur a Wolfio in *Psychologia rationali*: nos in pauca conferemus verba (1). Omnium primum statuit Wolfius, mentem humanam talem esse a Deo creatam, ut vi sua primigenia, sine externæ ullius causæ ope omnes sua *perceptiones*, & *appetitiones*, continua serie eaque immutabili, sibi producat: ita nempe ut primus mentis status, velut A, rationem contineat sufficientem omnium aliorum possibilium. Sed prima illa animæ humanæ vis potest perenni scilicet perceptionum serie, *repræsentare sibi universi partes omnes*. Id Leibnitius sic accipere videbatur, quasi singulæ monades adeoque & mentes, totum in se universum contineant, quod paullatim ordinatimque se se expedit. Nihil ergo ex corpore meat in animum. Quinimmo si nullum esset corpus, non minus anima ea perciperet, aut ageret, quæ percipit, agitque *naturæ suæ vi ac necessitate*. Porro & illud statuit, corpus humanum ita esse compactum, ut vi motrice donatum, nulla alterius causæ ope, omnes sibi actiones suas ipsum per se procreet. Non id impellitur a mente: ne impelli quidem potest, quum tangi ab ea nequeat. Est in primigenia sua vi ratio sufficiens, qua omnes suos status immutet. Ergo quæcumque in corpore nostro concitantur motiones, dummodo

---

(1) Vide quæ dicta sunt in tertia parte.

modo eæ *passiones* non sint, idest ab externis corporibus factæ, ita in eo fiunt, ut, etiamsi nulla esset anima, fierent tamen eodem ordine. Oculos attollo, aut demitto, circumvolvo, adaperio, aut claudo: manus extendo, aut contraho: agitor, aut curro: nihil ejus anima: a natura omnia corporis emergunt. Non est ergo corpus, dicet aliquis, animæ unitum. Falso, inquiunt. Perceptiones, atque voluntates animi ita in eo innascuntur, ut coexsistant motionibus in corpore, aut ab externa causa, aut ab ipsa corporis natura excitatis; motiones vero corporis, quæ liberæ creduntur, ita fiunt, mentis perceptionibus atque voluntatibus respondeant. Credas alteras ab alteris nasci: illæ tamen ne se norunt quidem unquam, tantum abest ut a se invicem producantur. Præstabilita est a Deo hæc harmonia: ita pergit. Nihil illam perturbare, nihil ei officere potest. Quam sane opinionem vix mihi persuaserim serio aut a Leibnitio & a Wolfio propugnatam, aut ulli, cui non sit irata ratio, probari. Sane vero dum hæc mecum reputo, in ea magis magisque sententia pertinax hæreo, tanto homines de rebus naturalibus scripsisse verius, quo simplicius philosophati sunt, rebusque comprehensibilibus adhærescentes metaphysica aut ignorarunt, aut contemserunt. Ex quo enim Græcorum lascivientium haud dubium ingeniorum opera, phantasia elaborata naturæ systemata & a communi hominum sensu remota, nimis videlicet metaphysica, in lucem prodierunt, tantum abest ut naturæ rerum cognitio aucta sit & illustrata, ut sceptiscismus potius ac fanatismus in die longe lateque provectus sit, provehaturque etiamnum. Idcirco de rerum origine & constitutione quanto agrestius barbaræ nationes senserunt, tanto, ut ego quidem arbitror, veritati fuere propiores. Res omnes illæ ex turbido chao supremæ mentis numine atque consilio discretas conformatasque: homines ex creta confictos, divina cogitandi & sentiendi vi adjuncta: animas in corpora dominari, eaque pro arbitrio regere: ordinem mundi legem esse vitæ omnibus in medio positam: cuncta sensuum nos via percipere, quæ mox animi ratione digeramus, & quæ sunt his similia, magna consensione docebant. At hi adstractis adscitis notionibus, dum philosophiam ab hominum commercio ad mundum intelligibilem, idest extra humanæ men-

ne mentis captum, revocare student, omnia rixis, vanis quæstionibus, tenebris oppleverunt. Veteres (1) de natura, Deo, religione sanctius credere putabant, quam inquirere: majores ergo istis in rebus audiebant doctores; iis parebant: isti dum omnia vetera, quasi vieta contemnunt, ingenii libidine abutentes; perridicula quævis absurda conceptis ad fucum faciendum argumentis orbi obtrudere conati sunt. Eleganter Homerus in Odyss. B.

Παυροι γαρ τοι παιδες ὁμοιοι πατρι πελονται

Pauci sunt filii qui patribus similes proveniunt.

& Horatius

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem (2).

(1) Est Æliani locus in varia hist. lib. II. cap. 31. qui dignus est qui hic commemoretur. Και τις ουκ αν επῃνεσε των βαρβαρων σοφιαν; ειγε μηδεις αυτων εις αθεοτητα εξεπεσε, μηδε αμφιβαλλουσι περι Θεων, αρα γε εισιν, ἢ ουκ εισι, &c. *Et quis non Barbarorum laudet sapientiam? Siquidem nemo eorum ad atheismum prolapsus est, neque in dubium vocant sint ne dii, necne, & curent, necne, nos. Nemo ergo neque Indus, neque Celta, neque Ægyptius id cogitavit, quod Evemerus Messenius, vel Diogenes, Phryx vel Hippon, vel Diagoras, vel Sosias, vel Epicurus; hi enim barbari, quos dixi, & esse deos prædicant, & nostri habere procurationem.* Nam publica hæc persuasio cum ipso genere humano nata est. Qui bellum Deo agere audent nullam hucusque alicujus nominis gentem indicare potuere, quæ sine aliqua religione coaluerit.

(2) Hæc ego emphatice dicta volo; quæ enim nullo non seculo poetæ ac historici scripserunt, senescere tellurem, ac omnia in deterius labi, hoc ipso falsa esse deprehendere facile possumus, quod a triginta jam seculi jactata, dicantur etiam. num. Nam ad mores quod attinet, nihil frequentius in divinis Mosis libris legere licet, quam fœdam primorum, etiam qui cataclysmum præiverunt, mortalium vitam: mundum cum fratricidio ac impietate cœpisse; sexdecim ab orbe condito seculis nihil justi, nihil sancti fuisse in tellure, *omnis*, inquit, *caro corruperat viam suam*; tribus a rerum instauratione seculis vix Abrahami familiam primævam pietatem & justitiam servavisse. David psalmo XIII. *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles. facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Reliqui divini auctores, suo quisque tempore, idipsum uno ore prædicant. Sed & hoc ipsum pagani lamentantur scriptores. Homerus sæpe. Hesiodus, quem marmora Arundeliana mille circiter annis epocha christiana antiquiorem faciunt, dum Persem fratrem monet (opera v. dies 371.)

Και τε κασιγνητῳ γελασας επι μαρτυρα θεσθε

Etiam cum fratre ludens testem adhibito

„ Satis indicat quantopere ejus „ ævi perfidi essent homines ac „ subdoli. Idemque in Theogonia „ suo jam tempore, ferreo nempe „ seculo, fœda fuisse omnia ac „ prava queritur, seque iis tempo„ ribus natum piget. Lucilius „ apud Lactantium Instit. div. v. „ 9. hunc in modum de Romanis „ sui temporis differit

Uni se atque eidem studio omnes dedere & arti,

Verba dare ut caute possint, pugnare dolose,

Blanditia certare, bonum simulare virum se;

Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

„ Itaque non heri aut nudiusterr„ tius secula vitiorum advenere. „ Sed ne senescit quidem tellus, „ tota simul si spectetur; etsi quæ„ dam ejus hic illic sint partes, „ quæ variis vicissitudinibus subje„ ctæ in deterius abire quando„ que videantur. Id animantium, „ plantarumque docet historia ve„ tus si cum recentiori conferatur. „ Quid illud? aut exundare, ut „ quibusdam placet, maria, aut „ deficere? æque nempe falsum: „ quod inde conjicias, quod his „ crescere aquas, illis deficere vi„ deantur, quum απλως nequeat „ utrumque esse verum: ac si est, „ non moles crescit, aut decrescit, „ sed litora quædam, aut sinus, „ aut parva ac interna maria.



DIS-

DISSERTATIO II.

ADVERSUS

PLATONICOS, ET PERIPATETICOS,

Qua mundi æternitas oppugnatur.

Mundum esse opus artis consiliique, nec valde antiquum, is ignorare potest, qui sensibus omnibus sit mutilatus. Principio sunt tanta ac talia quum in tota mundi machinatione, tum in singularum partium structura perfectæ sapientiæ vestigia, ut quod præclare Cicero animadvertit, inter homines ii artifices excellentissimi & peritissimi habeantur, qui opera sua ita ex natura exprimunt, ut in ea imitanda propius accedere videantur. Stultum vero est eos artifices habere sapientissimos, qui plenius naturam effingant, ac imitentur, naturam vero ipsam sine ratione & arte factam arbitrari. Sed quoniam hoc argumentum & inferius a nobis explicandum est, & pertractatum est copiose a viris doctissimis, hoc in loco ad rem digitum intendisse sufficiat.

Nec vero sunt ii minus absurdi, qui mundum numquam genitum, ac fuisse a tota æternitate ita ut nunc est, saltem necessitate naturæ & ab æterno a Deo genitum, audacter arbitrantur. Qui duobus modis refelli possunt. Nam principio, mundum & nulla habere entis necessitate naturæ suæ exsistentis attributa, & e contrario habere omnia entis contingentis, quum est per se perspicuum, tum in prima parte sæpe est a nobis demonstratum. Nempe quod est æternum & necessarium, id tale est, ut & impossibile sit cogitare non esse, & nulla sui parte variabile & mutabile esse possit. Nunc autem, si res sit alia æterna, ac a mundo diversa, ut profecto est, nihil clarius intelligo, ac sine ulla rerum pugna, mundum ita esse, ut nihil prohibeat non esse; & partes omnes ita positas, ut sapientissime quidem constitutæ sint, sed ita tamen, ut non necessaria sic stent; & tandem plurima in tellure esse, quæ novitatis manifestum sunt argumentum. Quod si tellus origi-

originem sui habet aliquam, (id quod qui negat in historia ejus naturali est hospes) totum habet systema solare, cujus nulla pars auferri potest, quin totum perturbetur. Hoc ipsum de ceteris systematibus stellarum concludo, quæ omnia inter se harmoniam habere gravissimæ rationes suadent.

Sed proprius hæc nostra, breviterque retractemus. Tellurem eam, quæ nunc est, totam olim aquis marinis contectam fuisse, nemo hodie rerum naturalium peritus dubitabit: nam & ostrea, & conchæ in mediterraneis locis omnibus defodiuntur, ac immensa prope copia: & in ipsis celsissimis montibus reperiuntur, velut Alpibus gallicis, & Pyrenæis & sabulonis marini strata ubique terrarum, & χοιραμίδες: quas vocant, seu undis marinis attrita saxa, & λιμνοθάλατται seu lacus salsis aquis, marinaque arena, littorum maris instar (1). *Qua ex re fit, ut hæc hominum animantiumque genera, quæ hodie totam adornant terræ superficiem, longe sint recentiora. Sed & illud æque constat, antequam oceano cooperiretur tellus, jam tunc habitatam fuisse. Primum id probat, quod aquæ piscibus refertæ fuerint. Quæ autem causa est, cur non & tellus animantibus reliquis? Tum reliquorum quoque animantium ossa defodiuntur passim, veterumque arborum trunci. Ad hæc, lapides humana arte perpoliti, aut reliquarum artium rudera. Memorat ex Eratosthene Strabo loco superius citato prope Ammonis templum, quasi in Africæ meditullio, defossa effractarum navium frusta. Itaque necesse est ante hanc quam oceanus delevit, aliam exstitisse hominum generationem, novamque esse hujusmodi, quam incolimus, terræ superficiem. Veteris vero illius mundi ecquid aliud probabilius dicere possumus, quam quod in divinis Mosis libris traditum est? Ita illa & eluvionis causas satis certas docet, & una opera veras mundi origines. Eas autem aliquas fuisse, neque admodum a cataclysmo remotas, telluris item phænomena ostendunt: in tanta enim rerum tantarum defossione nihil admodum priscum, nihil præsentium ingenii & luxus artium detectum; quod oportuisset, si illa ætas tam exculta atque ingeniosa fuisset, quam hodie sumus. Si æterna vero fuit, carere ne iis & disciplinis & artibus per ingenitum tempus potuit? Quid, inquit aliquis, si & vetus illa*

(1) Vide Strab. lib. 1. pag. 84. edit. Casaub. & Buffoni theoriam telluris.

illa generatio recens fuerit ab alio diluvio, aut terræ ulla quassatione? Ita sat temporis habere non potuit ad artes & scientias excolendas. Esto: saltem tertiæ periodi, ætatis, inquam, tertiæ, vestigia ulla superessent in montium ruinis, metallicis fodinis, puteis. Nunc nihil horum. Hæc igitur gratis comminiscimur: queis, cum nihil terrestris experientiæ suffragetur, ecqua fides præstari potest? Quamobrem certos nos telluris physiologia efficere debet, & eam aliquando cœpisse; & nihil esse quod verisimilius dicamus (cum philosophis liberaliter agere decrevi) quam quod Moses tradidit. At si tellus aliquando cœpit, quis est rerum astronomicarum tam imperitus, qui æternam lunam fateatur? qui si duo planetæ initium habuere aliquod, quid causæ arbitrabimur, cur non ceteri quoque aliquando exsistere cœperint? Id si sit, & sol quoque factus aliquando est, totumque postremo planetarum systema. Quæ si mundi pars est aliqua minima illa quidem contemnenda, totum universum factum sit necesse est; ne tam simus absurdi, ut id totum æternum dicamus, cujus partes heri aut nudiustertius exstitere.

Sed illud in primis argumentum, si quid cerno, præclarum, omnique exceptione, cujus ratio haberi a sapientibus debeat, majus, quod totum hominum genus, quacumque patet tellus, omnique tempore, vetusta, nec uspiam interrupta traditione, homines, atque hunc nostrum globum aliquando cœpisse docuerit. Dissident enimvero inter se, serius, an citius incœperit: hac, aut alia ratione creatus sit: vetustas memorias allegoriis & fabulis incrustant, quisque populus sui præsefert antiquitatem: falsa plurima ac absurda, ab omnique ratione dissidentia tradunt. Sed in eo sunt constantes, mundum hunc originem habuisse, nec habuisse tantum, sed a causa intelligentissima, potentissima, optima haud plurimis retro sæculis fuisse procreatum. Id vetustissimi præcipiebant populi, Ægyptii, Phœnices, Judæi, Persæ, Chaldæi, Æthiopes, Scythæ, Thraces, Jones, Græci veteres, Etrusci, aliique ad occidentem vergentes. Id Indi, Siamenses, Sinenses antiqui recentesque: id Peruani, Mexicani, totusque novus, ut vocant, mundus. In tam concordem sententiam veteri ne venere traditione, an contemplatione & argumentatione? Qui vetustos commentarios, hymnos, theogonias, fragmenta antiquæ historiæ consideraverit, priscarumque illarum nationem simplicitatum, sæpe etiam stupiditatem inspexe-

spexerit, cavebit, opinor, ab ea absurditate, ut id invenisse eas acutius solertiusque dicat, quod Aristotelei philosophi, hodieque insignes physici & mathematici vix se certis naturæ argumentis demonstrare posse confidunt. Quin qui illam mundi originem docent aperte fatentur se deorum tradere doctrinam: deos autem primos mortales nuncupant. Traditione ergo id rescivere, quam in ipsis tam multis fabulis, quibus illam dehonestaverunt, per ambages licet, sed cernere tamen possumus. Quis autem tantam tamque miram consensionem audeat mendacii insimulare? Sed mentiuntur, inquit aliquis, plurima. Mentiuntur hercle vero: ipsa per se mendacia sese produnt. Nam nec cum natura rerum satis semper consentiunt, nec inter sese; & rationem statim offendunt avertuntque. Sed id, in quo consentiunt, nec cum natura pugnat, nec humanam rationem elidit. Secernamus ergo illas insitas levitates, quæ non hanc traditionem spectant, sed populorum varium multiplicemque ostendunt genium moresque, atque hoc inspiciamus, cœperit ne aliquando mundus? Hunc seu Osiris fecerit, seu Mithras, seu pater hominumque Deumque: *ex ovo traxerit, an ex chao, id perinde est: omnes cœpisse concorditer fatentur. Id a commentariis mosaicis accepisse ceteros ajunt nostri avi Athei quidam, in eoque, quod mireris, theologorum non paucos consentientes habent. Itaque quum confidant se hujusmodi commentarios mendacii convincere posse; totam illam veterem traditionem uno quasi ictu pessumdare posse audent. Sed ego neque huiusmodi theologos probare possum, nec si probem, minus est ea traditio immobilis. Ac vero probare non possum, quum ex Mose ipso nullo possit negotio demonstrare, Ægyptios, Chaldæosque, antequam Judæi in Chananitidem mitterentur, ea docuisse: & qui ajunt totam reliquorum utriusque hemisphærii populorum sapientiam ac religionem nihil aliud crepare, nisi Mosem, eruditionem fortassis suam, improbumque conatum persuadere nobis amant: at vereor ego, ut qui tam docti in vetustis memoriis fuerint, id sibi ipsi persuaserint. Hos igitur conjecturalis artis Hercules mittamus. Quod si Athei in eo obdurant, quid efficiunt aliud, quam ut id fortius demonstrent, quod oppugnant? Nam si hæc sapientia tota ab una est Judæorum familia, ab ea totum fit genus humanum necesse est. Cœpit igitur aliquando. Utroque igitur modo necesse est ut cœperit.*

Illud quæsiverit quispiam, quum primi mortalium tan-

tæ mundi molitioni adesse ipsi nequiverint, qui eam testari potuere? Nemo eorum testis ejus rei oculatus esse potuit: nemo ne auritus quidem: non a quo accepit? Inscite rogant. Erant videlicet tot recentes creatæ telluris vestigia, ut vel stipites sensissent jam tunc genitam: pauci, ut par est credere, incolæ: nil prisci in ipsis, nihil artium, nihil vetusti moris: recentia omnia, arbores, animantia, totaque telluris facies. Ii ipsi suæ sibi novæ originis conscii esse debebant. Sed copiose hæc edisseruit, quem alias laudavimus, Bolingbrokius (1).

Jam sunt in rebus humanis satis ampla ejusdem rei argumenta, in artibus, religiosis cultibus, linguis, gentium originibus. Ferme omnes occidentis, Græciæ, Italiæ, Hispaniæ artes ab Ægypto ac Phœnicia sunt oriundæ, quod ii pluribus ostenderunt, qui ea de re disseruere ex instituto. Jam partim ab occidente, partim ex eodem Ægypto per Assyriam, Armeniamque septemtriones invasere. Id & artium, & eorum instrumentorum vocabula pleraque adhuc testantur. Tum primus mortalium & antiquissimus cultus religiosus idem: simpliciter ac sub dio supremo numini sacrificabant, nec nisi aut preces, aut fruges (2): *mox etiam pecora. Postquam simulacrum ejus aliquod constituere sibi decreverunt, sol omnibus fere veteribus cultus, quacumque tellus patet. Qui tantus consensus sine ulla communi origine? Porro linguæ, ut hodie longe aliæ, quam primis fuere temporibus, tamen manifesto unam communemque matrem præseferunt. Linguas Hebræam, Phœniciam, Assyriam, Arabicam, Persicam veterem, Æthiopicam, Ægyptiam communis esse fontis constat inter doctos omnes, ut præsentes Italica, Gallica, Hispana, Latina, Græca: ex Græca formam Latina habuit, magnumque fundum, hinc memoratæ reliquæ. At ex oriente & fundum primum, & ornamenta plurima acceperat Græca. Tartara immensas regiones pervasit, item ex illis Syriæ, Chaldææ, ac Persidis fontibus. Septemtrionales linguas Germanam, Svecicam, Anglicam ex Aramæa, idest Assyria profectas eruditi plures demonstraverunt. Nec ego dubito, quin idem acciderit Indiæ ac Sinis. Ejusdem originis vestigia non levia in Americæ linguis detexit Lafiteau. Quæ ut sunt illa admodum probabilia, ita vix ullum dubitandi locum esse sinunt, ab uno stipite genus humanum profluxisse,*

nec

(1) *The substance of som letters* tom. v. operum philosophicorum.

(2) *Vide Porphyr.* περι των εμψυχων αποχης.

nec valde antiquo. Idem postremo conficiunt coloniæ, populorumque origines primæ. Nam ex eodem oriente totam tellurem incolas accepisse vetera monumenta vel ab ipsum docuerint. Nec vero ab æterno, sed heri, ut ita dicam, & nudiusstertius. Non solum igitur non ab æterno est tellus, sed prorsus recentissima. Quæ si eadem est totius orbis causa, idem de toto concludamus, quod in parte effecimus.

Deinde, ubi satis non sit rem ita se habere demonstrasse, scrupulos, quos injicere profani moliuntur, amovebimus. Egit id accuratissime Benedictus Pererius in XV. libro de communibus principiis. *Veterum enim philosophorum Platonicorum atque Aristoteleorum argumenta, quibus probare conantur ab æterno ac necessario mundum a Deo esse factum, omnia magna ingenuitate, ac veterum scholarum in morem, protulit, cribravitque. Quum nihil novi recentes adduxerint, æternitatis mundi patroni, ut sunt isti loquacitate magis, qua re philosophi, pauca nos Pererio addenda censemus. Locus quidem longior est si sæculum hocce lectionis impatiens spectes: brevior etiam, si res. Itaque proferemus totum, eoque libentius, quo iis occurramus, qui in re litteraria peregrini jam dudum inscite clamant, esse in scriptis nostris ementito nomine profanorum argumenta non pauca, malo consilio sparsa. Qui iis tanto facilius ignoscimus, quanto non ulla rerum cognitione, sed malo conviciandi genio effutiunt magis, quam dicunt. Scio futuros, qui peripatetica schola aut ænigmatibus, aut ineptis & inficetis dogmatibus, quibus plerumque utitur Pererius, offendantur: sed ignoscere possunt ætati & recta. Pererius ergo hunc in modum ad eam rem aggreditur.*

Exponuntur & refelluntur argumenta duodecim, quibus Aristoteles utitur ad æternitatem mundi & motus comprobandam, ex locis ejus depromta.

1. PRimum argumentum sumtum est ex 1. lib. Phys. tex. 82. Materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis (1); alioquin enim cum necessarium sit aliquod

 sub-

(1) Hæc quum & Aristoteles, & alii sæpe scribant, id ab illis exquirat aliquis, quid ii ὕλης πρώτης nomine intelligant. Materiem, ὕλην, veteres Græci dicebant ligna, ex quibus artificia fierent: hinc sylvæ ὕλαι: & ὑλώδης, sylvosus. Tum omnia corpora,

quæ

ſubjectum omni generationi præexſiſtere, & omni corruptioni ſupereſſe, aut daretur alia materia prior, quam prima; aut eadem, quæ prima eſt; antequam generaretur, exſiſteret, & poſt interitum ſuperſtes eſſet; oportet igitur materiam primam æternam eſſe. Non poteſt autem ſine forma materia unquam exſiſtere: quare procreatio formarum ſempiterna eſt. Ex quo fit ut motum, & mundum ſempiternum eſſe neceſſe ſit.

2. Secundum argumentum, ex lib. 8. Phyſ. tex. 4. Ipſum mobile prius eſt motu, cujus eſt ſubjectum (1). Quare ſi aliquando motus cœpit eſſe, ſubjectum illius primi motus generatum fuit, aut ſempiternum; ſed cum generatio ſine motu fieri nequeat, alius motus prior præceſſiſſet primum motum; ſin autem mobile ſempiternum fuit, motu tamen carens, credendum profecto eſt, aliquod impedimentum fuiſſe, vel in ipſo mobili, vel in movente, propter quod in tota illa æternitate motus eſſe non potuerit, illo autem ſublato, deinde motus eſſe cœperit: at talis impedimenti remotio ſine motu fieri non potuit: quare ante primum motum fuiſſet motus, quod eſt abſurdum. Numquam igitur motus cœpit eſſe.

3. Tertium argumentum ex eodem lib. 10. Tempus ſempiternum eſt. Nam ſi cœpit eſſe, verum erit dicere, aliquando tempus non fuiſſe, & non eſſe temporis prius fuiſſe, quam eſſe illius: at *prius*, & *aliquando* ſunt differentiæ ipſius temporis; ergo ante generationem temporis fuiſſet tempus. Quod ſi tempus ſempiternum eſſe neceſſa-

---

quæ noſtris artibus ſubjectum ſuppeditant, ὕλην appellavere. Quum nemo unus dubitaret mundum fuiſſe procreatum, ὕλην antiqui vocaverunt primæva aliqua corpora, ex quibus ille eſſet conflatus. Philoſophorum, ut ſuperiori diſſertatione dictum, alii aquam eſſe cenſuerunt, alii ignem, alii aliud, alii nihil horum, ſed informe ſubjectum, ut Plato & Ariſtoteles: Quæcumque ea eſt, ea dividua ſit neceſſe eſt, atque geometrice in infinitum, quod ne Ariſtotelles quidem, quando dum phyſicis loquitur, pernegat. Igitur aut materia ſunt prima corpora & elementa, eaque perpetuæ mutationi obnoxia ſunt: aut primæ monades, & quis umquam dixerit quid illæ ſint? Ingenita, inquiunt, eſt materia. Quid iſtuc? Ab alia materia non generatur? &, verum eſt. Per ſe & æterna eſt: atque hoc nequeunt ullo modo demonſtrare. Sophiſma eſt ergo totum hocce argumentum: ingenitam enim & incorruptibilem non ulla ratione dicunt, ſed ſola originis ignorantia.

(1) Si quis creationem velut motum rei creatæ concipiat, non adverſor. Si vero primum rei alicujus, quæ non exſiſtebat, exſiſtentiam, id per ſe falſum eſt.

cessarium est, motum item oportet æternum esse. Ut enim in 4. Physic. ostensum fuit, tempus vel est motus, vel non est sine motu.

4. Quartum argumentum, ex eodem libro tex. 11. Absque ipso *nunc* nullum tempus esse potest: omne autem *nunc*, cum sit præsens, est intermedium, nempe finis præteriti, & principium futuri: nullum igitur tempus aut esse aut cogitari potest, ante quod aliud tempus non fuerit, & post quod aliud tempus futurum non sit; ob quam etiam caussam, motum, sine quo tempus esse nequit, principio & fine carere necesse est (1).

5. Quintum argumentum, ex eodem libro tex. 15. Nihil inordinatum est eorum, quæ secundum naturam fiunt, Natura enim causa est ordinis in omnibus: ordo autem omnis in quadam proportione consistit: infinito autem quasi tempore Deum quievisse, postea vero aliquando mundum fecisse, hujus autem nullam esse differentiam, quare nunc potius, quàm prius, neque rursus aliquem ordinem habere, non amplius naturæ est opus. Nam quod secundum naturam fit, simpliciter ac semper ita fit, ut ignem naturaliter ferri sursum: aut si aliquando non ita fit, subest naturalis causa & probabilis ratio potest reddi, cur non ità fiat, ut in monstris evenit. Non igitur Deus ab aliquo initio mundum condidit (2).

6. Sextum argumentum, ex eodem libro tex. 53. & ex lib. 2. de gener. text. 56. Idem manens idem, semper est natum facere idem: cum igitur Deus semper idem sit, & immutabilis, ac semper eodem modo permanens, vel semper mundum fecit, & faciet; vel numquam fecit, nec umquam faciet; aliquando enim non facere, varietatem quandam arguit in opifice inesse (3).

7. Septimum, argumentum, ex eodem lib. tex. 76. Mo-

 tus

(1) Nihil puerilius duobus superioribus sophismatibus: tempus enim cum duabus diversis notionibus sumitur, *motus* nempe cæli, *& durationis* rei cujusvis continuatæ. Inde quatuor, ut ajunt, terminorum syllogismi.

(2) Si naturam dicit *vim insitam materiæ*, aut, ut Stoici, πυρ τεχνικον ὁδῳ βαδιζον εις γενεσιν, *ignem artificiosum ad gignendum progredientem via*, ut vertit Cicero de nat. deor. II. 22, nemo refragatur: nihil tamen pro re sua conficit. Si naturam primam mentem, rerum eamdem & effectricem, & moderatricem, accipit, præsens argumentum non differt a sequente.

(3) Origenes in libris περι αρχων ita hoc argumentum evadit, ut semper fecisse mundum Deum dicat: ab æterno quidem genuisse λογον, inque eo universa: per λογον

tus circularis non habet actu terminos, a quorum altero dicatur incipere, ad alterum vero terminari, sed semper est in principio, medio, & fine, vel potius numquam est in principio, medio, & fine; ex quo fit, ut motum circularem cælorum principio, & fine carere necesse sit (1).

8. Octavum argumentum, ex 1. de cælo tex. 20. Cælum est ingenerabile & incorruptibile; nam quicquid gignitur, ex contrario, subjecto gigni oportet: contrariorum autem corporum contrarii sunt motus: porro motui circulari nullus alius motus contrarius esse potest; quo fit, ut cælum contrario careat, ac proinde ortus & interitus expers sit. Non igitur mundus esse cœpit (2).

9. Nonum argumentum, ex eodem libro tex. 22. Omnes gentes faciunt cælum locum, sedem, atque domicilium deorum; quod si locus congruens esse debet iis, quæ in ipso sunt; oportet cælum sempiternum esse, quemadmodum dii æterni sunt (3). Præterea, ex omni temporum memoria, quod quidem monumentis proditum sit, nulla unquam aut in universo ipso cælo, aut in aliqua parte ejus facta mutatio dicitur, quæ ipsum corruptioni subjectum esse significet. Quin etiam ipsum nomen *cæli* ab antiquis impositum, hoc, quod diximus, non obscure indicat: æthera enim nominare voluerunt, quod ipsum æterno, atque irrequieto ambitu circumagi viderent (4).

10. Decimum argumentum, ex 12. lib. Met. tex. 30. Opifex mundi ejusmodi est, ut substantia ejus sit actus omni carens potentia; at si non semper operaretur, sed aliquando quidem ageret, aliquando autem ab actione vacaret, interdum esset opifex *potentia*, interdum *actu*: quare non esset omnino expers potentiæ. Ab æterno igitur mundum condidit.

11. Un-

λογον vero procreasse primum quidem mentes; postremo cetera. Manus, ut videtur, victas hosti præbet.

(1) Ita quoque conficietur, ut si fundam manu contorqueam, numquam is motus cœperit.

(2) Hujus argumenti propositionem esse falsam, & ratio demonstrat, & astronomicæ observationes.

(3) Atqui dii hujusmodi non æterni, sed cælo, aut chao geniti veteribus theologis Homero, Hesiodo, aliisque.

(4) Hoc e lacunis scholæ adornatum est argumentum. Cælum enim græcis est ουρανος, χαος, αιθηρ, quorum nullum hanc æternitatis notionem præfert. Quin Aristoteles nullibi librorum περι ουρανου tam frigidum adhibet argumentum. Nam quum & Plato, & Aristoteles ajunt αιθερα dici ab αει θειν *a semper currere*, non id ita dicunt, quasi necesse sit, eos græcos, qui ita primum loquuti sunt, æternum fuisse mundum intellexisse.

11. Undecimum argumentum ex eodem lib. tex. 48. Optima ac perfectissima dispositio intelligentiarum est movere orbes, & quæ sub ipsis sunt; sic enim suam bonitatem & perfectionem aliis rebus communicant, quod est maxime proprium boni, & perfecti: hac etiam ratione evadunt caussæ aliarum omnium rerum in genere caussæ efficientis, & finis. Quare si mundus non est æternus, intelligentiæ ab æternitate otiosæ, ac imperfectæ fuissent.

12. Duodecimum argumentum, ex 8. libro Phys. tex. 48. & 56. Deus & natura semper faciunt ex possibilibus, quod melius est; melius autem est mundum esse, ac semper esse, quam non semper esse; est autem hoc possibile; qui enim de novo factus est, potuit ante fieri, & ab æterno fieri; nisi forte potentia Dei varietur suscipiens magis & minus. Porro, sicut melius est esse, quam non esse, ita melius proculdubio est semper esse, quam non semper esse; mundum igitur semper fuisse, & semper fore melius est, quam non semper fuisse: Ergo Deus ab æterno mundum fecit.

Respondetur ad argumenta Aristotelis.

IN prima, secunda, & octava ratione, ponitur ac sumitur, quasi certum & indubitatum, creationem esse omnino impossibilem, hoc est nullam rem ex nihilo fieri posse; omnemque productionem cujuslibet rei, vel esse motum, vel cum motu necessario conjunctam. Quod fundamentum quam sit vitiosum & fragile, perspicuum est ex iis, quæ docuimus quinto libro hujus operis, ubi de creatione disseruimus, & multis argumentis probavimus, creationem non esse impossibilem. Quare supradictas tres rationes Aristotelis, quæ tali fundamento nituntur, atque fulciuntur, infirmas esse necesse est. Nam & primam materiam, & primum mobile & omnes cælos de novo productos esse dicimus, non per motum physicum & ex aliquo subjecto, ut Aristoteles argumentatur, sed per creationem ex nihilo.

Ad 3. Illa vocabula *prius* & *aliquando* hic non designant ullas differentias tempori veri & realis; sed vel imaginarii, vel tantum significant motum non semper fuisse: non secus ac illa *extra* vel *supra* mundum nihil esse, quo modo loquendi utitur Aristot. 1. lib. de cælo tex. 90. non significant differentias loci, cum extra & supra primum cælum nulla sit differentia veri loci. Ad 4. Ejusdem sen-

sententiæ est, negare motum & tempus æternum esse, ac omne *nunc* esse medium inter præteritum & futurum: qui enim diceret aliquam lineam, cujus extrema non cernuntur, finitam esse, negaret utique omne punctum illius lineæ medium esse, id est principium, & finem lineæ. Quare sumitur in argumento id quod est in quæstione. Ad 5. Ratio concluderet, si Deus ex necessitate mundum fecisset; oportet enim, aut mundum æternum esse, sicut est Deus, vel Deum non semper fuisse idoneum ad efficiendum mundum. Cum autem nulla necessitate adductus Deus, sed libere quæ extra ipsum sunt producat, quemadmodum in iis quæ fiunt a libero arbitrio non eadem ratio quærenda est, atque in rebus naturalibus, quæ fiunt ex necessitate quadam naturæ, atque eodem fere modo sic etiam in Dei operibus non est idem requirendum, quod in aliis rebus; nec ea sunt exigenda ad normam agentium naturalium, nec ad leges naturæ astringenda. Neque vero si voluntatis divinæ nulla ratio certa, & manifesta assignari potest, cur tunc & non ante fecerit, ideo quod dicimus negandum est: quam enim multa sunt, quæ non propterea negamus, quod eorum caussæ nos lateant? Ad 6. Ab agente per intellectum, cujusmodi est Deus, prodit affectus, non secundum esse illius, alioquin omnia haberent esse divinum, nec posset distinctio rerum corporearum, & incorporearum ab ipso immediate proficisci: sed tantum secundum præscriptionem atque definitionem intellectus, & determinationem voluntatis Dei. Unde licet Deus æternus sit, tamen quoniam ab æterno voluit mundum facere, non quidem æternum, sed novum, ideo non æternus, sed novus exstitit. Fuit, igitur in Deo æterna voluntas, ut esset mundus novus. Quare, nec in esse, nec in intellectu, nec in voluntate artificis, ob novam molitionem mundi, mutatio ulla contigit. Ad 7. Principium & finis motus circularis non penes mobile tantum attendi debet, alioquin nullus corporis rotundi motus, ut pilæ vel globi, aut initium, aut finem habere posset; sed penes motorem, qui ab æterno decreverat ut aliquando motus cæli inciperet: fuit autem motus circularis cum cælo productus a Deo; vel effectus est ab intelligentia, quæ cum primum orbis cælestis est a Deo conditus, vim suam ad eum movendum applicuit. Ergo licet motus circularis non habeat in parte circuli certum aliquod initium unde incœperit,

tit, habet tamen ex parte moventis intelligentiæ (pendet autem ex movente duratio motus) quæ non semper movit, sed ab aliquo principio cœpit movere.

Ad 9. Ut verum sit, cælum ab omnibus putari locum Dei, non tamen ex eo efficitur, ut sempiternum sit, quemadmodum Aristoteli placuit; non enim cælum sedes, ac domicilium Dei esse dicitur, quasi Deus illo indigeat ad conservationem, vel abitationem; sed quia in ea supra ceteras res creatas vim, magnificentiam, atque gloriam suam clarissime ostendit. Vide enim, quam multos ipse ex antiquis philosophis commemorat, & in 2. tex. lib. 8. Phys. & in ultima parte primi libri de cælo, qui longe altera senserunt, quam Arist., non facientes mundum æternum sicut ipse facit. Quod autem, nec in cælo, nec in alia parte ejus ulla unquam mutatio visa fuerit id quidem arguit cælum esse incorruptibile, & ingenerabile motu physico, non autem non esse productum a Deo per creationem.

Ad 10. Esse opificem, vel creatorem, est respectus quidam Dei ad creaturas, in creaturis quidem realiter existens; in Deo autem non nisi secundum rationem, & terminative. Quare aliquid de novo facere, nullam novitatem, aut varietatem ponit in creatore, sed tantum in creaturis; ideo enim dicitur de novo creatur ab ipso: propter novitatem creaturæ, non ipsius creatoris. Sed hoc infra exponetur accuratius.

Ad 11. Otiosum & imperfectum est, quod non obtinet finem suum, aut caret dispositione necessaria ad consequendam perfectionem suam. Dei autem, qui per se & absolute est beatus, ac sibi sufficiens finem aut perfectam aliquam dispositionem ponere in relatione aliqua ad creaturas, quarum ipse est auctor, absurdum est. Sicut igitur Deus ex se habet esse, & non in ordine vel ex relatione ad creaturas: ita ex se habet omnem suam perfectionem. Itaque, licet nulla esset res creata, nihilo minus tamen Deus æque atque nunc est, beatus & perfectus esset.

Ad 12. Non potest mundus æternus esse, aut certe melius est eum non fuisse æternum: non quidem, quia opifex non fuerit semper æque potens, & idoneus ad efficiendum mundum; sed quia vel repugnat creaturæ, ut creatori suo coæterna sit; vel quia posita æternitate mundi, per-

multa

multa videntur inde absurda sequi, ut infra monstrabimus; vel quia cum mundus ad demonstrandam Dei gloriam conditus sit (omnia enim, ut est in sacris literis, propter semetipsum operatus est Dominus) ejus infinita potentia, libertas voluntatis, providentia omnium rerum, denique perfecta independentia a rebus creatis, clarius elucet in nova effectione mundi, quam in ejus æternitate.

Verum de argumentis Aristotelis hæc sint dicta: deinceps ad expositionem & confutationem eorum argumentorum, quibus æternitatem mundi Proclus pugnaciter præfracteque defendit, veniamus. Hæc autem argumenta ex eo opere, quod Philoponus eadem de re contra Proclum scripsit (nam Procli pro æternitate mundi scripta, interciderunt) depromemus. Et quæ Philoponus refellens Proclum, cognitu digna prodidit, ea nos in hanc nostram disputationem, suo quodque loco, inseremus (1).

Viginti argumenta Procli pro æternitate mundi, & solutiones eorum.

Primum argumentum Procli.

SI mundus ortum habet, cur non ante factus fuit, quam nos asserimus esse conditum? præsertim cum Deo

(1) Mihi & Aristotelis argumenta pueriles captiunculæ videntur, si decimum excipias, & Peretii, confutatio tota e veteribus scholæ præjudiciis instructa, ut censeam paucis retractanda omnia. Ac prima quatuor argumenta ex peripateticæ tantum sectæ & peculiaribus decretis, non ex rationis æternæ & naturæ scitis concluduntur; itaque cogere neminem possunt, nisi qui Aristotelis sacramento teneatur. Quis ea dabit; *materiam ingenerabilem esse & incorruptibilem: Generationem* (quo nomine etiam creationem ex nihilo intelligit) *sine motu fieri non posse*: *tempus*, quale Aristoteles concipit, in motu positum, & motu emensum, *esse sempiternum*, quibus quatuor illa inædificata sunt argumenta? Quibus de rebus quoniam a nobis plura sæpe dicta sunt in prima parte, nihil hic longius differere attinet. Monuisse tantum hoc in loco sufficiat, decreta illa peripateticæ scholæ nec ipsa per se esse perspicua, nec esse *ἀποδεικτικῶς* demonstrata: adeoque esse instar civilium legum, quæ unam quidem gentem, non omnes, præsertim liberas, obligare possunt.

Jam quintum & sextum argumentum vim quidem suam haberent integram, si Deus necessitate naturæ suæ, quod Aristoteles censuit, extra se ageret. At quoniam hoc cum natura perfectissima pugnat, id quod sæpe a nobis demonstratum est: eum tantum movere possunt, qui arrogantissime sibi persuadeat, nullas alias Deo subesse agendi rationes, nisi quas ipsi intelligere queamus. Animadvertamus autem hic, quintum argumentum ex Leibnitiano *rationis sufficientis* principio vim suam accipere: nam inde sæpe veteres argumentatos legimur.

Septimum vero argumentum illud est, quod universum originem habuisse aliquam perspicue demonstrat,

Deo tribuamus infinitam facultatem, & affirmemus mundum multo ante potuisse condi. Resstrat, tantum abest ut Aristotelicæ causæ faveat. Nam naturalis motus, quod & docent philosophi omnes, & est per se manifestum, rectilineus esse debet. Motus curvilineus ex conflictu duarum virium, *gravitationis*, *& projectionis*, nascitur: itaque natura sua naturali impetu rectilineo posterior est. Quare habuisse mundum originem aliquam nihil æque clare ostendit. At octavum argumentum, quo sæpe mundi æternitatem tuetur Aristoteles, ne valde quidem antiquum esse probat. Nihil enim exploratius esse potest, si & analogiæ leges sequamur, & phænomena stellarum observemus, quam easdem generationes, corruptiones, mutationes in cælo obtinere debere, quæ in systemate nostro planetario locum habent. Nam & sunt stellæ fixæ totidem soles, ac materia, æque ut sol, mutabili constant: & earum, si qui sunt, planetæ, itidem ut nostri naturæ vicissitudini obnoxii sunt. Quid quod novæ stellæ exoriuntur interdum, veteresque evanescunt? Nam & Hipparcus novam primus in cælo stellam observasse fertur! & anno 1572. novam itidem in Cassiopea Cornelius Jemma, quam iterum conspicati sunt Tichonis discipuli an. 1574. & *stellam miram* in collo Balenæ an. 1596. David Fabricius: aliam in collo Cycni an. 1600. Gulielmus Jason: aliam in Serpentario an. 1650. discipuli Kepleri: aliam Hevelius 1670. Itaque qui dubitat totam rerum naturam, quacumque universum patet, continuis mutationibus esse subjectam, nec hoc ordine, quem perennem intuemur, contineri, nisi potentissima & sapientissima Dei manu, is ne latum quidem unguem in physicis profecit.

In quatuor tandem postremis argumentis nihil ego immorabor; sunt enim aut inepta, aut iisdem sectæ præjudiciis, quibus superiora aliquot, superinstructa. Nam quis non subrideat, quum audit, necesse esse cælum esse æternum, ut consentaneam naturæ suæ sedem æterna Dei natura habeat? Id enim vero obtinet in substantiis *formaliter extensis*, qualis Dei natura non est. Quid, inquis aliquis, nihil ne spatii ante conditum mundum erat? puncto ne goemetrico Dei natura coarctabatur? Ego his quæstionibus respondendum non esse censeo, quæ totæ sunt e phantasia nostra depromtæ. Locum enim Deo æternum dare aliquem volumus, quod nihil nisi in loco esse consuetudine corporum excogitare valeamus. Naturam & vim Dei effingere & delineare magis amamus, quam intelligere: nec nos unquam ingenii nostri stupiditatis & crassitudinis pudet.

Sed decimum enimvero argumentum negotium aliquod facessere videtur. Qui semper idem est, totusque actus, cur non idem semper fecisse dicatur? Movit id Origenem, ut dixi, ut veritus sit dicere Deum ab æterno otiosum fuisse. Sunt qui ita reponunt. Æternitas Dei punctum est individuum: creationem ergo mundi puncto præcessit Deus. Atqui ego dubito, utrum difficilior intellectu sit hæc horum responsio, an illud argumentum. Mihi nihil melius hic suppetit, quo hoc argumentum refellam, nisi ut dicam, eam difficultatem non a re falsa nasci, sed a mentis humanæ brevitate: nam nisi mundus sit æternus ipse ac per se, aut emanet a Deo itidem ab æterno, eam difficultatem eamdem semper esse nemo non videt: si enim Deus ullo tempore originem mundi præcessit, æternitate præcessit. Hinc efficio esse hac in re aliquid, quod intelligere mentes humanæ nequeant. Illud autem esse opinor hoc, posse Deum & ab æterno in se ac natura sua esse actuosum, eumdemque semper; & ex hac interna ejus natura sequi, ut fas non sit mundum alias habere origines, quam quas habet. Imbecillitate igitur mentis humanæ ea nos torquet argumentatio. Sed vide quæ ad calcem hujus dissertationis dicentur.

Responsum ad primum Procli argumentum.

SIcut, quia infinitum, aut in magnitudine, aut in numero, actu in natura constare non potest, (ut plurimis, firmissimisque rationibus demonstravit Arist. tum in 3. lib. Phys. tum in 1. libro de cælo), sed necesse est rerum omnium & molem, & numerum finitum esse, ridiculum est quærere, cur non plura, & majora in mundo procreata sint a Deo; quandoquidem sine dubio poterat id facere; etenim cum illa quantacumque, & quotcumque forent, oporteret esse finita, semper eadem maneret dubitatio, cur non plura, & majora facta fuissent. Eadem ratione dicendum est de mundo; cum enim res mundi, sicuti nec magnitudine, atque numero; sic nec duratione infinitæ creari potuerint (ut mox docebimus), sed necesse est omnia aliquando primum cœpisse: ridiculum est quærere, cur non ante mundus factus fuerit: semper enim eadem hæreret quæstio. Adde quod tunc, & non ante factum esse mundum, pendet ex voluntate sola opificis, cui tunc libuit facere, & non antea: ea enim agentia, quæ voluntarie, ac libere operantur, plerumque ita agunt, tantum quia sic volunt, ut pictor pingit nunc, & non potius, tantum, & non plus, interdum non aliam ob causam, nisi quia ita vult. Quocirca in his verum est illud, quod vulgo jactari solet, *sit pro ratione voluntas.* Et licet Deus nihil agat sine summa ratione, mundumque tunc, & non ante vel post factum esse, non casu acciderit; rationem tandem hujus rei quærere, ac perscrutari velle, stultum est; cum plurimarum rerum, etiam vilissimarum, quas ante oculos habemus, & sensibus usurpamus, caussas penitus ignoremus. Satis igitur, sit mundum vel non potuisse, vel non decuisse fieri ab æterno; cur autem non ante; aut post sit factus, quam est factus, cum id ex libera Dei voluntate pendeat, & occulto nobis ejus consilio, prestat pie ignorare, quam curiose ac superbe perscrutari (1).

Secun-

(1) Ego ab illis doctrinis Aristotelis abstinuissem, pugnare existere infinitum tam magnitudine quam numero, quia nec necessariæ

Secundum argumentum Procli.

DE natura boni est, seipsum cum aliis communicare, suamque bonitatem aliis rebus, quantum fieri potest, impertiri, & id maxime convenit summo bono, qui Deus est. At si mundus non sit ab æterno, per æternum (ut ita dicam) tempus Deus nihil egit & suam bonitatem non communicavit. Quæro, aut potuit ab æterno mundum creare, aut non; si potuit, voluit etiam; quare fecit: quid enim ei obstare potuit? si noluit; ergo non est summe bonus, & invidia tangitur: id quod impium est cogitare, ne dum loqui aut sentire. Sin autem voluit, sed non potuit; ergo est finita vi, & circumscripta facultate præditus, & inæquabilis, & non simplicissimus, quando in eo non est eadem ac par voluntas, & virtus, atque potentia.

Ad secundum argumentum Procli.

CUm dicimus mundum ab æterno non fuisse factum, nec de bonitate, nec de potentia opificis quicquam detrahimus: sed asserimus æternitatem adversari, ac repugnare conditioni ejus, quod fit. Si enim mundus a Deo factus est, ab eo suum esse, ac durationem accepit; at si coæternus ipsi fuit, non potuit accipere (1). Nam quod semper est, quomodo ad ipsum esse produci potest? omnis enim productio aliquid novum necessario significat: loquor de productione creaturæ, quæ fit ad extra. Præterea, si mundus superatur ab opifice in essentia, in viribus, in actione atque perfectione, superabitur etiam in esse, ac duratione; quare mundus erit posterior ipso, & non coæternus ei. Nullam enim, neque naturæ, neque artis procreationem cernimus, in qua causa non antecedat effectum. Præterea, si mundus ab æterno, sequentur hæc absurda; infinitum esse transactum: erunt enim usque ad hunc diem infiniti anni transacti: & da-

riæ sunt, & a mathematicis non probantur. Enimvero sine illis adhuc Pererii responsio integre constat.

(1) Id tamen plures scholæ theologi renuunt; qui ut negent mundum ab æternitate fuisse procreatum: tamen non inficiantur creari potuisse. Neque ego dixerim, cur vir acutus a quæstione *facti* ad quæstionem *de possibili* divertere voluerit, quam evitare satius erat.

& dari majus infinito: nam numerus annorum transactus infinitus augetur per additionem annorum, qui sequuntur: & multiplicari infinita: nam si species cum mundo sunt æternæ, secundum unamquamque speciem erunt transacta infinita individua, imo erunt præterita infinities infinita: nam usque huc præterierunt infinitæ horæ, & infiniti dies, similiter hebdomadæ, menses, anni, lustra, sæcula, & alia hujusmodi infinita. Infinitum autem neque a finito, neque ab infinito pertransiri posse demonstrat Aristoteles 6. lib. Physic. Præterea essent actu infinitæ animæ rationales, & in unoquoque homine una. Nec valet dicere, infinitum in actu uno repugnare iis, quæ materia, situque carent. Nam Arist. in 3. Phys. 41. de omni numero universe loquens asserit eum infinitum esse nullo modo posse. Neque etiam valet dicere, mundum secundum partes æternas, ut angelos, & orbes cælestes ab æterno existere potuisse, non autem secundum partes corruptibiles, & quæ per successionem multiplicantur; hoc enim est dicere mundum non nisi imperfectum, ac mutilum exsistere potuisse. Neque rationi consentaneum est dicere, entia nobiliora & perfectiora ab æterno fieri potuisse, ignobiliora veró, atque imperfectiora non potuisse: si enim quod majus est potuit fieri, ergo etiam, quod minus est; & si corpora cælestia fuissent ab æterno, æterno tempore fuissent privata suo motu naturali; quorsum enim ab æterno moverentur, si nihil potuit ab æterno per motum produci? & sic ab æterno intelligentiæ motrices fuissent otiosæ, & sane hoc non dicitur convenienter congruenterque sententiæ Aristotelis, qui & motum cæli, & species omnes, & generationem æternam esse pluribus in locis manifeste asserit. Præterea, hinc necessario fieret, ut infinitum, qua infinitum est, cognitum esset: intelligentiæ enim, cum æternæ fuerint, infinitum, quod jam transactum est, cognosceret; nam si cogitationem horum inferiorum ipsi adiment, attamen conversionem cælestis globi, quam quæque conficit, necessario cognoscit: conversiones autem ejuscemodi quemadmodum & dies innumerabiles jam extiterunt. Quocirca infinitum perceptum ab ipsis fuisset. Nisi quis (quod tamen absurdissimum est) fingeret oblivionem præteritarum rerum in eas cadere. Quod infinita cognoscunt, unaquæque erit infinitæ vir-

tutis,

tutis, ac essentiæ, nam plura simul perfecte cognoscere, est majoris perfectionis; ergo simul infinita, erit perfectionis infinitæ; erunt igitur non unum infinitum actu, vero complura.

Si quis autem putet, mundum, etsi non est æternus, potuisse tamen fieri ab æterno, posset aliter hoc argumentum ita respondere. Licet Deus potuerit creare mundum æternum, id tamen facere noluisse, quoniam ita melius erat; vel quia ex nova molitione mundi, manifestius, certiusque cognoscitur perfectio, & gloria Dei (cujus causa mundus est conditus) quam ex æternitate ejus; vel alias ob causas, quæ nos mortales humanæ inscitiæ caligine circumfusos, ceu alia pleraque, latent (1).

Tertium argumentum Procli.

ALiqui effectus sunt simul cum suis causis efficientibus, neque priores, neque posteriores ipsis: exempli gratia, corpora opaca, quæ sunt in lumine, sunt simul cum ea umbra, cujus causa sunt: Sol etiam efficit lumen, cum quo tamen simul est, neque antecedens ipsum, neque subsequens. Ergo mundus, etsi a Deo sit

(1) Imbecillia mihi videntur omnia, quæ huic Procli argumento reponit Pererius. Nimis est Peripateticus. Quid si Proclus ea Aristotelis dogmata ignorare se fateatur? Quid si ab iis dissentiat? Neque enim ea omnia, quæ Pererius *absurda* vocat, ex æternis rationibus fluunt, sed ex peculiaribus peripateticæ scholæ decretis. Ac vero infinita esse aliis infinitis majora tam est perspicuum, quam infinitam superficiem esse linea infinita majorem. Itaque super ea re magnus est mathematicorum consensus. Quod si infinitum infinito majus excogitare cum ratione non pugnat, ne esse quidem pugnabit. Sed & infinitum *actu* existere tam non pugnans recentibus est philosophis, quam non mundanam extensionem esse undequaque infinitam, & singulas materiæ partes minores alias continere numero & exiguitate infinitas. Ad argumentum Procli quod attinet, adeo illud Augustino visum fuit difficile, ut de civit. Dei lib. 12. cap. 17. fateatur, se non videre, qui possit intelligi, Deum per æternitatem cessavisse, postea fuisse operatum. Et lib. XII. cap 15. se in ea re affirmare aliquid pertimescere ait. Inde est, ut veteres quidam theologi crediderint, Deum diu ante corporeum mundum creatum per plures æternitates, ut loquitur Hieronymus, angelos creavisse. Ego vero in Procli argumento duo esse sophismata video. Quærit enim, potuit Deus ab æterno mundum efficere? demus. Quærit iterum, voluit? Id si neges, invidum fuisse Deum concludit: si affirmes, concludit factum. Bina sophismata. Nam & velle potuit ab æterno, quod efficeret in tempore; quod quamvis non admodum clare intelligo, pugnare tamen non video: & si noluisset, quum nihil dum exsisteret, cui rei invidere malus potuit bonitatem? Itaque tota argumentatio nullam habet vim, nisi in verborum & notionum involucro.

conditus, nihilominus tamen potest esse coæternus ei. Neque pugnant hæc inter se, ut effectus sit tempore simul cum sua causa efficiente.

Ad tertium argumentum Procli.

EXemplum umbræ vitiosum est duabus de causis: primum quidem, quoniam umbra non est per se res aliqua; sed tantum mera negatio, seu privatio luminis; at mundus est res quædam habens consistentiam. Sed dicet quispiam, umbram non esse meram negationem luminis; alioquin esset tenebræ; atqui in umbra colores cernimus, qui sine lumine videri nequeunt; est itaque umbra lumen quoddam imperfectum. Verum hoc solvitur ad hunc modum. Umbra lumen quidem habet, at non a corpore cujus est, sed ab illuminante; quod tamen lumen illud sit imperfectum & majori perfectione carens (id quod privationem quamdam esse constat) causa est ipsum corpus opacum: impedit enim, obstatque, ne illa pars aeris possit perfecte illustrari a sole. Recte igitur in principio dictum fuit, umbram, quatenus efficitur a corpore opaco, solum esse privationem luminis: nam umbra ut est lumen, est ab illuminante; ut est subobscurum & imperfectum lumen, est ex corpore opaco. Deinde, alio quoque vitio exemplum umbræ laborat: neque enim omnino verum est, corpus quod est in lumine, umbram necessario emittere. Nam si sol in eo puncto sit, quod corpori respondet ad verticem, quemadmodum apud eos accidere solet, qui incolunt loca subjecta æquatori, vel quæ usque ad tropicos extenduntur, palam est sine umbra esse ibi corpora subjecta, ea certe, quæ cum terra ita continuata sunt, ut nihil aeris interjectum sit. Umbra igitur, tum quia non necessario producitur a corpore quod est in lumine, non potest esse imago, & exemplum idoneum ejus, quod in præsentia inquirimus.

Alterum exemplum nihilo plus valet ad propositum concludendum, quam prius. Etenim lumen solis est duplex: Unum, quod in ipsius solis globo hæret, quod solis ut astrum quoddam est, essentiam proculdubio constituit; ab eo enim sol obtinet, & ut sit sol, & ut sol nominetur: quocirca effectus ejus esse nullo modo potest. Mundus igitur, qui effectus a Deo esse, & ad naturam ejus nulla ratio-

ratione pertinere ponitur, non recte comparatur cum tali lumine. Alterum lumen est quod a sole diffunditur per aera ipsum collustrans: hoc autem subinde gigni, atque interire, constat ex eo, quod ipsum excipiunt tenebræ, &, sole nubibus obducto, intercidit. Tale autem lumen dependet a sole, habens esse suum in fieri, perinde atque motus, & tempus. Unde, cum primum corpus, quod illuminat, disjungitur, statim quod erat in aere lumen ita deficit, ut amplius non sit. Existimamus igitur semper in aere novum lumen gigni. Nam non aliter per continuationem quamdam a corpore lucido lumen in aere defluit, quam aqua de fonte scaturire solet: vel certe moto sole non idem lumen manet in aere, sed aliud atque aliud gignitur; non enim lumen est corpus, quod moto sole ipsum quoque ex uno loco in alium locum secundum solis motum moveri queat, sed est accidens in subjecto sic inhærens, ex eoque sic pendens, ut sine interitu sui ab eo non possit abjungi. Neque vero lumen, quod est in aere tantummodo interit; verum etiam illud, quod cœlestibus globis impertitur a sole. Cui rei fidem faciunt eclipses lunæ, cujus lumen in defectionibus quidem totum confertim deficit, sensim autem in reliquo toto tempore. Cetera autem astra idem lumen perpetuo retinere videntur, propterea quod ob continuationem orbium nihil incurrere potest, quod ea obscurare queat. Tale autem lumen obnoxium esse interitui, etiam ipse Proclus affirmat in eo libro, quem scripsit de lumine. Quare lumen, quod est a sole profectum, non erit simul perpetuo cum ipso sole. Non igitur refert similitudine mundi, qui ponitur una esse ab æternitate cum ipso opifice. Ex hisce igitur, quæ diximus, perspicuum factum est, neutrum Procli exemplum ad ostendendum mundum coæternum opifici esse potuisse, accommodatum esse (1).

I 2 Posset

(1) Est & in hac responsione purus putusque Peripateticus. Ignoscenda homini meliora non edocto vetus illa luminis theoria. Ego potius noluissem tamdiu in Procli exemplis immoratum. Quid est enim in his exemplis præter vim dissitæ analogiæ, qua demonstratur, nihil pugnare cum ratione, fieri mundum potuisse ex tota æternitate? Id autem, quod auctor noster paullo post agnoscit, scholæ plurimi, & acutissimi docuerunt. At, in quo quæstio versatur, mundum revera ex tota æternitate fuisse, exempla illa demon-

Possset etiam argumentum Procli aliter occurri. Etenim si ponatur umbra & lumen esse suis causis efficientibus coæterna, nihil videtur sequi manifeste absurdum & impossibile. At opinioni quæ ponit mundum Deo coæternum, necessario & aperte consequentia sunt quamplurima gravissimaque incommoda, quæ supra in confutatione secundi argumenti indicata sunt, & infra subtilius exponentur. Qui autem opinantur mundum potuisse fieri ab æterno, responderent, Proclum quidem suo illo argumento probare mundum potuisse fieri coæternum Deo, quod ipsi non negant: non tamen fuisse factum æternum; id quod nunc in quæstione versatur.

Quartum argumentum Procli.

EST æterna idea mundi, ad quam Deus respiciens, mundum fabricatus est: ideæ autem essentia in eos consistit, quod est exemplar esse alterius, quod est imago ejus. Exemplar autem & imago, cum sint ex numero eorum, quæ cum alio conferuntur, simul sunt, neque unum sine altero constare potest. Ex his necessario consequens est, ut quandoquidem idea & exemplar mundi æternum est, mundus itidem, qui est imago ejus, sit æternus. Alias necessarium est, aut exemplar non esse æternum, si imago ejus non sit; aut esse exemplar sine imagine; aut mundi exemplar nullum esse; quorum omnium nihil est quod cum veritate, ac recta ratione non pugnet (1).

Ad

monstrare non possunt. Certe hoc argumentum, *Sol & lumen sunt coæva; ergo mundus & Deus*, tam necessario concludit, quam hoc aliud, *Sol & lumen sunt coæva; ergo Carolus Magnus, & Cyrus*.

(1) Et hoc argumentum, nisi alio fulciatur, hoc probat, nullam esse ne in homine quidem posse rei possibilis ideam, ac exemplar, quin continuo res illa exsistat. Quid autem faciemus Bolingbrokio, qui in specimine philosophico negat dici a quoquam posse, ullum æternum fuisse in Deo mundi exemplar? In eoque false deridet non platonicos modo juniores, sed & plures insignes Britannos metaphysicos, in primis Cudworthum, quem ille naso adunco quotiescumque potest, suspendit. Fateor me hic hominis ingenium non satis tenere. Factus est a Deo mundus? Factus, inquit. Sapientia, an stulta molitione? Sapientia profecto. Est hæc Dei sapientia æterna, Deusque ipse? Est. Quid igitur cachinnis opus est, si quis eam sapientiam æternum mundi exemplar, ut Platonici faciunt, vocet? De vocibus ne contendimus? Aut igitur in æterno exemplari factus est mundus, aut casu. Quum hoc aversetur; illud fateatur necesse est.

Ad quartum argumentum Procli.

PRima hypothesis, esse ideas omnium rerum, quales Plato ponebat, Platonis quidem illa est sententia, verum difficilis creditu, & ab Aristotele plurimis locis acerrime oppugnata, & pene labefactata. Ceterum, disputationis gratia, concedamus eam Proclo. Altera tamen, quam ei subjungit, est manifeste falsa: nempe, quod essentia ideæ sit referri ad aliud, hoc est esse exemplar alterius: Etenim, aut idea mundi est substantia, aut non est; & sane Plato ideas substantias primas & nobilissimas esse censet: & cum mundum animal quoddam perfectum, & substantiam eodem statu permanentem appellet, multo magis ipsum ejus Archetypum substantiam esse oportet. Si idea mundi substantia est, essentia ejus non consistet in relatione ad aliud; est enim substantia ens absolutum, nullius vel subjecti vel termini adminiculo, ut consistat, indigens: ea vero quæ referuntur ad aliud, accidentia sunt, & non per se cohærent, sed fundantur in alio; opponuntur inter sese, quæ substantiæ nullo modo conveniunt. Non erit igitur essentia ideæ, exemplar esse alterius, & referri ad aliud. Quod si idea mundi, non in eo, quod sit exemplar mundi, suam essentiam obtinet, non est necesse, si idea mundi æterna fuerit, continuo mundum quoque æternum fuisse. Sicut, quia essentia Sophronisci non est posita in eo, quod est esse patrem Socratis, non sequitur, ut statim atque fuerit Sophroniscus, fuerit etiam Socrates, sed bene cum primum Sophroniscus cœpit esse pater, tum quoque necessario fuit Socrates. Sicuti etiam rex est exemplar ejus imaginis, quæ ad similitudinem illius effingitur, & tamen quia essentia regis non consistit in eo, quod est exemplar esse alterius, non sequitur, ut statim atque rex fuit, etiam fuerit imago ejus. De idea mundi eodem plane modo & sentiendum, & loquendum est. Si autem ideæ substantiæ non sunt per se subsistentes, erunt notiones, ac rationes quædam, secundum quas opifex, qui eas animo comprehensas tenet, operatur. At ne sic quidem necesse erit ut una cum rationibus artificialibus sint opera, quæ secundum ipsas fiunt. Etenim domorum, & navium fabricatorem esse licet, qui domus, vel navis ideam

 in men-

in mente habeat, nondum tamen eam fabricetur. Quare, ne sic quidem necessario sequitur, ut si mundi idea sempiterna sit, mundum quoque sempiternum fuisse necesse sit. Quinimo, si Deus qui summa providentia omnia gubernat, res antequam sint, prævidet atque prænoscit, ut est communis omnium animis insita sententia, & hoc testatur Proclus in opere, quod *de decem contra providentiam dubitationibus* composuit, & Plotinus in libro, quem *de iis, quæ mente percipiuntur*, & *de bono* conscripsit; palam est, omnibus rebus, quæ oriuntur, ideas, & rationes architectrices antecedere. Denique, si Deus ageret ex necessitate naturæ, fortasse Procli argumentum probabilius esset; cum autem non sic, sed libere agat, nec ejus naturalis perfectio ex molitione mundi pendeat, ut supra ostendimus; nulla ratio est, ex æternitate idearum, quæ naturaliter sunt in Deo, quin etiam re sunt idem quod Deus, æternitatem rerum, quæ libere a Deo ad earum, quæ in ipso sunt, idearum similitudinem effectæ sunt, velle concludere. Nam nec homines, qui ex arte operantur libere, necesse est, simul atque alicujus operis formam, & ideam animo expressam tenent, opus ipsum perficere; sed plerumque evenit, ideam operis esse ipso opere antiquiorem.

Quintum argumentum Procli.

CAussa efficiens aut semper est actu, aut aliquando est potestate tantum; & si quidem actu semper sit, effectus etiam semper erit; caussa enim si actu fuerit, effectus actu erit, & si illa potentia, hic quoque potentia. Præterea id quod est potentia, reducitur ad actum, ab eo quod est actu, ut calidum potentia a calido actu: similiter opifex potentia evadet artifex actu, ab eo qui est jam actum opifex. Opifex igitur mundi, vel semper fuit actu efficiens, & mundum item semper fuisse necesse est: vel aliquando fuit in potentia efficiens; ergo ab alio efficiente, qui actu fuit, reductus est ad actum. Sed quæro de hoc, an semper reducebat illum ad actum, & sic ille semper actu fuisset opifex, id quod repugnat positioni: vel non semper reducebat, sed poterat tantum reducere, ergo erat aliud, a quo ex tali potentia ad talem actum traheretur: & similis quæstio de hoc fiet, & de

alio

alio item atque alio; aut igitur erit progressus in infinitum in efficientibus, quod manifeste falsum, atque adeo impossibile est: aut necessario fatendum erit, opificem mundi semper actu efficientem fuisse, & proinde mundum semper exstitisse. Quare mundus æternus est.

Ad quintum argumentum Procli.

DUplici significatione nomen potentiæ usurpatur apud philosophos. Primo, pro naturali quadam habilitate, uti puerum adhuc rudem, dicimus potentia grammaticum esse, propterea quod sit aptus ad eam discendam. Deinde, pro habitu, quo præditus potest bene promteque operari, sed fortasse vel aliis rebus occupatus, vel quia non vult, nequaquam operatur: ut qui jam artem grammaticæ didicit, potest quidem, at non semper grammatice agit. Et hic quidem habitus respectu prioris potentiæ potest appellari actus, sed respectu earum actionum, quæ proficiscuntur ex ipso, dicitur potentia. Potest igitur hic habitus, si comparetur cum præcedente potentia, nominari actus primus, ad differentiam secundi, qui oritur ex ipso: si vero conferatur cum actu, quem ipse gignit ac parit, potest rite nuncupari potentia secunda, ad differentiam primæ, quæ præcedit talem habitum. Est igitur duplex potentia, prima, & secunda: duplex item actus, primus, & secundus. Sed potentia secunda, & actus primus, re non differunt, sed ratione tantum, atque hanc quidem distinctionem potentiæ, tradit Arist. in 8. lib. phys. tex. 32. & lib. 2. de anima, tex. 54. & 55.

Ex his perspicuum est, illud primum pronunciatum Procli, *si caussa est actu, effectus quoque erit actu*; intelligendum esse de actu secundo, non primo. Exempli gratia, si præceptor actu docet grammaticam, necesse est aliquem esse, qui actu doceatur grammaticam; & si ædificator jam ædificet, erit quoque aliquid, quod ædificatur. At de primo actu non est verum. Fit enim, ut ædificator partum habeat ædificandi habitum, ipse tamen actu non ædificet; neque quicquam ædificetur.

Secundum autem pronuntiatum, nempe id quod est in potentia tali, reducitur ad actum ab eo, quod est actu

tale; intelligendum est de eo, quod est in prima potentia: puer qui potest esse grammaticus evadet grammaticus actu, eruditus, doctusque ab eo, qui actu, tenet grammaticam. Non est autem verum in secunda potentia; is etiam, qui jam comparavit sibi habitum grammatices, si quando non operatur, est tunc in potentia, sed ex tali potentia non excitatur, vel traducitur ad actum ab alio, sed a seipso cum vult; aut si agens fuerit naturale, ut ignis, cum amotum fuerit impedimentum obstans ejus actionis. Quocirca licet ex hoc colligere, opificem actu primo, non necessario esse simul cum effectu: tum etiam, eum, qui sit opifex habitu, qui ut diximus appellatur potentia secunda, non ab alio, sed a seipso traduci ad actum.

Hinc elici potest solutio argumenti, quod est fallax, & captiosum ob homonymiam vocabuli *potentia*, *& actus*. Affirmamus Deum esse opificem habitu, vel secunda potentia, non quod in eo sit aliquis habitus, vel aliqua potentia, sed ob similitudinem quamdam. Et quo planius res intelligatur, virtutem divinam, secundum quam non semper operatur, quando vult tamen, optime, facillime, promtissime operatur, nomine habitus, & potentiæ secundæ nominamus. Cum ergo Deus non fuerit ab æterno opifex mundi actu, sed, ut ita loquar, habitu: quoniam ab æterno habuit perfectissimam vim, atque potestatem condendi mundum; sed quia voluit ab æterno, ut mundus de novo conderetur, & initium aliquod suæ durationis haberet, ideo sine ulla sui mutatione, tunc quando decreverat, mundum de novo condidit: cum igitur ita res habeat, non oportet mundum simul esse cum ipso Deo, neque Deus reducetur ad actu condendum mundum ab alio, sed a seipso: sicut pictor callens scientiam pingendi, jam non indiget alia, cujus ope adjutus pingat, sed quando libet ei pingere, potest. Alia etiam, quæ assumuntur in argumento, non sunt omnino vera: ut illud, *Omne quod in potentia est, reduci ab alio ad actum*. Duæ sunt enim viæ sciendi ex sententia omnium philosophorum, via disciplinæ, & via inventionis: qui etiam indoctus abundantia quædam, & naturali felicitate ingenii, per se aliquam scientiam invenit, is ex potentia sciente fit actu sciens, a se, non ab alio. Neque illud alterum verum est. Quidquid potentia tale, ab

eo quod

eo quod est actu tale, reduci ad actum: stirpes enim fiunt actu dulces, albæ, vel alio colore affectæ, non ab eo, quod est actu dulce, vel album, sed beneficio aquæ, qua irrigantur, & solis; & hoc perspici potest in omnibus generationibus, quas naturales philosophi æquivocas vocant. Nisi propositio intelligatur, non de eo, quod est actu tale formaliter tantum, sed vel virtualiter, vel formaliter (1).

Sex-

(1) Confidenter nimis, quam vellem, in hoc Procli argumento refellendo se gerit Pererius. Sublestum illud habet: totum esse captiosum censet. Ejus vim non videtur assequutus vir doctus: nullum est enim, nec quod pluris faciendum sit, nec quo vehementius æternitatis mundi patroni & adrogantius utantur. Tota Procli quæstio huc redit, inter humanæ rationis decreta, quæ homines intelligere queant, ac cum aliis, quæ rata habent & certa, innectere, habere ne locum hoc possit, *esse posse causas, quæ ipsæ per se a nulla alia determinatæ novam aliquam actionem suscipere queant?* Tum si quæ esse possunt, ratione ne ulla determinentur ad novam actionem edendam, necne? Tandem, quoniam sine ulla ratione determinari eas intelligi nullo modo potest: possit ne actio illa esse nova, ubi ratio determinans sit æterna? Est hoc postremum illud, de quo in hac quæstione agitur. Ratio architectrix mundi æterna est: æterna item determinans: novus mundus. Hæc utrum cum humanæ rationis scitis cohærere possint quærit Proclus. Me quod adtinet fateor ei argumento indirecte nos respondere, directe ac *a priori* ne respondeamus infinita Dei natura & mentibus humanis incomprehensibilis efficit: sola enim natura quid possit ratio illa mundi architectrix ac determinans pervidere nequimus. Oblique autem sic respondeo. Esse causas, quæ ipsæ per se novam actionem inchoare possint, aut inchoatam omittere, homines ipsi luculentum sunt argumentum: sunt enim liberi, quippe qui parte virium sæpe agunt; sæpe viribus omnibus. In dogmatibus ergo humanæ rationis & hoc est, esse posse causas, quæ ipsæ per se a nulla alia necessario determinatæ novas actiones suscipiant. Vide ut eam rem copiosius diducit *Samuel Clarkus de exsist. & attrib. Dei cap. XI.* Non pugnat ergo cum ratione, ejusmodi esse & Deum. Sed hujusmodi causæ non sine ratione determinantur. Est id in perspicuis. Nec minus perspicuum est, ratione aut architectricem mundi, ita Deum determinantem ad efficiendum, Deo esse coæternas. Conveniunt hæc inter partes. Illud ergo expediendum superest, ratio illa Deum ad efficiendum mundum determinans, necessario Deum impellere debeat, necne? Necessario Deum ab ea impelli id nec per se evidens, nec Proclus demonstrat. Sed nec video quidem, quantum circumspicere possum, qui possit: natura enim infinite perfecta & beata, quod sæpe dictum, a se tantum & in se necessario determinari potest, non etiam extra se. Itaque efficitur ut & ratio efficiendi mundi potuerit esse æterna, & Deus liber non ab æterno mundum efficere.

Sextum argumentum Procli.

DEus auctor mundi est omnino immutabilis, ergo vel ab æterno mundum fecit, vel numquam fecit: nam si aliquando non fuit factus mundus, & aliquando fuit factus, ergo Deus ex non faciente ad faciendum mutatus est; quare Deus mutabilis est. Et cum omnis mutatio sit imperfecta quædam actio tempore indigens, & ad perfectionem aliquam acquirendam tendens: tempore, inquam, indigens, utpote sine quo nullus motus perfici queat; erit Deus imperfectus aliquo indigens. Quamobrem, qui æternitatem mundi negant, etsi cupiunt esse pii erga Deum, sunt tamen, (ut ex iis, quæ jam diximus, perspicuum est) erga ipsum valde impii. Possumus igitur breviter concludere totam rationem ad hunc modum. Si Deus prius non faciebat mundum, & postea fecit; ergo mutatio vel est motus, vel non fit sine motu: si movetur, ergo est imperfectus; quod enim dealbatur non est perfecte album; si etiam movetur, indiget tempore, quoniam motus necessario fit in tempore. Quæ si absurda sunt, & omnia tamen pendent ex illo, quod Deus ex non faciendo ad faciendum migraverit, certe illud falsum erit. Quare ab æterno Deus mundum fecit.

Ad sextum argumentum Procli.

VErum est, motum esse actionem imperfectam: & omnem mutationem vel esse motum, vel non esse sine motu. Sed quod omne transiens a non faciendo ad faciendum, necessario motum subeat, falsum est: nam non faciens, habitu tamen & potestate faciendi præditus, postea, cum ei libet, ex tali habitu actiones promit absque ullo motu. Si enim ex habitu faciente evadit actu agens per aliquem motum, is vel erit diversus ab effectione; vel erit ipsa effectio. Si erit diversus, vel erit habitus, & hoc non, quoniam habitus rationem quietis potius, quam motus habet: quod enim habitu est tantummodo agens, quiescere potius, quam moveri dicendum est; vel erit aliquid medium inter habitum & effectionem, & hoc non, quia in eodem instanti finem facit non agendi nullo tempore intercedente,

in quo talis motus fieri queat; alioquin in illo medio tempore, neque faceret, neque non faceret, & sic inter contradictoria esset medium. Erit igitur ipsamet effectio, motus: at si ita sit, cum juxta sententiam eorum, Deus semper mundum efficiat, etiam semper movebitur, quare semper imperfectus, ac temporis indigens erit. Quare in eorum caput solers ipsorum inventum relabitur. Non est autem omnis actio, motus, neque imperfecta, neque temporis egens, ut sensus, & mentis actiones, quæ neque motus, neque imperfectæ sunt, neque intervallo temporis fiunt. Præterea si effectio esset motus, quo moveretur ipsum agens, tunc motus esset in movente: at non est in movente, sed in mobili; est enim actus mobilis, prout est mobile, quemadmodum Aristoteles definit in 3. Physic. & Aristotel. 2. de anima text. 57. 58. ait ex habitu ad actum quempiam transire sine ullo motu; sic enim ibi scribit. (*Quocirca non recte se habet dicere ipsum sciens cum scit alterari, sicut neque ædificatorem, cum ædificat*), hoc est is qui habens scientiæ habitum deinde actu scit, & contemplatur, transit ab habitu ad actum sine ulla alteratione, quod si talis non alteratur, neque simpliciter movebitur; non enim augebitur: vel minuetur, vel loco movebitur. Non est autem magis perfectus Deus, quando aliquid actu procreat, quam erat antea cum potentia tantum procreans erat: est enim per se, ac sine alterius rei adminiculo omni ex parte perfectus, alioquin opera, quæ facit Deus, Deo perfectionem tribuerent, & pertinerent ad essentiam Dei; quæ enim naturam alicujus perficiunt, partes sunt ejus, ut rationale hominis, ut manus totius corporis. Mundus igitur pars erit divinæ essentiæ; erit igitur corpus Deus, corporeisque affectionibus obnoxius. Quod si Deus perfectus non sit, nisi mundus ab æternitate consistat, Deus perfectionem suam accipit a mundo: quare plura accipiet a suis operibus, quam illis ipse impertiatur. Cum enim illis det, ut sint, ipse ab illis accipiet ut perfectus sit: pluris autem est perfectio Dei, quam natura cujusvis rei creatæ. At qui potest hoc fieri? si enim perfectio ab essentia ejus non differet, sicut Deus esse non accipit a mundo, ita neque perfectionem; & sicut esse Dei non pendet a mundo, sic neque perfectio ejus. Adde, quod perfectio est in eo quod perficitur: at creatio & productio mundi, &

alia-

aliarum rerum effectio transeunt in res quæ fiunt. Et cum Proclus tribuat Deo providentiam, & efficientiam rerum etiam extremarum, atque minutissimarum; quarum tamen quædam extinctæ sunt, quædam nunc constant, aliæ vero futuræ sunt; necesse est dicat Deum potestate opificem nunc esse respectu rerum futurarum; nam si actu opifex sit, res futuræ actu jam præsentes essent ex ipsius sententia. Si igitur potestate opificem esse, imperfectionem esse Proclus existimat; semper autem in mundo aliqua a Deo procreanda sunt, respectu quorum dum futura sunt, est opifex potentia; necessarium habet omnino dicere, Deum semper imperfectum esse.

Porro sciendum est actionem posse duobus modis considerari; uno modo, secundum id quo ponit actio ut actio in agente: deinde, quatenus infert ex se passionem, vel effectum. Primo modo actio Dei est in actu ab æterno, non autem secundo modo: priori modo Deus non est caussa in potentia, sed in actu ab æterno: posteriori modo Deus non fuit ab æterno actu efficiens caussa mundi, quia non creavit mundum ad æterno. Et adverte, mundum, & alios effectus, esse in Deo, antequam fiant, in potentia activa; neque hoc est absurdum: solum enim de iis, quæ formaliter sunt in Deo, inconveniens est ponere aliquid in potentia in ipso Deo. Quocirca oportet actionem secundum id totum, quod ponit in agente, formaliter esse actu in Deo ab æterno: hæc autem actio Dei & vis atque potestas omnium effectrix nihil aliud est, quam efficax Dei voluntas, quæ in se semper est actu & invariabilis; tunc autem ab ea procedit effectus, quando ut procedat & a sapientia Dei præscriptum, & a voluntate ejus determinatum fuit.

Septimum argumentum Procli.

SI mundus conditus est, & peribit, necesse est tempus, quod una cum mundo necessaria cohæret, ortum quoque interitumque habere: quare aliquando non fuit tempus, & aliquando non erit tempus, sed *aliquando* certum quoddam tempus significat; ergo fuit tempus, quando nullum erat tempus: & erit aliquod tempus, quando nullum tempus erit: quæ cum sint inter se pugnantia; necessarium est, mundum ab æterno fuisse.

Ad

Ad ſeptimum argumentum Procli.

EST captioſum argumentum. Etenim verbum illud *aliquando* non ſignificat propria, & naturali vi ſua tempus aliquod certum, ſed tantum ſignificat aliquid, vel non fuiſſe ſemper, vel non fore unquam. Cum enim dico, craſtinus dies aliquando erit, illud *aliquando* non ſonat aliquando certum tempus, in quo craſtinus dies futurus ſit: alioquin illud tempus etiam eſſe *aliquando*, & rurſum illud, ac ita deinceps in infinitum: ſed tantum ſignificat craſtinum diem, neque ſemper, neque numquam, ſed medio quodam modo futurum. Cum igitur dicimus *aliquando* mundus eſt factus, intelligimus mundum non ſemper fuiſſe, ſed habuiſſe ortum, & principium: ſimiliter cum dicimus *aliquando* mundus non erit: intelligimus mundum, vel motum, non ſemper futurum, ſicuti verbum *erat*, vel *fuit*, non ſemper tempus aliquod ſignificat, quoniam hæc tribuimus Deo, qui nullo pacto ſubeſt tempori: Plato enim in Timæo dixit, quoniam Deus probus erat, & nequaquam invidus, mundum condidit; & ſicuti quando dicimus *extra*, vel *ſupra* cælum nihil eſt, in hac oratione *ſupra* & *extra* non ſignificamus aliquam differentiam loci, niſi imaginariam: ſic *aliquando* cum dicimus, mundus aliquando cœpit, non ſignificat tempus, niſi imaginarium (1).

Octavum argumentum Procli.

MUndus diſſolvi non poteſt, ergo neque unquam factus eſt. Patet conſequentia; nam ſi quod generatum eſt, aliquando interibit, ergo ex oppoſito conſequentis, quod interire nequit, ut eſt apud Platonem in

(1) Qui hæc argumenta cogere quemquam poſſint, non ſatis video. Vox *tempus* duratione ſignificat alicujus rei. Si hæc res nullum habuit initium, nullumque eſt habitura finem, ejus duratio *ſempiternitas* eſt: ſi initium habuit, ſed caritura eſt fine, *æternitatem* ex parte poſteriori vocamus: ſi & initium habuit, & terminare debet, tempus eſt finitum utrimque. Fuit ante mundum tempus? Id eo redit, *fuit duratio Dei?* & hoc, *fuit Deus? Erit poſt mundum tempus?* Significat, *ſupererit quidpiam poſt mundum extinctum?* Vocum igitur eſt hæc quæſtio, non rerum: aut ſi rerum, non harum, de quibus diſceptamus.

in Phædro, numquam generatum fuit. Antecedens probatur: Nam mundus a solo Deo, qui fecit ipsum, dissolvi potest: is enim rationem solvendi nodum tenet, qui fecit nodum; atqui Deus numquam dissolvet, nam quod bene & cum ratione colligatum, & copulatum est, velle dissolvere, improbi est. Vel igitur mundus non fuit bene compactus a Deo, quare in eo faciendo bonus artifex non exstitit; vel si bene factus est, improbi erit ipsum velle dissolvere. Quare cum nefas sit opinari Deum vel in faciendo mundo non optimum fuisse artificem, vel in eo dissolvendo improbum evadere, planum est, mundum dissolvi non posse.

Ad octavum argumentum Procli.

AN non corpora nostra, & animantium item, atque stirpium pulchre compacta sunt? vel igitur hæc Deus vult dissolvere, vel non vult; si non vult, quomodo contra voluntatem ejus dissolvuntur? si vult, quomodo improbus non est, qui quod bene compactum est vult dissolvere? Quod si dicas, hæc corpora mortalia non a Deo proxime effici, sed a diis secundis, vel a causis naturalibus procreari: hoc nihil obstat, quominus & ipse Deus, qui causis secundis vim agendi tribuit, & cum ipsi ad efficiendum concurrit, malus sit, & dii secundi, seu causæ naturales improbæ sint, quæ res pulchre compactas dissolvant. Sane qua bonitate ductus initio mundum fecit, eadem, si voluerit, dissolvet, etsi dissolutionis ratio nos lateat: neque enim ea, quorum causas ignoramus, temere, aut male fieri arbitrari debemus. Postea, facultas quæ ad actum numquam deducitur, imperfecta & otiosa est, ut solent ipsi dicere: cum igitur Deus habeat facultatem dissolvendi mundum, quomodo enim qui mundum fecit & vinculum colligavit, nesciat aut non possit ipsum dissolvere? vel igitur hæc facultas promovebitur ad actum quare mundus aliquando dissolvetur; vel numquam reducetur ad actum, quare talis facultas imperfecta & otiosa erit. Adde, quod nec Aristoteli placeat, in æternis aliquid esse, quod potestate tantum sit, unde est illa ejus sententia 9. lib. metaphys. tex. 17. *Nihil potentia æternum est*. Et illa etiam in 3. physs. tex. 32. *in perpetuis non differt posse ab ipso*

esse (1). Deinde, si solvere mundum malum est, cum igitur Deus possit mundum solvere, habebit utique Deus facultatem male agendi, & ut aliquando malus evadat. Quare, vel in Deo non est facultas dissolvendi mundum; & sic nec in ipso fuit facultas condendi, ut supra diximus; vel si est, aut solvere mundum non est malum, aut in Deo facultas mali.

Possumus etiam aliter ad hoc argumentum breviter respondere ad hunc modum. Quicquid ortum est per motum physicum, & ab agente physico, potest etiam similiter interire per motum physicum & ab agente physico; & e contrario, quod potest interire per motum physicum, fuit etiam similiter generatum; & hoc intellectu verum est illud Platonis & Aristotelis axioma, quodcumque est generabile est corruptibile, & quodcumque est corruptibile est generabile: & item; quicquid cœpit esse, aliquando desinet esse, & quod aliquando desinet esse, aliquando etiam cœpit esse. At quod cœpit esse per creationem a Deo productum, potest quidem numquam desinere esse per motum physicum & potestatem agentis physici: sed potest tamen desinere esse per potentiam Dei, qui ipsum creavit; & hoc quidem perspicue cernitur in anima rationali: idem autem de mundo sentiendum est.

Nonum argumentum Procli.

UNiversi anima ortu caret & interitu; ergo mundus quoque ortu, & interitu vacare debet. Consequentia patet, quia non potest animal interire, aut non esse, cui anima ejus semper adsit. Antecedens probatur, quoniam anima mundi a seipsa movetur. Quare Plato in Phædro ait, animam numquam natam, aut caducam esse.

Ad nonum argumentum Procli.

AN non etiam juxta Platonem, anima nostra a se movetur & immortalis est, corpus autem, quod ab

(1) His satius erat abstinere, quæ licet hujus argumenti causam pervertunt, litem tamen totam adversariis adjudicant. Atque ita sæpe ardor in hostem ei ad nos opprimendu[illegible]at.

ab ipsa movetur, & ortum, & interitum habet? An non infirma ratio est, quæ nititur decreto Platonis non valde certo, neque a multis recepto, nimirum, quod essentia animæ in eo sit, ut moveatur a seipsa, & sit principium movendi? Neque placet Aristoteli, unam esse mundi animam a Deo diversam, a qua cuncta regantur corpora: sed solis orbibus cælestibus immortales animas, suam cuique, attribuit, quarum motionibus omnia quæ infra lunæ orbem sunt, regi, foveri, & moderari censet. Quare quod hic a Proclo de anima mundi dicitur, a nobis non conceditur. Adde, quod qui negant mundum æternum esse, hos consequens est, vel negare animam mundi ceterasque intelligentias æternas esse, sed fuisse eas simul cum mundo procreatas: vel dicere illas non habere adeo necessariam cum mundo connexionem, ut sine ipso & ante ipsum esse non potuerit. Quare sumere æternitatem animæ tamquam rem certam & indubitatam, & ex ea concludere æternitatem mundi, quasi absque mundo anima esse non potuerit, est duplici nomine vitiosam facere argumentationem; tum quia sumit pro certo, quod est dubium; tum quia ex hoc conficit id, quod ex illo concluditur necessario. Deinde, vel essentia animæ in eo est, ut sit principium movendi aliud, & sic anima habebit essentiam suam dependentem a corpore, nec ullam rationem sine illius opera exercere poterit (1): vel non in hoc consistit essentia ejus, & sic non erit necessarium, si anima æterna sit, id quoque, quod ab ipsa movetur, æternum esse. Postea, functiones animæ separabiles sunt a corpore, ac eo puriores evadunt, quo a commercio corporis liberiores sunt; quare, ut recte Plotinus ait, substantia quoque animæ separabilis erit a corpore. Quare substantia ejus, non in eo consistit, ut sit principium movendi corpus. Ipse quoque Proclus in commentariis suis super Timæum ait, essentiam animæ in eo esse, quod est a seipsa moveri (2): moveri autem corpora, ipsisque vitam impertiri, atque motus & actiones communicare, non esse substantiam ani-

(1) Hoc interim dixere scholæ; *formæ* enim *substantialis* proprium est esse *materiæ actum*.

(2) Hic *κινήσεως*, *motus*, nomine, non id tantum significant Plato Platonicique, quod illis attribuit Pererius, lationem scilicet rei de loco in locum, sed omnem animi

animæ, sed vim, atque facultatem, ac functionem ejus. Præterea Plato in Phædro sic ait: *Anima hominis immortalis est: nam quod semper movetur, æternum est: quod autem agitur, & movetur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est; solum igitur quod sese movet, quia numquam deseritur a se, numquam ne moveri quidem desinet, quin etiam ceteris, quæ moventur, hic fons, hoc principium est movendi*. Hæc Plato. Cum igitur id solum quod se movet sempiternum sit, nullumque corpus, ut corpus est inanimum, a seipso moveri queat, ut Platoni, & Aristoteli visum est; mundus autem corpus quoddam est; relinquitur, ut mundus & moriendi, & vivendi finem habeat. Cum his autem consentiunt, quæ in Timæo scripta sunt, quoniam, inquit, *orti estis, immortales vos quidem esse, & indissolubiles non potestis*: quod si mundus interire & dissolvi potest, ortum fuisse necesse est; neque enim ortum effugit, quod aliquando suapte vi interire potest.

Decimum argumentum Procli.

MUndus non potest interire; ergo numquam fuit natus. Probatur consequentia: nam si quod ingenitum est, non potest interire; ergo quod potest interire non est ingenitum, & quod est genitum potest interire. Nam quod non fuit, & potuit esse, quum est, poterit etiam non esse. Præterea, quicquid fit, ex contrario fit, in quo rursus interire potest. Quod si ex privatione interdum fit commigratio in habitum, ut e tenebris in lucem, & ex quiete ad motum, multo magis ex habitu potuit fieri commigratio in privationem. Quare si mundus est inordinato aliquando generatus fuit ordinatus, quæ est commigratio ex privatione in habitum, multo magis nunc ex ordinato poterit fieri inordinatus, quæ est commigratio ex habitu in privationem. Quod si hoc absurdum est, absurdum item erit facere mundum aliquando ortum fuisse. Antecedens autem probatur. Quidquid interit, ab aliquo extrinsecus occursante interit, & in ali-

animi actionem. Itaque & Latinis quoque cogitationes appetitus, voluntates animi *motus* sæpe dicuntur. Quin *cogitatio coagitatio*, & *cogito coagito* est, ut scribit Varro de ling. lat. lib. v.

quid alienum a se; cum igitur extra universum nihil sit, nequicquam ab eo alienum exsistat, sed, ut est apud Platonem, omnia complexu suo continens, totum ex totis, perfectum ex perfectis constet; mundus igitur interire non potest: quare neque umquam ortus est.

Ad decimum argumentum Procli.

PRoclus in opere, quod inscribitur, *Observationes eorum, in quibus Platonis Timæo contradixit Aristoteles*, volens tueri Platonem, qui in Timæo dixit, quidquid sentitur generari & interire posse, adversus Aristotelem, qui huic opinioni opposuit cælum, qui cum sentiatur visu, generari tamen & interire nequit, sic ait, *nullum corpus finitum præditum est viribus infinitis*, ut ipse Aristoteles ait 8. phys. *sed mundus finitus est*, ut Aristoteles ostendit in 1. de cælo (1); ergo non habet vires infinitas. Atqui, quod æternum est, vim infinitam, ut semper sit, habet, unde ipsum αιωνα hoc est ævum ab eo quod semper sit, græcis appellatum esse certum est: quare mundus æternus esse nequit. Suapte igitur natura, & nasci & interire potest: verum, quia conjunctus est cum eo quod vere est, & vires habet infinitas, inde suppediatur illi immortalitas, & æternitas. Quare si cogitatione mundum ab ipso Deo sejunxerit, & motus, atque *ipso esse* privari necesse est. Hæc Proclus. Si igitur mundus per se finitas vires habet; quod autem hujusmodi est, per se interire potest; quomodo Proclus ait, mundum interire non posse, quia extrinsecus nihil ipsi contrarium occurrere possit? Præterea, si mundus per se caret contrario extrinseco; quod autem tale est, per se interire nequit; mundus igitur per se non potest interire. Proclus igitur pugnantia loquitur, cum in supradicto opere dicat, mundum suapte natura interire posse, quoniam habet vires finitas: hic autem inquit mundum interire non posse, quia non habet contrarium extrinsecus occursans illi.

Deinde non valet, quidquid oritur, ex aliquo gignitur,

(1) Quid si recens aliquis Proclus neget hanc assumptionem? Nec intelligo, quum e fronte adversarium superare potuerit, cur per latera petat. Non enim suapte natura peribit mundus, si perire necesse est, sed ejus efficacia, a quo procreatus est.

tur, quod prius erat alienum, & extra ipsum; sed nihil est mundo alienum, aut extra ipsum, ut vult Plato; ergo mundus non est generatus. Hoc, inquam, non valet; nam sive id ex quo generatus fuit mundus, fuit aliquid formatum, & aliquam speciem habens, sive fuit aliquid rude ac informe, non necesse est nunc aliquid esse extra mundum alienum ab ipso. Nam si id ex quo factus est mundus aliquam speciem habebat, ipsam deserens, mundi formam suscepit. Quid enim hic remanet alienum a mundo? Nam species illa jam interiit: subjectum autem illius est sub forma mundi. Si vero fuit aliquid rude & informe, id ipsum, cum in generatione mundi evaserit materia, elementum & pars ipsius mundi, non potest dici esse alienum a mundo: non igitur necessarium est, si mundus ortus fuit, aliquid nunc esse extra mundum. Neque illud, si praecise dicatur, verum est, quidquid gignitur, ex contrario gigni: nam substantia gignitur, cui nihil est contrarium; in solis autem contrariis est mutua reciprocatio, & commutatio: in privatione autem & habitu, non item evenit: non enim est necessaria commutatio ex habitu in privationem. Unde Plato ait mundum ex privatione vel ex inordinato fuisse factum ordinatum, nusquam tamen dixisse legitur, mundum rediturum ad illam privationem informitatis, & inordinationis. Adhæc, concedimus mundum, quantum in ipso est, posse ad inordinationem, & privationem redire: omne enim quod ligatum est, vult Plato posse dissolvi; *Et quum orti estis*, inquit in Timæo, *immortales esse non potestis: neutiquam tamen dissolvemini, nec vos ulla mortis fata periment, nec fraus violentior, quam consilium meum, quod majus est vinculum ad perpetuitatem vestram, quam illa quibus estis tum cum gignebamini colligati*. Plato igitur sensit mundum suapte natura dissolvi posse, a Deo tamen immortalitatem ipsi suppeditari. Non ergo pugnant hæc, mundum Dei munere numquam esse interiturum, eum tamen ab aliquo initio fuisse conditum. Denique, quod ex materia per motum habuit ortum, id suapte natura mortale, & aliquando interiturum est: & quod per motum physicum est interiturum, id quoque ortum fuit. Sed quod sua natura est immortale & incorruptibile, id potuit de novo fieri non ex materia per motum, sed ex nihilo per creationem; sic est mundus.

Undecimum argumentum Procli.

QUidquid interit, id suo ipsius vitio interire solet: at mundus nullius vitii capax est; ergo non potest interire. Major patet; nam quod interit, neque bono suo interit, neque eo, quod neque bonum, neque malum sit, sed medium: quod enim est hujusmodi, id neque lædere, neque juvare potest. Unde fit, ut neque perimere, neque servare valeat. Minor apud Platonem perspicua est; ipse enim ait, mundum beatum esse Deum, sicut & Deos omnes: & propterea deorum genus universum, cum vitii non sit capax, nullam sentire posse imputationem. Non igitur umquam interibit universum, cum in eo nihil insit vitii. Quod si interire nequit; numquam ortum est, alioquin ex nihilo factum esset; nullam autem rem ex nihilo fieri posse, certum est (1).

Ad

(1) Quum pleraque alia, tum præsertim 8. 9. 10. & 11. Procli argumenta acri philosophi judicio sunt penitus indigna. Quid enim illud est, mundum, quia sit sapientissime & creatus & constructus, interire non posse, quin Deum pœniteat consilii suscepti? Quid vetat eadem ratione immutabili, qua placuit, ut exsisteret, decretum esse, ne semper exsistat? Nempe est & in hoc argumento illud, quod quum de Deo disputamus, præcipimus omnes, cavet nemo, ne analogiæ ex natura & mente nostra desumptæ nimium indulgeamus. Agnosco equidem difficile esse, ut quum de penitissimis & ignotis rebus differimus, non illas ex notionibus nostris explicemus: inde certe factum est, ut & *humana ad deos* transtulerint omnes semper, quod gravissime queritur Cicero, & quin natura rerum explicanda *microcosmi affectiones omnes macrocosmo* tribuerint, quemadmodum eleganter loquitur Verulamius. Sed quando constat hæc neque sine erroris periculo dici, neque cum reliquis rationis nostræ firmisque decretis consentire, turpissimum est, philosophum differendi libidine dicere magis, quod in buccam venit, quam quod ex ratione proficiscitur.

Jam ejusdem generis est, quod ex anima mundana depromitur argumentum. Nam ut demus aliquam esse, qui illam ingenitam esse intelligemus? Scilicet non magis, quam animam nostram. A se, inquit, movetur. Quasi vero hoc sit illo priori clarius. Quamquam quid tandem est hoc *a se moveri*? Id scilicet ut a se fit? est idem per idem probare. Ut quum a supremo mundi opifice creata sit, ea tamen vi sit prædita, ut se agitet ipsa, & se determinet? Nam ut dictum est, minime pugnat hujusmodi res a Deo creari. Id si fit, quid vetat, eodem, quo genita est, consilio, in nihilum redigi posse? Itaque hoc argumentum in scholis quidem Platonicorum, in quibus ratum est dogma, mundanam animam emanationem esse naturæ Dei & necessariam, vim suam retinet inte-

Ad undecimum argumentum Procli.

NOn decet loco demonstrationis in omnibus rebus uti testimonio Platonis, utpote quem in multis
K 3 erraf-

integram; elumbe vero est, ubi ab illo dogmate; quod cum tota Dei natura pugnat, discesseris.

Porro decimum similibus sophismatibus, & pluribus, conclusum est. Quid enim est apertius, quam & mundum iis compactum esse partibus, quæ ut infinitis aliis modis copulari poterant & disponi, ita dissilire ab eo nexu, eoque ordine possint, quo constant? Nisi si Proclus senseat & hanc telluris structuram, magnitudinem, distantiam a sole, ita hanc esse, ut pugnet esse aliam potuisse: negetque iis viribus conservari, quæ sint in mutuo & perpetuo conflictu, quo perpetuo consumi necesse sit, ut nisi eadem vi, qua primum sunt genitæ, conservetur, dissipatum iri brevi oporteat. Quoniam ergo natura sua dissolubilis est mundus: qui inde confici potest, nec esse propterea genitum? Sed nihil, inquit, est in universo vitii. Quid istuc est vitium? Beatum, inquit, Plato mundum prædicat: nec quod beatum est, vitio ullo laborat. Scilicet venimus ad platonica mysteria. His tu, Procle, chimericis cassisque notionibus mundi æternitatem adstruere conaris? Quid si Plato fidicinem, tibicinem, musicum denique esse mundum dixerit? Idcirco beatum quoque esse perpetuaque harmonia frui doceret nos Proclus? Nihil est in universo vitii, idest nihil non ex perfectis rationibus constans, nihil non auctoris consiliis, & fini congruens, id verum est: nihil autem, quo interire possit, ac intereat brevi, nisi Dei numine procuretur, id est, quod cum experientia repugnat. Quid, quod si ex tellure argumenta conficere liceat, continenter mundus & mutatur & ad interitum vergit? Nam historiæ naturalis imperitus sit oportet, qui ignoret, quantas intra 20. sæcula, quorum ad nos historia naturæ aliqua pervenit, globus terraqueus subiefit mutationes, ab igne, aqua, ac vi quadam æstuosa, qua præditus est. Hinc terræmotus, quibus quum externa telluris superficies, tum interna structura confractæ, apertæ voragines, natæ insulæ, & montes, veluti Picus Tenariffæ, Vesævus: alii absorpti, aut diruti, velut sub finem præteriti sæculi Ternatis insulæ mons: consita proceris arboribus loca spoliata, ut Islandia. Sed & majorum vicissitudinum telluris argumento sunt ostracea in altissimis montibus, terræ visceribus, visceribus montium, & lapidum reperta: reperta animantium ossa, arborum trunci, &c. Accedunt perpetuæ, quæ in planetis, sole, cometis, stellis ipsis fixis, mutationes, luxationes, partium dissolutiones contingunt. Sol perpetuo consumi debet tanta luminis & ignis, quam quotidie emittit, copia. Solis maculæ vulcanorum esse evaporationes non sine gravissimis conjecturis physici quidam docuere. Jam necesse est, ut luna, ac reliqui planetæ iisdem mutationibus, quibus tellus, sint subjecti: simili enim constant natura. Stellæ fixæ sunt totidem soles. Quidni iisdem mutationibus obnoxiæ? Hæc omnia satis demonstrant mundum iisdem vicissitudinibus agitari, quibus singula animantium corpora, quousque appropinquante senecta, idest eo temporis termino, qui illi Dei decreto constitutus est, tandem aliquando emoriatur. Quod Stoici, veterum omnium acutissimi philosophi,

errasse constet: ut in astronomia, cum solem, quem astronomi inter stellas errantes medium collocant, secundum a luna locum tenere dixit. In philosophia naturali, cum animarum transmigrationem etiam in corpora ratione carentium, fabulas Pythagoricas sequutus; amplexus est, ut ipse Proclus fatetur in libro, quem pro Timæo contra Aristotelem scripsit. In medicina, cum in corporibus viventium trahendi (1) facultatem negat esse. Præterea uterum animantem esse voluit, quod reprobatum est a Galeno. Adhæc censet stirpes sensus participes esse, quod nec Aristoteli, nec medicis, nec ipsis Platonicis probatur. In philosophia morali, quis non de nuditate mulierum, de communione uxorum, de liberorum procreatione, & abortu, ejus in libris de republica decreta reprehendit? Verum, si quis plura & graviora Platonis errata subtilius vult cognoscere, legat is Eusebium lib. 3. de Præparatione Evangelica a capite 8. ad finem usque ejus libri (2). Deinde, non sequitur, Plato dixit mundum esse

sophi, providisse videntur. Tantum igitur abest, ut mundus perire nequeat, ut sit nihil tam manifestius, quam quotidie ad sui interitum appropinquare. Fiunt quidem hæc omnia secundum constantes naturæ leges: sed fiunt tamen. Quumque eæ leges, secundum quas contingunt, non sint, nisi ex hypothesi tantum necessariæ (q. p. prop. 92.) earum exsistentia a Dei voluntate pendet; quæ ut nulla necessitate naturæ impellitur ad quidquam extra se efficiendum, ita nulla cogitur, ut facta perpetuo conservet. Erant hæc observatu facilia, præsertim quum ea veteres ipsi physici, geographi, & astronomi animadvertissent. Sed quando metaphysici de mundo non, ut par erat, ex mundi ipsius phænomenis, sed ex anticipatis, abstractisque ideis disserere constituerunt, mirum non est, ejusmodi aranearum telas contexisse, quibus videntes ac prudentes & ipsi implicarentur, & leviora animacula irretirent. Hæc igitur quis Proclo majori fiducia respondere potest, quam quæ Pererius, longa sæpe circuitione, ex platonica metaphysica reponit.

(1) *Trahendi*. Ita editio Romana an. 1585. Nec alius mihi suppetit codex. Quid hoc sit monstri me ignorare fateor, nec nunc vacat in eam Platonis doctrinam inquirere. Quolibet deposito pignore spondeo, aut in mendo hic romanum codicem cubare, aut id Platoni linguæ ignorantia affixum.

(2) Optandum esset, ut hoc canone ubique usus esset vir alioquin acutus & doctus. Quid enim causæ subesse ei potuit, cur majori cum reverentia erga Aristotelem se gereret, quam erga Platonem, quum plura & majora Aristotelis errata sint? Præsertim quum hic idem Pererius in hujus operis proœmio magnanime scribat, *quid magis a philosophiæ gravitate dignitateque remotum & alienum esse potest, quam philosophum, idest amatorem sapientiæ, quum* ad

esse Deum (1); ergo non sensit illum esse ortum: utrumque enim dixisse potuit, & sibi contradixisse. Interdum enim Plato sinceras de Deo sententias sequutus est; interdum patrium morem reveritus, & judicium Socratis reformidans, ad fabulas devolutus est. *Genus Deorum expers*, inquit Plato, *vitii est*, *atqui mundus Deus est*: quis hoc concedat? nam si mundus, qui omnia continet, Deus est, quid erit, quod non sit Deus? rebus itaque inanimatis, & belluis divinitatem tribuere oportebit. Quomodo mundus Deus est, cujus partes inferiores penes omnia commutationum genera commutantur, superiores vero perpetua conversione immutantur? Postea, sicut naturalis facultas est causa conservationis, & ut res sit; sic imbecillitas causa erit, cur non sit; omnis autem facultas finita necesse est ut deficiat; quare si mundus ut corpus est, finitæ est facultatis, ut fatetur Proclus: finitam autem facultatem deficere est necesse: & cum deficit in id rem ipsam lab- oportet, quod contra naturam ejus sit; quod autem est contra naturam, id cujusvis rei est vitium, eique affert interitum: mundus igitur & vitii & interitus capax erit.

Quoniam autem Proclus ex illo communi axiomate (*ex nihilo nihil fit*,) conatur ostendere mundum non potuisse generari, quippe cum nihil ante mundum fuerit, ex quo ipse generari potuerit, agendum, huic quoque rationi occurramus. Ars tantum efficit formas accidentarias, non autem substantiam. Natura etiam formas substantiales gignit, non autem materiam. Cum igitur Deus, & artem, & naturam longe antecellat, & formas accidentales, & substantiales, & ipsam materiam efficere poterit: Non enim Deus vi & potestate sua minus superat naturam, quam hæc artem excellit: quare non est illi impossibile ex nihilo aliquid facere. Præterea, aliud est loqui de generatione uniuscujusque rei particularis, aliud vero de procreatione universi & omnium entium, quæ ex

ad bene rerum omnium universitatem animo perlustrandam atque contemplandam SOLUTUM ET LIBERUM ESSE DECET, *unius hominis, nec omnium mortalium sapientissimi, quasi vile mancipium, &, ut poeta quidam ait, servum pecus, effici?* Nempe tanta est vis consuetudinis, ut viros alioquin doctos cogat interdum sententia esse philosophos, opera vero ipsa vulgus!

(1) Non πρῶτον, sed δεύτερον, ac genitum, ut & Timæus Locri *de mundo* initio.

aliquo subjecto antecedente non potuerunt existere (1). Et aliud est loqui de prima procreatione rerum, aliud vero de procreatione & successione earumdem; illam enim nullum subjectum antecedere oportet; huic autem semper aliquod subjectum subesse debet.

Quinimo, in ipsa communi rerum particularium generatione cernimus quodammodo aliquid ex nihilo fieri: non enim materia generatur, ac proinde nec totum compositum secundum utramque ipsius partem essentialem de novo producitur; sola igitur forma, quæ ante generationem nulla erat (nisi fortasse formas materiæ inhærentes sempiternas esse quispiam existimet) per generationem producitur: quæ formas, cum subjectum ejus interit, in nihilum videtur recidere: aut enim in ipsum subjectum commutatur; aut ad alias materias transit: aut ad aliquod proprium totum reducitur: aut in aliam formam commutatur: quorum nihil fieri potest. Quod autem a quibusdam dici solet, materiam esse causam procreationum formarum, absurdum est: quomodo enim deterius causa erit melioris, & posterius prioris? forma enim finis est materiæ: dicitur autem materia *potentia* esse omnes species, non quod ipsas procreet, sed quod habilis sit ad naturas formarum recipiendas; veluti tabella scriptoria *potestate* est, quæ in ipsa describuntur litteræ: non quod litteræ ex tabula nascantur, sed quod potuit in se litterarum characteres recipere. Neque vero potest una forma eadem numero ex uno subjecto transire in aliud: nam nec forma per se moveri; nec una numero nisi in uno tantum subjecto singulari esse potest. Nec forma dissolvitur in alia simpliciora, alioquin esset composita. Nec redit ad suum totum, seu ad propriam integritatem: tum quoniam formæ partes non habent, & quantitate carent; tum quoniam difficile est fingere, quæ sit tota forma earum animarum vegetantium, quæ in singulis viventibus inest, aut quod naturale corpus illa tota forma occupet. Neque una forma in aliam interit, ut servetur mutua commuta-

(1) Oportuit in antecessum ostendere, Græcorum *materiam*, ut illi vocant, *primam*, pugnare per se esse ac ab æterno: eo enim talo hæc nititur argumentatio. Id vero quibus argumentis soleamus probare, in prima parte Elem. sæpe differemus, hic vero noster supra, eodem opere.

mutatio: talis enim commutatio non fit propter formam, sed propter commune subjectum, quod potestatem habet utramvis formam recipiendi. Ad hæc, quod vere generatur, id est per motum efficitur, id & in tempore, & ex aliquo subjecto fieri necesse est; at procreatio mundi non est motus, nec in tempore fit; immediate enim fit a Deo, qui in tempore non operatur. Sed dicent, nec materiam proprie gigni, neque formam, sed ipsum compositum, idemque interire. Esto; sed compositum, ut multis placet, re non differt a partibus: quare per generationem nulla res nova procreabitur, sed terminus generationis erit tantum unio & concretio simplicium: erit autem generatio nihil aliud, quam concretio, interitus autem nihil aliud, quod secretio, ut placebat antiquis; evenietque vera sit Empedoclis sententia affirmantis, nullius naturam (1) esse, sed permixtionem tantum atque mixtorum segregationem. Præterea, ante generationem forma non erat. Aristoteles enim 12. lib. metaph. tex. 16. non vult forma esse priorem composito: nec post interitum forma superstes est; hoc enim si alicui formæ tribuendum est, tantum intellectui concedendum erit: in generatione igitur & corruptione compositi, nulla res, & substantia gigni, aut interire cernitur, præter formam: sed quoniam tales formæ a composito non sunt separabiles, idcirco ex quadam consecutione efficitur, ut cum forma gignitur, & interit, simul eadem ratione compositum gigni, & interire necesse sit.

Verum quid opus est multis? brevibus namque occurri potest argumento: concedendo universum quidem naturaliter non posse interire; sed negando ex hoc concludi, ipsum nunquam esse cœpisse (2). Nam, ut non esse cœperit per motum ex aliqua materia factum, nihil tamen prohibet, ipsum ex nihilo per creationem proxime a Deo fuisse procreatum. Sed clamat Proclus, ex nihilo nihil fieri: clamet sane quantum libet: numquam certe creationem probabit Deo esse impossibilem. Ac nos quidem

supra

(1) φύσιν vim scilicet gignentem corrumpentemque. Et hæc eadem hodie physicorum plurimorum doctrina.

(2) Quid ergo interest tot Peripateticorum fabulis lectorem enecare? Sed hæc erant ejus temporis lautia, quibus in scholis hospites excipiebantur.

supra libro quinto, possibilem esse creationem, multis firmisque rationibus confirmavimus, & quæ contra creationem objici poterant, omnia repulimus.

Duodecimum argumentum Procli.

UNiversi elementa, vel manent in suis locis naturalibus, quod ipsis est secundum naturam: vel circulo moventur, & neque principium, neque finem habent movendi. Si igitur universi elementa in suis sunt locis, neque ullum in alienum locum totum contendit, necesse est, universum expers esse mutationis: cum omnia, eaque tota id obtineant, quod ipsis est secundum naturam, tum quæ in eodem manent, tum quæ moventur (1).

Ad duodecimum argumentum Procli.

HOc Procli argumentum duobus syllogismis nititur. Unus est hic: quæ sunt in loco naturali, ea sunt incommutabilia: at unaquæque mundi pars tota est in loco naturali: partes igitur mundi sunt incommutabiles: quare qui ex ipsis constat mundus, mutationis erit expers. Alter syllogismus hic est: quæ in orbem moventur, neque principium, neque finem habent sui motus: cælum autem versatur orbe; neque principium igitur habuit unquam motus, neque finem est habiturum. Sed in priori illud falsum est, *quidquid manet in suo loco naturali, esse immutabile*. Elementa enim contigua, ut aer & ignis, aqua & aer, terra & aqua, in suis locis naturalibus posita, tametsi cognata, & ut ajunt, symbola sint, tamen quoniam semper altera qualitate sibi invicem adversantur, mutuo alterari & commutari necesse est.

Deinde, cum ait elementum manens in suo loco esse immutabile, vel intelligit de mutatione, quæ est secundum locum, vel de alia. Utrumvis falsum est: nam multas partes cujuslibet elementi sæpe numero a suis locis naturalibus ad loca non naturalia dimoveri cernimus: aqua item in sua manens integritate sæpe incalescit, frigescit,

discu-

(1) Huic ego ut argumento ferula, ne mussitet, respondeam? *Nego totum*, intenta

discutitur in halitum, vertitur in aerem, & in se computrescens sexcentas procreat animalium formas. Terram etiam in loco suo immutari, declarant tam multæ stirpium, & metallorum species, quæ ex ipsa procreantur (1). At dicet, partes elementi possunt immutari, integrum autem & totum elementum nequaquam. Verum, hoc est petitio principii; nam qui negat mundum æternum esse, partes ejus omnino immutabiles esse, itidem negabit: de utroque enim par dubitatio est. Præterea, si nulla pars elementi est immutabilis, quomodo Proclus absque demonstratione sumit, totum elementum esse immutabile, cum partium commutatio contrarium sentire suadeat? Eadem enim est natura partium elementi, & totius elementi; quare si partes sunt corruptibiles, totum item suapte natura est corruptibile. Vel igitur aliquando interibit; id quod nos asserimus; vel numquam; & sic fiet, ut quod est corruptibile, numquam corrumpatur: quod & repugnat naturæ & adversatur iis, quæ traduntur ab Arist. in 1. de cælo. Quinimo Arist. ex motu, & quiete partium terræ in centro (neque enim contigit totum elementum terræ simul moveri ad centrum) argumentatur, totius terræ naturalem locum esse centrum (2).

Neque vero Proclus illud recte concludit, cum ait, motus circularis caret principio, & fine; ergo est æternus. Nam in antecedente, vel loquitur de principio & fine durationis, & ita petit principium, ut per se manifestum est: vel loquitur de principio & fine motus ex parte magnitudinis, & ita non valet consequentia. Etenim idem posset de motu cujuslibet globi dici: in tali enim motu non licet certum principium sumere, aut finem, ex parte globi; non proinde tamen quispiam dicet, aut numquam cœpisse motum globi, aut nunquam esse desiturum. His accedit, quod duratio motus non a subjecto corpore, in quo inest, sed a virtute motoris pendet; quare si motor libere, & secundum voluntatem moveat, tamdiu motus durabit, quamdiu ei libuerit; & incipiet tunc, cum motor incipere voluerit: figura igitur mobilis non necessario æternitatem motus concludit.

Deci-

(1) Plerique terræ sunt cælestes: idem igitur illis accidat necesse est.

(2) Mirum nisi hic subnectat Q. E. D.

Decimumtertium argumentum Procli.

MAteria prima est procreationis & interitus expers; alioquin alterius materiæ indigeret. Illud autem, cujus gratia materia est, est ipsa procreatio; & materia refertur ad formam: relativa autem simul sunt: relinquitur igitur, ut si materia æterna est, procreatio quoque, cujus gratia illa est, æterna sit, & sint formæ in ipsa ex æternitate.

Ad decimumtertium argumentum Procli.

PYthagorici, Platonici, & Stoici materiam fecerunt sempiternam, & quamvis numquam omnis formæ, & qualitatis expers sit per se, tamen informem, & incorpoream esse voluerunt. Hinc dixerunt primum omnium, inesse trinam dimensionem, ex qua efficitur corpus quoddam quod sua natura solis dimensionibus tribus definitur, & est quasi tumor quidam indefinitus, & solum parvi & magni differentia definitur. Hanc item posuerunt commune subjectum omnibus naturalibus formis, idque incommutabile; in omni enim commutatione debet esse aliquod subjectum, quod ab ea forma, quæ interit, transeat ad eam, quæ procreatur. Hanc igitur materiam si producatur, dicimus nos non necesse esse ex aliqua materia produci: formæ enim, quia per se non subsistunt, nec seipsas substentant, ideo materia indigent cum generantur. Materia vero, quia est receptaculum omnium formarum, easque sustentat, si producitur, non indigebit alia natura, ex qua fit. Præterea, quamvis in procreatione partium universi materiam præexsistere cernimus, in productione tamen totius mundi, non oportet existimare eam præcessisse, sed una cum mundo a Deo productam fuisse. Sed dicet, Plato voluit materiam sempiternam esse: Esto: at idem in Timæo terram ponit incommutabilem, reliqua tria elementa vult in se mutuo commutari: cum tamen ibidem asserat, corpora animantium ex quatuor elementis constare, quod esse non posset, nisi terra commutaretur. Ejus igitur viri, qui in re tam manifesta sibi contradicit, velle in omnibus rebus sententiam, quasi oraculum, sequi, stultum est, cum ipsemet moneat, ut

So-

Socratis parvam, veritatis autem permagnam curam habeamus. Adde, quod nusquam legitur Plato dixisse, materiam sempiternam esse: mundum autem ortum esse, clara voce pronunciat. Uter igitur magis consentanea Platoni dicit, Proclus, qui vult mundum æternum esse (quod aperte negat Plato), eaque sit materia sempiterna, quod nusquam Plato dixit; an nos, qui materiam una cum mundo cœpisse volumus, quorum alterum Plato manifeste scribit, alterum nusquam aperte negat (1)? Denique, materiam non posse procreari ab agente naturali, & motu physico, verum est: a Deo autem, & per creationem, falsum est.

Deci-

(1) Platoni materiam mundi positam a Deo creatam non hic tantum tum Pererius sibi persuasit, sed viri plures docti atque eruditi, quum veteres, tum recentes. Ex nihilo a Deo mundum creatum *εκ μη οντος υποσαντος* secundum Platonem scribit Clemens Alexandrinus *lib.* v. *Strom. cap.* 14. Idem contendit Hierocles, quem plures alii consectati sunt. Videtur in eamdem opinionem proclivis fuisse Marsilus Ficinus. Aperte idem tueri aggressus est *Livius Galantes in comparat. theol. christiana & platonica lib.* ix. Contendunt idem Cudworthus *in syst. intell. cap.* 5. *sect.* 2. §. 14. Huetius *in Alnetan. lib. II. cap.* 5. & Andreas Dacerius *in vita Platonis edita gallice*. Sed tantos viros nulla habere opinionis suæ ne probabilia quidem argumenta ostendit jam vir doctus Laurentius Mosshemius in dissertatione, *an ethnicor ulli mundum a Deo ex nihilo creatum docuerint* in secundo Cudworthi tomo pag. 957. Vide & Beringardum C. P. circulo IX. Quid, quod in Timæo *materia Deo tam manifeste coæva* supponitur, ut mirandum sit viros alias oculatissimos tali in re cæcutire potuisse? Nec vero alius veterum in Platonis scriptis exercitatorum ullus ea de re dubitavit umquam. Abstisse illi docent, tria Platoni posita coæterna principia, materiam, Deum, ideas; viri autem eruditi & perspicaces, Cicero, Plutarchus, Apulejus, Alcinous, Chalcidius. Vide & Laertium *in Platone*. Sed ne juniores quidem illi Alexandrini Platonici diserte genitam primam materiam fatentur omnes; & qui fatentur, ii ab æterno & naturæ necessitate a Deo emanasse contendunt: quod decretum priori illo pestilentius quoque est. Addam hic, quod plures fugit. Timæus Platonis quasi commentarius quidam est Libelli Timæi Locri *περι τω κοσμω*, *de mundo*, qui dorica dialecto conscriptus adhuc exstat. Timæus ipse in Platonis dialogo disputans inducitur. Qui utrumque legerit, noverit, non ovum tam esse ovo simile. At Timæus Locri aperte vel sub initium materiam facit æternam, eamque *αναγκην*, *fatum* vocat. Inde mala conrivat, quod & efficit Plato. Sed ea de re dictum est a nobis sæpe.

Decimumquartum argumentum Procli.

QUidquid gignitur, materia eget; & efficiente: quod si id non semper est, id fit aut propter efficiens, quod non semper idoneum est ad efficiendum, aut propter materiam, quæ non est semper habilis; aut certe propter utrumque. Quare si mundus aliquando non fuit, id accidit ei, vel propter ipsius mundi effectorem, at Deus mundi opifex, semper efficiendum mundum est satis idoneus, cum ipse idem semper permaneat, nec ullo modo immutetur: nam si nunc est idoneus & ex æternitate non fuit, nec nunc quidem est idoneus; vel propter materam: at materia vero similiter semper fuit habilis ad procreationem mundi, cum sit incommutabilis, & semper eadem permanens. Cum igitur, quod mundus aliquando non fuerit, nec materiæ, nec efficienti ascribi possit, pro falso habendum est.

Ad decimumquartum argumentum Procli.

IN hoc argumento multa sunt vitia: primum est illud, quidquid fit, indigere materia; multa enim solum requirunt efficiens, ut anima rationis compos, quæ & a Deo condita est, & quoniam est immortalis, ex materia fieri non potuit. Materia item prima vel non est a Deo producta, quare Deus non omnium erit opifex, sed erunt duo principia prima, Deus, & materia prima (1), quod redolet nugas Manichæorum; vel si est producta, ex materia alia produci non potuit, ne res in infinitum abeat. Neque vero ad ostendendum, non quidquid fit, materia egere, multum interest, sive id ab æterno, sive de novo factum fuerit. Quemadmodum igitur qui faciunt mundum sempiternum, & materiam, tametsi dicunt mundum a Deo fabricatum esse, nolunt tamen materiam præcessisse consititu-

(1) Hoc enimvero tota schola platonica beabat: indeque mani- chæos didicisse indubium fecere viri docti plures. Sed de ea re alibi.

stitutionem mundi, sed una cum mundo ab æterno productam fuisse: sic etiam nos, qui volumus hunc mundum aliquando cœpisse, dicimus materiam simul cum mundo cœpisse. Alterum vitium est, quod sumitur tamquam certum, materiam esse immutabilem & sempiternam, quod falsum est, & a nobis supra improbatum fuit. Tertium vitium est, quod duplex tantum causa assignatur, propter quam mundus non semper esse potuerit, nempe materia, & efficiens: cum neutra earum sit causa, sed alia, quæ prætermissa fuerit, nimirum, quod repugnet naturæ ipsius operis æquale esse suo opifici (1), & repugnet mundo ipsum coæternum esse Deo, a quo fuit conditus: vel quia Deus ad manifestationem suæ gloriæ & perfectionis, melius esse judicavit mundum fieri de novo, quam illum esse ab æterno; vel quia ex parte mundi repugnat ipsum esse æternum: Tum huic positioni multa, quæ sunt perspicue falsa, absurda, & impossibilia, fint necessario consequentia; id quod supra breviter ostendimus, & accuratius, ac diligentius infra docebimus.

Decimumquintum argumentum Procli.

(2) Partes mundi, nempe cælum, & quatuor elementa, sunt æternæ; ergo etiam mundus. Neque enim totum ignobilius est suis partibus, cum sit id cujus gratia partes sunt, & non e contratio. Cælum autem Platoni sempiternum esse placuit; quod vel motus ejus, qui fit in orbem, aperte declarat: nam ortus, & interitus inest iis, quæ habent contrarium. Præterea, unum uni tantum proprie est contrarium, ut a Platone explicatum est in Protagora; cum igitur cælum contrario careat, nam si cælo aliquid contrarium esset, motui quoque ejus alius motus contrarius inveniretur, at quis is esse potest? cum

(1) In ea quæstione, *potueritne creaturæ esse ab æterno*, in partes abiit schola vetus. S. Thomas res tam fluentes, quam permanentes ab æterno creari potuisse docet, modo, inquit, *conditio creationis non importet transitum de non esse ad esse*. Durandus hoc permanentibus tantum tribuit. Albertus & Alexander utrique negant. Scotus in utramque partem probabilibus argumentis differi posse contendit.

(2) Hoc argumento supersedissem; nihil est ineptius, magisque puerile.

cum enim tres sint motus simplices, circularis, & rectus, qui duplex est, unus qui sursum fit, alter qui deorsum: quis erit horum, circulari contrarius? non is qui sursum fit, nam opponitur ei qui fit deorsum; nec is qui fit deorsum; adversatur enim ei qui fit sursum; & jam positum est uni unum tantum contrarium esse; relinquitur igitur, neque motui cælesti, neque ipsi cælo quidpiam esse contrarium. Quare corpus erit diversum ab iis, quæ ortum habent & interitum, ut sunt quatuor elementa, & quæ ex ipsis fiunt. Porro, ipsa elementa, licet secundum partes suas gignantur, & intereant, nihilo minus tamen semper suum statum naturalem retinet in suis locis remanentia. Mixta vero, non partes mundi, sed potius effecta dici debent; ad quæ procreanda, dii, ut est apud Platonem, ex integritate elementorum partes mutuantur, quas iterum restituant illis: quod dictum est propter resolutionem mixti in elementa, ex quibus conflatum erat. Ex iis igitur, & vere, & convenienter platonicis decretis atque principiis demonstratum est, mundum sempiternum esse (1).

Ad decimumquintum argumentum Procli.

Quoniam Proclus nimium Platoni tribuens, ad confirmandam æternitatem mundi, testimoniis ejus abutitur, velut etiam nunc, affirmans cælum secundum Platonem non esse compositum ex quatuor elementis, sed quintam quamdam naturam omnium sublunarium corporum longe dissimilem, hoc dicens convenienter magis doctrinæ Aristotelis, quam Platonis; videndum est, an Plato ita senserit; an potius, ut nos ostendemus, contrarium. Plato (inquit Proclus) tribuit cælo motum circularem, qui diversus est a motibus omnium elementorum; ergo voluit illud esse diversum ab illis. Procederet sane argumentum si Plato fecisset cælum, vel corpus simplex, vel compositum, sed inanimum; tale enim argumentum ex motu naturali ductum in simplicibus corporibus, & compositis inanimatis robur habet, ut vide-

(1) Tam hæc Procli caussam juvant, quam ullæ poetarum fabellæ ad mundi hujus phænomena explicanda adcommodatæ sunt: pariter enim sunt omnia ficta, chimerica, aut saltem precarii.

videre licet apud Arist. in 1. de cælo. At cum Plato dicat cælum ex quatuor elementis majori tamen ignis portione, constare; ipsumque animatum & ab anima motu cieri velit, planum est, Platonem attribuisse rotundam conversionem cælo, non quatenus corpus est sejunctum ab anima, sed quatenus est animal quoddam, cui anima motum circularem impartitur. Nam, & in animali motus progressionis, qui fit ad interiora, naturalis est ipsi, non ratione corporis, fortasse namque illi adversatur, sed ratione animæ. Præterea quid dicimus de stirpibus, quæ una cum solis conversione circumferuntur, quamobrem cognomines motui solis, Heliotropi nuncupantur? dicat nobis Proclus, cujusnam simplicis corporis naturalis est ejusmodi motus? Anima igitur cæli circularem motum illi tribuit, ut adducat ipsum, quod ejus fieri potest, ad imitationem mentis & intelligentiæ, in cujus actione, ut Platoni placet, perfecte inest conversio, & motus circularis. Quemadmodum igitur, ut sunt diversa genera animantium, volatilium, terrestrium, & aquatilium, sic anima, quæ in ipsis est, diversos motus exercet, & ad tales motus exequendos, natura diversas figuras eorum corporibus accommodavit, cum tamen omnia corpora ipsorum ex elementis pariter composita sint: sic erit cælum, quamvis ex elementis conflatum fuerit, ob diversitatem tamen animæ a qua cietur, & figuram, & motum diversum a motibus omnium elementorum sortitum est. Adde, quod si proprium est animantis movere seipsum, ut est apud Platonem 10. lib. de leg. & aliis in locis; cum cælum Plato animatum faciat, aliquem motum habebit ab anima sua, qui præter circularem alius esse nequit. Hæc igitur duo in doctrina Platonis non pugnant inter se, ut & cælum conflatum sit ex elementis, quatenus corpus est, & nihilominus tamen, quoniam animatum est animam habens divinam, longe diversam multoque præstantiorem iis, quæ sunt in caducis & mortalibus animantibus, motum accipiat ab anima sua diversum a motibus elementorum. Quid si dicamus cælum, quum ex purissimo igne fere conflatum sit, supernum locum occupasse, ibique constitisse, motum autem circularem, quo circumfertur, ab alio principio, ab anima nimirum accepisse, quemadmodum in elementis, quæ in suis locis naturalibus manent, idem affirmamus; nam ignis qui est sub

concavo lunæ (1) nec sursum nec deorsum movetur, sed motu orbis, cui cohæret, circumagitur. Quod igitur cælum, siquidem simile est elementis neque deorsum feratur, neque sursum, causa est, quoniam in suo loco naturali exsistit: nullum enim elementum in suo loco naturali manens, potest ab eo ullo genere motus naturaliter dimoveri, sed tantummodo vi; quod autem in suo loco manens cælum in orbem feratur, facit id quidem anima cælestis, cujus ipsum est proximum instrumentum: quæ anima, cum ut intelligibilem conversionem, & perfectissimum illum motum circularem, qui menti & intelligentiis inest, in mundo sensibili, & in omnium corpore nobilissimo exprimat; tum ut res quæ sub luna sunt, temperato syderum motu regat, conservet atque moderetur, motum circularem cælo impartitur.

Sed pergamus ad alia, quæ Proclus in suo argumento sumit, expendenda. Ac primo quidem Proclus sibi contradicit: nam ait ea quæ oriuntur & intereunt, non esse partes mundi, sed potius effecta: idem quoque dicit, partes elementorum oriri & interire: cum igitur quicquid est pars partis, sit pars totius, ut quia manus est pars corporis, & digitus est pars manus, erit etiam digitus pars corporis: si partes elementorum non sunt partes mundi, neque ipsa elementa erunt, quod est absurdum: quod

(1) Nemo hoc in loco a me expectet, Pererii quoque errores, quos ille ex veteri schola sæpe sumit, refellam: nimio enim sunt plures, quam ut in brevi opusculo redargui possint. Quantum hoc monstrum est, sphæram ignis sub luna ponere! quod obtrudi non potuit, nisi hominibus, qui totam philosophiam in technicis verbis ponebant, disputabantque magis, quam philosophabantur. Sed & tota superior oratio, non minus, quam Procli argumentum, ideis constat chymericis, principiis precariis, telis, quibus muscæ capiantur, quibusque homines etiam capi potuisse, miraculo simile est. Quam bellum erat paucis respondere, *nego totum*, quam in illa dumeta platonica ingredi, unde exitus nullus sit? Quum hæc cogito, me pudet ingenii humani, quod tamdiu in his nugis, velut in gravissimis rebus, nulla generis utilitate, divagari potuit: mirificeque nostrorum temporum physice, plana illa, ac naturæ experimentis contenta, delectat. Ut ecce, quum tantopere de *cælo* differant, id sibi velut nescio quam solidum compactumque corpus fingunt, cui infixa sint sidera. Cui autem potest esse ignotum, tam esse solidum cælum, quam nostrum aerem, aut tenuiorem ætherem, aut vacuam fortassis extensionem? Quæ si, ut sunt, verissima sint, qui potest illud ex quatuor elementis esse conflatum? Nam sidera quod attinet, aut stellæ fixæ sunt, aut planetæ. Illæ soles sunt: hi terræ.

quod si sunt partes mundi, cum oriantur & intereant, falsa erit opinio ipsius affirmantis, partes mundi ab ortu, & interitu alienas esse. Præterea, si caussa ortus, & interitus est contrarietas, ut ipse Proclus dixit; talis autem contrarietas non modo in partibus elementorum, sed etiam in ipsis totis elementis primo, & per se invenitur; totum elementum ab ortu, & interitu alienum non erit. His adde, quod supra dictum fuit, cum totum nil aliud sit, quam sæpe partes conjunctim sumtæ, & cum in corporibus simplicibus & homogeneis, cujusmodi sunt elementa, eadem sit ratio cujuslibet partis atque totius, si omnes partes elementi sunt caducæ, totum idem caducum, & mortale esse necesse est. Quid? quod non potest aliquid manare idem numero variatis omnibus partibus ejus? Quum igitur nullum elementum idem numero semper maneat, utpote cujus omnes partes varientur, sane videtur simile figmento, totum elementum ab ortu, & interitu vindicare. Illud autem, nec verum, nec Platoni consentiens videtur, corpora mixta non esse partes mundi, sed potius effecta: id enim cujus detractione, vel absentia, aliquid imperfectum, & diminutum est, suamque perdit integritatem, sine dubio, vel pars ejus, vel ad substantiam ipsius pertinens censeri debet: hæc enim duo, totum, & perfectum reciprocantur, ut docet Aristoteles 3. physic. tex. 64. Quod igitur facit ad perfectionem alicujus, id quoque ad ejus integritatem pertinet, ac proinde pars illius est: sed Plato vult in Timæo, nisi adsint mortalia animantium genera, mundum non fore perfectum; hæc igitur in ipsis mundi partibus numerari debent. Verba Platonis in Timæo hæc sunt: inducit enim Deum opificem universi præscribentem diis ea quæ facturi erant ad hunc modum. *Tria genera nobis reliqua sunt, eaque mortalia, quibus prætermissis, cæli absolutio perfecta non erit; omnia enim genera animantium complexu suo non tenebit: teneat autem oportet, ut ei ne quid absit, quæ si a me effecta sint, deorum vitam possunt adæquare. Ut igitur mortali conditione generentur, & universum vere sit universum, vos suscipite, ut illa gignatis, imitemini que vim meam, qua me in vestro ortu usum esse meministis.* Si genera igitur animantium (1) mundo desint,

 mun-

(1) Zωα vocat Plato non hæc tantum mortalia animantia, sed

mundus Platoni non erit perfectus; censet igitur is, animantia in mundi partibus esse numeranda. Et recte sane: nam mixta perfectiora sunt elementis; & hæc illorum causa sunt constituta. Denique, sive hoc quod omnia continet mundum appelles ab ornatu, sive universum, omne, aut totum, utpote cujus amplexu omnia coerceantur, negare non potes, ejus partes esse & quidem potiores corpora mixta, quippe quæ, cum veritate, cum perfectione naturæ, multum præstant elementis.

Platonem autem sensisse, ex quatuor elementis tum cælum, tum mundum totum esse coagmentatum, ex iis quæ subjungam, perspicuum erit. In Timæo sic ait, *ut hic mundus esset animanti absoluto simillimus, hoc ipso quod ipse solus, atque unus esset, idcirco singularem Deus hunc mundum atque unigenitum procreavit. Corporeum autem, atque aspectabile omne necesse est esse, quod natum est. Nihil porro igni vacuum videri potest; nec vero tangi, quod careat solido: solidum autem nihil, quod terræ sit expers. Quamobrem mundum efficere moliens Deus, terram primum ignemque jungebat.* Et quæ sequuntur usque ad illa verba. *Earum autem quatuor rerum, quas supra dixi, sic in omni mundo, partes omnes collocatæ sunt, ut nulla pars cujusvis generis excederet extra, atque in hoc universo inessent genera illa universa.* Ex quibus verbis apertum est, Platonem, & cælum, & totum mundum ex quatuor elementis constituisse. In cælo autem plurimum igneæ substantiæ inesse dixit. *Nam cum quatuor sint animantium genera; unum cæleste, atque divinum; alterum pennigerum, & aereum; tertium aquatile; terrenum quartum; divinæ animationis,* inquit Plato, *speciem, Deus maxime faciebat ex igne, ut splendidissimus esset, & aspectu pulcherrimus. Cumque eum similem universi naturæ efficere vellet, ad volubilitatem rotundavit, comitanteque eum sapientia, optimæ mentis effecit, circumque omne cælum æqualiter distribuit, ut hunc varietate distinctum bene græci κοσμον nos lucentem & ornatum mundum nominaremus.* Hæc ex Platone: Quæ vero adversus hanc Platonis sententiam in 1. meteororum Aristoteles scribit, parvi momenti sunt apud Platonicos. Si enim, inquit Aristoteles, cælum igneum esset, cum incredibili propemodum excessu

hunc

quidquid vivit. Itaque & mentes, enim vero viventia. & Deus ipse ζωα ei sunt: sunt

nunc mundum inferiorem superet, jampridem omnia, quæ continentur, in ipso incendio consumta fuissent. Sed ipsi respondent, cum elementum ignis contineat cetera elementa, ac proinde multis partibus major sit illis, qui fit, ut quæ ab eo continentur, non similiter conflagraverint? Deinde, Aristoteles lib. 2. de generat. tex. 20. & 21. ait ignem elementarem nostrati igni diversum esse: hunc enim non esse simplicem, sed mixtum, & habere caloris excessum, vimque urendi & absumendi corrumpendique corpora, illum autem minime: quemadmodum nix, seu glacies, seu gelu, frigidi est excessus; naturalis enim ignis vitam potius impartiendi, quam urendi viribus præditus est, ceu in nobis insitus calor. Præterea, quo ignis est in tenuiori materia, eo minorem vim habet urendi, ut ferrum candens magis urit quam carbo, & flamma, quam elementaris ignis. Quum igitur cælum ex purissimo, tenuissimoque igne constet; mirandum non est si quamvis magnitudine multum excedat, ea tamen quæ sub ipso sunt nequaquam incendat.

Platonis autem præcipui interpretes idem, quod nos supra docuimus, sensisse Platonem, asseverant. Taurus (ut refert Philoponus) in 1. com. in Timæum, postquam locum Platonis a nobis supra citatum exposuit, *Theophrastus inquit, quod si aspectabile & tractabile ex terra sunt & igni, ex his cælum, & astra constabunt, non sunt autem hæc, inquit, ex illis, quintum corpus introducens, quod versatur in orbem. Verum, ubi quintum corpus illud esse docuerit, tunc hisce contradicat*. Hæc Taurus. Qui non modo vult cælum, & mundum ex quatuor elementis concretum esse, sed etiam adversatur Theophrasto id neganti, & quintum quoddam corpus ex Aristotelis sententia introducenti. Porphyrius in expositione eorumdem verborum, idem sentit: & post multa, subjungit hæc: *Mundum ex quatuor constitutum esse elementis, diserte dicit Plato, quasi quintum illud corpus, quod ab Aristotele, & Archita inducitur, non esse putaverit*. Proclus quoque, tum in expositione Timæi, tum in libro, qui inscribitur. *Observationes eorum, in quibus Platonis Timæo contradixit Aristoteles*, post quam multis verbis explicuit, quomodo universum ex quatuor elementis constet, & cælum ex igni, itemque astra: postremo subjungit hæc, *non igitur, quasi peregrinam in universo cælorum naturam inducere oportet, sed illic summam perfectionem naturæ eorum, quæ hic visuntur, constituentes, per illam, eamque quæ illis*

 sit co-

sit cognata, his corporibus ortum tribuere. Plotinus in lib. de mundo, eamdem, quam nos, Platoni sententiam tribuit, eamque multis verbis, & explicat, & tuetur, adversus Aristotelem, cujus verba, ne sim prolixius, hic non describo. Postremo, Aristoteles Platonis discipulus, sententiam, quam Platoni adscripsimus, reprehendens, fecit cælum quintum quoddam corpus ab elementis diversum. His accedit, quod Plato non agnovit corpus aliud simplex, præter quatuor elementa: sic enim in Timæo scribit, *dicendum est igitur cujusmodi potissimum quatuor corpora fiant; nam si hoc semel erimus consequuti, procreationis terræ, & ignis, & eorum, quæ pro rata portione in medio eorum interjecta, veritatem facile consequemur: tum enim nemini concedemus, pulchriora iis, quæ sub aspectum cadant, corpora usquam inveniri, quorum quodque ad suum genus referatur*. Si igitur Plato negat ullum corpus esse pulchrius his quatuor elementis, aut his quæ fiunt ex ipsis, proculdubio non putavit cælum esse omnino diversum ab illis. At dicet aliquis, Platonem quinque solidarum figurarum, quæ rectis constituantur lineis, & planis similibus, ac naturæ ejusdem, cujusmodi sunt Cubus, Pyramis, Octaedrum, Icosaedron, Dodecaedrum, quatuor priores, quatuor elementis attribuere; nimirum terræ Cubum, Pyramidem igni, Icosaedron aquæ, Octaedrum aeri, postremum autem, Dodecaedrum, sine dubio cælo ascribere; is non obscure indicavit, sicut figuram, sic etiam naturam cæli, diversam esse ab elementis. Sed hi errant: non enim Plato illa figura Dodecaedri Deum usum esse ait ad compositionem cæli, sed ad universitatis constitutionem; ut ex iis verbis, quæ sunt in Timæo, perspicuum est: *cum præterea*, inquit, *quinta quædam sit compositio, ea Deus ad universi constitutionem est usus; eaque figuravit, & descripsit universum*. Hæc pluribus disseruimus, ut demostraremus, Platoni cælum non esse talem quamdam naturam diversam ab elementis, qualem induxit Aristoteles, sed esse ex elementis compositum (1).

De-

(1) Quid attinebat has antiquorum nenias tot disserere? Nempe hic duo garruli de palma contendunt, græculus Philoponus, ac dialecticus hic noster. Quis hic non illud, O TE BOLLANE CEREBRI — FELICEM.

Decimumsextum argumentum Procli.

MAteria sempiterna est, & per se habilis ad suscipiendas formas; vel igitur formæ in ea semper exstiterunt, & semper erunt, & sic mundus principio, & fine carebit; vel non semper fuerunt, aut erunt; quod est absurdum: quomodo enim materia ex æternitate formis caruit, ad quas suscipiendas semper fuit habilis? Sed forte dices, ab æterno materiam habuisse formas vagas, imperfectas, & inordinatas; postea vero, productas fuisse formas perfectas. Verum id dici nequit; cum enim materia per se, ac semper habilis sit ad suscipiendas formas perfectas, nulla potest reddi causa, cur non ab æterno illas habuerit. Deinde, quid opus fuit prius habere formas imperfectas, ut deinde perfectas habere posset? quod autem Plato, materiam prius immoderate, ac inordinate motam fuisse dicit, id non ita accipiendum est, ut prius fuerit inordinata, deinde ordinata; sed cogitare debemus, eum illis verbis exprimere voluisse, qualis nam materia ex se & suapte natura esset, nisi ab opifice mundi distincta, & exornata fuisset.

Ad decimumsextum argumentum Procli.

ÆTernitas materiæ, qua fulcitur argumentum, jam supra improbata fuit: quare necessarium non esset pluribus verbis hoc argumentum refellere. Sed illud falsum est, Platonem, per id, quod inordinate movebatur, intellexisse materiam primam: Porphyrius enim ait intelligenda esse corpora naturalia, ex quibus mundus coagmentatus est; quæ quoniam naturalia sunt, moventur illa quidem, verum nisi ab opifice mundi in ordinem digesta essent, & suum quodque situm & locum ab architecto mundi accepissent, turbato & vago motu agitata fuissent; ut navis dum gubernatore, & currus cum auriga destituitur. Id autem Platonem sensisse, illa verba indicant: *Quidquid enim erat, quod sub cernendi sensum caderet, id sibi assumpsit, non tranquillum, & quietum, sed immoderate agitatum & fluitans, idque ex inordinato in ordinem adduxit.* Quænam, inquit Porphyrius, sunt, quæ sub sensum cadunt, nisi corpora? materia enim cum

secundum Platonem vix aut ne vix quidem spuria cogitatione comprehendatur, in iis quæ sub sensum cadunt, numerari non debet.

Decimumseptimum argumentum Procli quum sit idem ac quartum, omittendum hic censuimus: item enim, ut ibi, ex æterno mundi exemplari ejus æternitatem adstruere conatur.

Decimumoctavum argumentum Procli.

SI in Deo duæ sunt voluntates, una, ut non sit aliquid inordinatum, quod Plato indicat illis verbis, *cum enim constituisset Deus nihil mali admiscere, ex inordinato ipsum adduxit in ordinem:* altera, ut universum bene colligatum & ordinatum conservetur, quam innuit Plato illa oratione, *nam cum voluntatem, & consilium meum nacti sitis, quod majus est vinculum ad perpetuitatem vestram, quam illam quibus estis, tum cum gignebamini, colligati, &c.* necesse igitur est, has voluntates, aut semper esse in Deo; aut interdum utramque, unam prius, alteram posterius. At interdum esse, interdum autem non esse, non convenit ei, qui semper est, & immutabilis semper perseverat: & prius, ac posterius in iis tantum insunt, quæ tempori subjecta sunt. Quod si utraque voluntas semper quod vult efficit, semper igitur & inordinatum obliteratur propter perpetuam voluntatem, ut ipsum non sit; & ordinatum conservatur propter voluntatem, ut ipsum sit perpetuum: cum utraque voluntas sit semper. Quare si fit utrumque semper, non prius erit inordinatum, quam ordinatum, nec ordinatum, quam inordinatum: quod si id quod ordinatum est, principio & fine caret, mundus autem nihil aliud est, quam ordo, & id quod adductum est in ordinem: mundus igitur ortus, & interitus expers erit.

Ad decimumoctavum argumentum Procli.

DEus semper vult, ut non sit aliquid inordinatum: inordinatum enim Deus, & natura refugit: non tamen ideo sequitur, ut si semper vult non esse inordinatum, aut semper vult ordinatum, ipsum ordinatum semper sit: semper enim Deus, ut ait Plato, vult bonis omni-

omnibus mundum explere, non tamen omnibus bonis semper mundus expletus est: semper vult Deus, non esse malum, bonorum enim, inquit Plato, ad nullum aliud, quam ad Deum causa est referenda; malorum autem alia quæpiam est requirenda causa, mali enim causa, non est dicendus Deus; non tamen ideo sequitur, ut malum semper non sit in mundo. Postremo, semper vult Deus ea quæ fiunt in mundo, non tamen necessarium est ea semper fieri, aut esse. Quamvis igitur Deus semper velit aliquid, vult tamen illud esse, sicut natura ejus patitur. Et ipse quidem semper voluit mundum esse talem, qualis nunc est, sed non voluit, ut mundus semper talis esset. Est igitur æternitas in volitione Dei, sed non in effectione mundi.

Deinde, non si quod Deus vult, aliquando est, aliquando non est, ideo dicere oportet, Deum interdum hoc, interdum illud velle. Una est enim & simplex Dei voluntas, cujus unaquæque res particeps est, quoad natura ipsius patitur. Vult Deus omnia esse simplicia sibi, vult esse bona, & conservari: similitudinis tamen, bonitatis, & conservationis ratio, non eadem est in omnibus. Semper igitur volebat mundum esse conditum: verum, ut potest esse mundus, & suapte natura est capax durationis, ita esse volebat. Si igitur immortalitati, immutabilitati, æternitati, atque indivisibilitati Dei, non repugnat mortalitas, mutabilitas & extensio rerum quas producit: non item absurdum erit, Deum voluisse semper mundum fuisse ordinatum, ipsum autem non semper fuisse: non enim voluit, ut mundus semper esset ordinatus, sed semper, & ab æterno voluit, ut mundus tunc, & talis esset, quando, & qualem esse, vel possibile, vel melius erat (1).

Deci-

(1) Est hæc de divinis operibus philosophandi ratio frequens scholæ philosophis: iis enim decretum est præcipuum, *Deum ferri semper ad id, quod melius est*: quo illi gravissimis quæstionibus respondent. Non necesse est ut id veterum scholæ theologorum testimoniis confirmemus: nimis illa sunt obvia. Sed illud animadverto, ea quum Leibnitius arripuisset, indeque *Theodiceæ* suæ systema conformasset, visum fuisse novum his rebus lumen attulisse. Neque vero hoc dico, quasi Leibnitiano operi meritum detracturus, cui profecto magnum semper erit: sed ut intelligamus, plerumque judicium veteribus defuisse, raro ingenium. Quamquam totum jam Leibnitianum systema Gulielmus King, Archiepiscopus Dublinensis, suo opere, *de origine mali* præformaverat.

Decimumnonum argumentum Procli ab octavo non differt: ne illud igitur perpetuo plus exclamaret lector, o te Bollane felicem, *missum fecimus*.

Vigesimum argumentum Procli.

PLato in Politico ait, res divinissimas semper in eodem statu permanere, similiter affectas & prorsus immutabiles. Cum igitur opifex mundi sit quidpiam omnium divinissimum; semper idem &' similiter affectus erit. Quare alienum est ab ipso, interdum facere, & interdum non facere; sed convenit illi, vel semper facere, vel numquam facere; At numquam facere in eum, qui est opifex omnium rerum, cadere nequaquam potest: relinquitur igitur, ut Deus semper mundum faciat, ac proinde mundus sempiternus sit. Præterea, Deus, ut in Timæo legitur, mundum condidit divini exemplaris perfectissimam imaginem: cum igitur exemplar omnino sempiternum sit, necesse est mundum, siquidem est imago ipsius, ambifariam sempiternum esse. Ad hæc, Plato mundum Deum vocat; deorum autem genus, & mutationis, & vitii expers est; quare mundus ortu, & interitu carebit.

Ad vigesimum argumentum Procli.

IN hoc argumento, nihilo novi Proclus affert; nam prima pars argumenti, supra in sexto argumento, secunda in decimo septimo, tertia in undecimo, & ab ipso tractata, & a nobis refutata fuit.

Duodecim argumenta Averrois pro mundi æternitate (1).

PRimum argumentum Averrois, ex quarto libro phys. comm. 6. & 1. lib. de cælo comm. 92. depromptum, sic habet. Qui de novo mundum generant, habent neces-

(1) Metaphysicam ego interdum *σινδόνι*, quam Petrus Apostolus per nocturnam speciem vidit, similem esse dicere soleo: nam & hæc quoque omni monstrorum, fœdorumque animantium genere scatet. Græca expugnavimus, ac, ut ait Pererius, *subtiliter atque diligenter* (intrepide fortiterque dixisset). Cum lybicis nunc feris confligendum. Jam sudor ad imos manat talos.

necessario vacuum admittere; nam ubi nunc est mundus, aliquando nullum fuit corpus nimirum ante generationem mundi, poterat tamen esse, quandoquidem ibi postea mundus generatus fuit; ergo illud erat vacuum: namque vacuum non est aliud, quam receptaculum corporis, vacans tamen omni corpore (1).

Secundum argumentum, ex 2. lib. de cælo, com. 22. Qui ponunt mundum de novo generatum esse, non possunt demonstrare, esse Deum, & æternitatem ejus sicut qui ponunt ipsum æternum esse; & coguntur dicere ante generationem mundi, fuisse aliquod corpus. Et ratio est, quoniam, quod de novo fit, non potest immediate fieri a Deo; tum quoniam, de novo fit; quod autem tale est, ab eo quod semper eodem se habet modo proxime effici non potest; tum quoniam quo generatur debet prius ab alio alterari; Deus autem, & quoniam idem, ac immutabilis est, & quia est incorporeus, non potest immediate aliquid novi facere, vel aliquid alterare: illud igitur, a quo mundus proxime factus est, debuit esse coroporeum, ut alterare posset subjectum, ex quo mundus generari debebat, & ut varietate, ac novitate sui motus, aliquid novi producere posset, quod antea non erat.

Tertium argumentum, ex lib. 8. phys. comm. 4. Si quicquid fit, ex subjecto, & opposito determinato fit, idque & ex vi demonstrationis, & ex evidentia sensuum certum est, contrarium autem hujus, nec ratione, nec testimonio sensuum ostendi potest; plane impossibile erit ex nihilo aliquid fieri: in tali enim productione, nec subjectum, nec oppositum ullum determinatum esse potest. His adde, quod omnis actio necessario conjuncta est cum motu: subjectum autem est inseparabile a motu, cum ponatur in definitione ejus. Quare qui ajunt primum agens posse ex nihilo aliquid facere, non prædicant excellentiam ejus, sed potius pugnantia inter se loquuntur; quomodo enim, vel circa nihilum versari, vel in nihilo recipi ulla ratio potest? Vel esse agens sine patiente: cum hæc sint relativa, quorum est natura, ut unum sine altero intelligi, nedum esse, nequeat.

Quartum argumentum ex eodem libro, commento 15. Qui faciunt mundum de novo, coguntur fateri aliquam muta-

(1) Sit, inquit Newton, quid inde?

mutationem factam esse in Deo. Aut enim Deus eodem prorsus modo se habuit erga molitionem mundi ab æterno, ut tunc cum fecit mundum; & sic necessarium est, ut vel ab æterno mundum fecerit, vel ut numquam fecerit: aut diverso modo se habuit Deus, tunc cum fecit, quam sese habuerat ab æterno; hæc autem diversitas cum non potuerit oriri ex ipso mundo, utpote qui nihil plane esset, necessario profecta est ex ipso opifice Deo.

Quintum argumentum, ex eodem libro & commento: Ut se habet voluntas nova ad actionem novam, *sic* voluntas antiqua ad actionem antiquam: ergo a commutata proportione, sic se habebit voluntas nova ad actionem antiquam, sicut voluntas antiqua ad actionem novam, & contra: ergo sicut est impossibile a voluntate nova prodire actionem antiquam, sic est impossibile a voluntate antiqua prodire actionem novam (1).

Sextum argumentum, ex eodem libro & commento. Si voluntas æterna dicitur producere suum effectum de novo, & non ab æterno, hoc sine dubio contingit, vel ob aliquod impedimentum, vel ob defectum alicujus rei necessariæ ad illum effectum producendum; necesse est igitur ante generationem mundi, vel impedimentum illud removeri, vel illam rem necessariam adesse: quorum neutrum potest fieri sine motu. Saltem negari non potest, quin qui differt facere quod vult, expectet præsentiam illius temporis, & velit præterire totum illum tractum durationis, qui præcedit illud *tunc*, in quo vult effectum producere; non possunt igitur effugere quin admittant, ante generationem mundi aliquam durationem temporis exstitisse.

Septimum argumentum, ex eodem libro & commento. Aut tempus factum est cum mundo, aut fuit ante generationem

(1) Quo hoc argumentum clarius intelligatur utamur geometrarum istrumentis. Sit voluntas nova A, actio nova B, voluntas vero antiqua C, vetusque actio D. Averrois ergo argumentum erit istiusmodi, ut A : B : : C : : D; ergo reciprocando, ut A : D : : C : B; Sed A : D nullam habet rationem; ergo ne C quidem ad B. At quis ei eam reciprocationem concedat, in qua alter extremorum fit medius? Nihil hoc argumento perversius: norunt pueri. Sit A 2, B 2, C 6, B 6. Est 2 : 2 : : 6 : 6; ergo ne 2 : 6 : : 6 : 2? Sit A 2. B 2, C 4, D 4; ut 2 : 2 : : 4 : 4; ergo ne ut 2 : 4 : : 4 : 2?

tionem mundi: sed cum nec tempus sine motu, nec motus sine mobili, nec mobile ullum extra mundum esse possit, quomodo potuit esse tempus ante generationem mundi? Sin autem tempus factum est, cum omne quod fit, vel in tempore, vel in instanti fieri necesse sit, cumque ibi tempus esse oporteat, ubi mens nostra distinguit prius & posterius, fiet profecto, ut ante generationem temporis, ipsum tempus fuerit.

Octavum argumentum, ex eo opere, cui nomen est, *Destructio destructionum*, ex disputatione prima in solutione secundi dubii. Nullum agens differt agere bonum quod vult, & intendit, nisi vel ob aliquod impedimentum, vel propter aliquod majus bonum; cum ergo ante generationem mundi nihil plane sit, vel quod resistat divinæ potentiæ, eamque retardet, vel quod melius sit mundo; nulla causa assignari potest, propter quam Deus, non ab æterno mundum fecerit. Incredibilem item est, Deum elegisse privationem mundi, quasi tempore infinito: numquam enim privatio aut est prior habitu, aut diuturnior eo, nisi per accidens.

Nonum argumentum, ex eadem disputatione in solutione tertii dubii. Causa, & causarum sunt relativa; sicuti ergo accidit mundo de novo esse causatum, sic accidet Deo de novo esse causam mundi: cum ergo ab æterno non fuerit causa, postea vero de novo esse cœperit causa mundi, idque non extrinsecus evenerit, nihil enim erat extra Deum ante generationem mundi; necesse est confiteri id accidisse ob aliquam mutationem factam in ipso Deo. Si igitur Deus ab æterno omnes conditiones habuit, quæ requiruntur ad efficiendum mundum, quid causæ reddi potest, cur maluerit ab æterno non esse mundum, quam esse? quis enim, non inquam sapientissimus & optimus, cujusmodi est Deus, sed qualiscumque artifex, cum possit facere aliquod opus optimum, malit, dici, & esse opifex ejus *potentia*, quam *actu*, cum tamen actus sit perfectior potentia.

Decimum argumentum, ex eadem disputatione, in solutione decimi septimi dubii. Qui ajunt mundum de novo creatum esse a Deo, censent ante hunc mundum, alium potuisse creari, & ante illum, aliud ex quo fit, ut dilatio primi mundi longior esset, quam secundi, & secundi, quam tertii, & tertius antiquior esset quam secundus, &

hic

hic quam primus: dico autem primum hunc nostrum mundum, qui factus est. Et inter tertium, & secundum, & inter hunc primum intercederet aliqua duratio, quæ cum non esset æterna deberet esse temporalis; quare tempus esset sine mundo. Confirmatur hoc, quoniam ubi intellectus noster invenit prius & posterius, longius & brevius secundum durationem, ibidem tempus esse oportet (1).

Undecimum argumentum, ex eadem disputatione in solutione decimi noni dubii. Quod est non generatum, necesse est esse incorruptibile: cum ergo ante generationem mundi possibile fuerit mundum generari, alioquin non fuisset generatus; & talis possibilitas æterna a parte ante, erit quoque æterna in posterum; quare numquam cessare poterit; non cessante autem possibilitate, impossibile est actu mundum esse: cum enim primum mundus actu esset, corrumperetur illa possibilitas: at posuimus illam sempiternam: possibilitas enim alicujus rei desinit esse cum primum illa res actu incipit esse (2).

Duodecimum argumentum, ex eadem disputatione in solutione vigesimi primi dubii. Ante generationem mundi, possibile fuit mundum generari: omnis autem possibilitas fundatur in aliquo subjecto, quod dicitur esse possibile: omni enim agenti respondet patiens, cum sint relativa. Quare sicut possibilitas activa non potest esse nisi in aliquo agente, sic nec possibilitas passiva potest esse nisi in aliquo patiente: & sic necesse est concedere ante generationem mundi, aliquod subjectum fuisse. Confirmatur hoc, quoniam physicus ex iis, quæ sunt nota sibi, judicare debet de iis, quæ sunt ignota; cum igitur in cujuslibet rei generatione videamus, non unum oppositum recipere alterum, vel transmutari in alterum, sed aliud, quod est subjectum utrique, præter rationem est, & contra disciplinam physicam, dicere in generatione mundi non præfuisse aliquod subjectum, sed ipsum *non ens* transmutatum esse in ipsum *ens* (3).

Sol-

(1) Hoc & octavum iis negotium facessunt profecto aliquod, qui tempus rem esse per se constantem & a rebus exsistentibus distinctam opinantur. Qui secus sentiunt, nequeunt non ea ridere.

(2) Hic illud πρὸς τὰς χελιδόνας, *ad hirundines*: quis enim pejus umquam χελιδονίζειν poterit?

(3) Hoc invidiose.

Solvuntur Averrois argumenta.

AD supradictas Averrois rationes, hoc modo breviter respondemus. Ad primum. Si mundo per se deberetur aliquis locus, & si mundus factus fuisset per generationem naturalem, valeret utique argumentum; at nec mundo ut totum quoddam est, debetur per se aliquis locus, sed tantum ratione partium; & mundus est per creationem ex nihilo, nec ante productionem mundi præcessit aliquis locus aptus mundum recipere; possibilitas enim, quæ præcessit creationem mundi, non fuit passiva ex parte subjecti, sed tantum activa ex parte Dei.

Ad 2. Argumentum concluderet, si nos diceremus mundum factum esse per generationem, & motum physicum; at nos dicimus mundum fuisse creatum ex nihilo tunc, quando crearetur præscriptum & determinatum fuerat a Deo ab æterno: talis autem creatio mundi proxime monstrat Deum esse. Nam creare mundum ex nihilo non potest nisi is, qui habeat infinitam vim & potestatem, quique sit summe bonus & sapiens: hunc autem Deum esse, manifestum est apud omnes.

Ad 3. Tale judicium nostrorum sensuum ex duplici causa profectum est; tum quoniam sensibus nostris tantum notæ sunt generationes particularium rerum, productio autem totius entis, & ipsius universi non potest sub sensus nostros cadere: tum etiam quoniam sensus humani tantum judicare possunt de generatione rerum corporearum & sensibilium, productio autem rerum immaterialium sensu comprehendi nequit. Quamobrem oportet, ut intellectus se supra sensus erigens, & generalem totius entis productionem, & specialem rerum immortalium procreationem considerans, agnoscat in iis modum quemdam productionis necessarium esse longe diversum ab eo, quem in generatione rerum particularium, & materialium, sensu percipimus, Neque vero creatio est actio conjuncta cum motu, ut subjecto aliquo, & patiente, & tempore indigeat. Et indigere subjecto ad agendum, excusari non potest, quin multum detrahat omnipotentiæ Dei, & generali efficientiæ, quam habet erga omnes res; tollit enim infinitatem divinæ virtutis; nec patitur Deum esse proprie causam efficientem rerum incorruptibilium.

Ad

Ad 4. Ab æterno Deus decreverat facere mundum, tunc cum factus est; numquam igitur voluntas mutata est in Deo.

Ad 5. Effectus intelligibilis, & voluntarius prodit ab intellectu secundum præscriptionem, & definitionem ejus, & a voluntate secundum ejus determinationem. Unde licet voluntas sit antiqua, ut intellectus, tamen si determinaverint facere aliquid multo tempore post, effectus novus erit, & proficiscetur a voluntate antiqua, secundum suum propositum, propter quod illa voluntas ab antiquo decreverat, ut novus ille effectus aliquo certo tempore exsisteret. Exempli gratia, si ego nunc apud me statuerem, ad hinc duos annos Lauretum ad sacram illam Deiparæ virginis ædem religionis ergo proficisci, illa peregrinatio cum a me post duos annos suscipietur, procedet a voluntate antiqua, quæ id duobus annis ante deliberaverat. Sic etiam Deus ab æterno decrevit facere mundum, qui de novo inciperet, & haberet suæ durationis initium; nihil igitur absurdi est, a voluntate antiqua, & æterna, effectum novum (ea ratione qua expositum est) proficisci.

Ad 6. Valet argumentum de gente, quod operatur ex necessitate naturæ, non autem de eo, quod agit libere, qualem esse Deum supra capite primo multis argumentis ostendimus.

Ad 7. Omne quod fit, in tempore, vel in instanti tempore fieri, locum habet tantummodo in iis, quæ fiunt per motum physicum, & motui circulari, cujus passio tempus est, subjecta sunt. Tempus igitur una cum cœlo productum est per creationem. Creatio autem est actio quædam divina, quæ non mensuratur tempore, vel instanti temporis nostri.

Ad 8. Verum est id, quod argumentatur Averroes, de agente, cujus vel aliqua perfectio, vel aliquod bonum & utilitas in actione ejus aliquo modo consistit; vel quod naturaliter ex necessitate operatur; tale autem agens non est Deus. *Non esse* vero mundi ab æternitate præcessit, non quod potius Deus illud elegerit, *quam esse* mundi, sed quoniam mundus ab æterno esse non poterat, ac ideo necessarium fuit, *ut non esse* mundi ab æterno præcessisset; vel quod si poterat esse, melius erat, ut

de no-

de novo fieret, quam ab æterno, propter eam causam quam supra non semel exposuimus.

Ad 9. Deus sine ulla mutatione sui produxit res novas; denominatur autem creator, vel conservator actu, & de novo, non formaliter & intrinsece, sed propter ipsas creaturas, quæ ante erant potentia, postea sunt actu; antea non erant, postea de novo sunt productæ: tales enim relationes non sunt mutuæ, vel secundum æquiparantiam, sed in creatura sunt realiter, & subjective, in Deo autem secundum rationem, & terminative. Quamvis autem Deus ab æterno habuerit omnes conditiones, quæ requiruntur ad efficiendum mundum, non tamen oportuit mundum ab æterno factum esse: tum quia Deus est agens liberum, non ex necessitate: agens autem liberum, etiam cum omnia requisita ad agendum adsunt, potest non agere; tum etiam, quia fortasse mundus non potuit fieri ab æterno.

Ad 10. Si ante hunc mundum fuisset creatus alius, ille diceretur antiquior ratione temporis; quod fuisset una cum ipso productus; plures enim circulationes in illo mundo confectæ essent, quam in hoc, & plus temporis ibi fluxisset, quam hic. Denique, secundus mundus, licet proprie non fiat in tempore, cum tempus ipsius una cum ipso producatur, & ipsum sit extra tempus prioris mundi; potest tamen dici esse tempore posterior primo mundo, quatenus cum secundus mundus factus est, jam aliquot anni, menses, & horæ denique aliquid temporis præcesserat in priori mundo.

Ad 11. Possibilitas, ut mundus generetur, non erat aliqua potentia physica fundata in subjecto, cum ante generationem mundi, nihil plane exsisteret: sed erat tantum possibilitas ex parte agentis, qui propter virtutem suam infinitam, & a nulla re dependentem; potest ex nihilo res producere.

Ad 12. Argumentum procedit de agente naturali, & finitæ virtutis, & de modo generationis rerum physicarum qui nobis familiaris est; Deum autem cum sit infinita vi præditus, & omnium rerum auctor, non convenit existimare ad agendum egere adminiculo subjecti, seu materiæ; præsertim cum sit quædam actio ipsius propria, quam *creationem* vocamus, sejuncta ab omni motu physico, & nullius indiga subjecti. Quod si omni agenti aliquod pa-

tiens subesse necesse est, erit igitur aliquod patiens, quod a nullo factum erit, ac proinde Deus non erit causa efficiens omnium rerum. Atque hæc quidem de argumentis Averrojis.

Duodecim alia argumenta pro æternitate mundi.

EXponamus deinceps alia duodecim argumenta pro mundi æternitate, non minus, quam omnia superius allata in speciem probabilia; quæ lubuit hic adjungere, tum ne quicquam, quod veritati adversari & officere posse putaretur, nos quasi dissimulantes, consulto taciti præteriisse videremur: tum, quo discussis omnium difficultatum tenebris, illustrior atque jucundior omnibus veritatis esset aspectus.

Primum autem argumentum hoc est. Quod de novo creatur, aut ante potuit fieri, aut non; si non potuit fieri, non poterit igitur creari; si potuit esse, ubinam illa potentia erat? in nihilo non potest esse, nec in subjecto: quia creatio non præsupponit subjectum aliquod. Et confirmatur, quoniam creatio non est ipsa res quæ creatur, neque est Deus qui creat, sed est actio quædam proficiscens a creante, & quæ terminatur ad rem creatam: hanc autem actionem in aliquo subjecto recipi oportet: at hoc repugnat creationi, quæ dicitur esse productio ex nihilo.

Secundum argumentum. Si mundus creatus est ex nihilo, cum ipsum *nihil* sit quoddam indefinitum & indeterminatum, præterea ipse Deus sit indifferens ad producendum quodlibet, non potest assignari ulla verisimilis ratio, cur a Deo potius hoc ens determinatum factum fuerit, quam aliud, & tunc, quam alias. V. g. si producit cælum ex nihilo, cum Deus indifferens sit ad producendum cælum, & quodvis aliud, similiter & ipsum nihil non sit magis determinatum ad productionem cæli, quam alterius entis, cur potius nunc producitur cælum, quam aliud quodlibet ens? vel a quo determinatur talis productio ex nihilo ad ipsum cælum potius, quam ad aliud ens? (1)

Ter-

(1) Non hic leibnitianum rationis sufficientis strenuum patronum agit quisquis duodecim hæc ; alia tela vibrat? Ita sæpe novi sectarum conditores veterum sunt doctrinarum consutores.

Tertium argumentum. Si cælum v. g. de novo productum est, quæro, antequam produceretur, vel poterat produci, & non produci, vel ex necessitate productum est: si prius dicas, sequitur ut cælum sit corruptibile; nam quod ante productionem sui poterat esse, & non esse postquam productum est, adhuc poterit esse, & non esse. Sin autem posterius dixeris, cum talis necessitas non possit esse, nisi ex parte agentis, extra ipsum enim nihil prorsus erat ante generationem mundi; oportebit Deum ex necessitate mundum produxisse. Quod si ex necessitate produxit, cur non ante, seu ab æterno produxit? nisi forte aliquod fuit impedimentum, quod retardavit ipsum.

Quartum argumentum. Aut Deus potuit facere mundum ab æterno, aut non: si potuit, cum Deus & natura ex possibilibus faciant quod melius est; & melius autem sit mundum esse, quam non esse; procuIdubio si potuisset illum facere ab æterno, fecisset: si non potuit facere ab æterno; ergo oportuit, ut æterna quædam duratio præcederet molitionem mundi: at videtur & absurdum, & incredibile, quod Deus per totam æternitatem expectare debuerit, donec potuerit mundum facere; nam si Deus non potest facere mundum ab æterno, faciat igitur *tunc*, cum primum potest facere; & cum illud *tunc* præcesserit æternitas, aut ante illud *tunc* poterat facere mundum, aut non; si non potuit, hoc est incredibile, cur tunc potuerit, & non ante; si potuit, ergo potuit facere mundum antequam potuit.

Quintum argumentum. Si mundus, cujus aliæ partes sunt corruptibiles, aliæ incorruptibiles, de novo factus est, omnes partes ejus incœperunt; quod autem incipit esse, desinit etiam esse; non igitur erunt aliquæ partes mundi incorruptibiles. Ex contrario autem videntur omnes debere esse incorruptibiles; nam quod non est factum ex subjecto, & contrario, id non est corruptibile; sed tales sunt omnes partes mundi, utpote quæ a Deo productæ sunt per creationem; ergo omnes oporteret esse incorruptibiles.

Sextum argumentum. Motus mensuratur tempore; si ergo incœpit esse, vel incœpit in instanti, vel in tempore; fuit igitur tempus ante motum; at tempus non est sine motu. Adde, quod cum tempus sit passio & numerus motus, sicut non datur prima pars, vel primum mu-

tatum esse ipsius motus, ita non dabitur prima pars nec primum instans temporis: quare tempus erit infinitum. Quod si dicas, tempus, & motum concreatum fuisse cum ipso mundo; hoc non potest dici: nam quæ concreantur eadem productione terminantur & efficiuntur; at mundus, vel cælum cœpit esse per primum sui esse, cum sit res permanens, & substantia completa per cretionem producta; motus autem non potuit sic incipere, cum sit ens successivum, non enim potest dari vel prima pars, vel primum mutatum esse motus; ego terminata creatione cæli, nondum erat motus. Quærendum igitur est, quomodo postea productus fuerit motus, & quomodo non ante productionem motus fuerit tempus, cum cælum non modo natura, sed etiam duratione quadam instantanea, motum præcesserit.

Septimum argumentum. Præstantius est non posse non facerebonum, quam posse non facere bonum; sicuti melius est facere bonum, quam non facere bonum; & melius est non posse facere malum, quam posse facere; sed communicare se aliis est bonum, ac divinum quippiam, immo videtur esse proprium summi boni, & inseparabile ab ipso: cum igitur hæc communicatio in molitione mundi consistat, non potuit Deus non facere mundum; quare, vel ab æterno fecit, vel aliquod impedimentum fuit, propter quod non ab æterno fecerit; atqui nullum impedimentum fingi potest, quod Deum retardare potuerit; ergo Deus fecit mundum ab æterno.

Octavum argumentum. Deus semper ac necessario facit, quod melius est: si enim ex duobus oppositis non semper eligeret ac faceret quod melius est, sed interdum quod deterius est, profecto nec esset summe sapiens, nec summe bonus: vel ergo simpliciter melius est mundum esse, quam non esse; vel e contrario, non esse, quam esse. Si melius est mundum non esse, quam esse, numquam ergo mundus potuit, vel debuit fieri a Deo; sin autem melius est mundum esse, quam non esse; ergo Deus necessario (non quidem necessitate coactionis, sed necessitate opposita contingentiæ) fecit mundum. Sicuti ergo non est contingens mundum fieri, vel non fieri; ita non erit contingens mundum de novo fieri, vel ab æterno fieri. Oportet igitur alterutrum horum esse necessarium; sed non fuit necessarium de novo fieri; ergo fuit necessarium ab æterno fieri.

Nonum

Nonum argumentum. Si Deus necessario facit quod melius est; & bonum, quo est diuturnius, eo melius; cum igitur mundum esse, bonum sit, melius utique fuerit ipsum æternum facere, quam novum. Quare sic a Deo factus est.

Decimum argumentum. Si melius est mundum esse, quam non esse, & Deus necessario facit quod melius est, quomodo non est absurdum, dicere mundum de novo factum fuisse? sic enim Deus proposuisset privationem mundi generationi ejus, idest, fecisset non esse mundi æternum, esse autem ejus novum.

Undecimum argumentum. Si mundus de novo factus est; quæro, in tota illa æternitate, quæ præcessit generationem mundi, vel Deus erat imperfectus, & otiosus, quia nihil faciebat; vel æque perfectus, ac modo est; & tunc, vel erat necessarium, utile, & decens mundum esse, vel non. Si igitur in illa æternitate fuit, vel necessarium, vel utile, vel decens, ut mundus esset, oportebat mundum a Deo, qui summe bonus est, in illa æternitate factum esse: si autem tunc non erat necessarium, aut conveniens, aut decens, vel fuit hoc tunc cum conditus est, vel nihil horum fuit; si fuit, quærenda est ratio hujus diversitatis, cur fuerit tunc, & non prius, vel ab æternitate; si nihil horum fuit, ergo frustra mundus factus est; quod enim neque necessarium est fieri, neque utile, neque decens, frustra fit.

Duodecimum argumentum. Cum Deus sit summe bonus, & velit omnia sibi esse quam simillima, præsertim ea quæ immediate procedunt ab ipso; sicuti alias perfectiones communicavit creaturis, credendum est etiam communicasse æternitatem, quæ est una ex perfectionibus divinis; & quemadmodum fecit intelligentias in aliis omnibus rebus ipsi similes: ita etiam fecisse in æternitate. Adde, quod magis apparet excellentia Dei, & infinita virtus ejus, si credatur, & prædicetur, non modo auctor esse rerum caducarum, & mortalium, sed etiam opifex esse immortalium, & sempiternarum; ut non solum possit creaturæ tribuere æternitatem a parte post (ut dicunt Scholastici) sed etiam a parte ante.

Supradictæ rationes dissolvuntur.

VErum ad hæc argumenta non ægrius, quam ad alia, quæ supra refutavimus, responderi potest. Ad primum quidem hoc modo. Quod creatur, antea poterat creari, non ob potentiam passivam alicujus subjecti, nulla enim materia tempore præcessit creationem mundi, quin etiam tota ipsa materia prima creata fuit; sed solum ob potentiam activam agentis, quod antequam crearet, poterat creare. Potentia enim creativa mundi ex omni æternitate fuit in Deo perfectissima (1).

Ad 2. Multitudo, & distinctio earum rerum, quæ a Deo creantur, & determinatio uniuscujusque rei in gradu suo, non fuit orta ex ipso nihilo, nec ex ipso Deo simpliciter; sed ex Deo, prout habet in se ideas, & notiones omnium rerum, secundum quas, & numerum, & magnitudinem, & gradus perfectionis distribuit rebus. Sic est in sacris litteris, Deum omnia fecisse in *numero, pondere, & mensura*.

Ad 3. Mundus poterat produci, & non produci, quia libere productus est a Deo, non tamen idcirco continuo sequitur, ut mundus sit corruptibilis: illud enim axioma (quidquid potest fieri, & non fieri, est corruptibile) verum est de eo, cui convenit talis potentia contradictionis, intrinsece, & propter aliquod essentiale principium ipsius, quod est materia; non valet autem in eo, cui talis potentia non convenit intrinsece, nimirum ex parte agentis, a quo propterea, quod libere, & non necessario productum fuit, antequam produceretur, potuit produci & non produci. Quamvis igitur Deus libere impertiverit esse omnibus rebus, quibusdam tamen largitus est esse perpetuum, ut per se, ac suapte natura a nullo corrumpi possint: aliis autem dedit esse caducum, ac mortale, quo aliquam-

(1) Non hoc erat in quæstione, sed illud potius, ratio, quæ divinam voluntatem permovit, ut mundum creare vellet, æterna, nec ne fuit? Quæ si fuit æterna, quod nihil in divina natura non æternum esse potest, qui potuit per æternitatem opus differre? Cui quæstioni sæpe in superioribus satisfecit Pererius: ego sic censeo, quum natura Dei sit nobis incomprehensibilis, esse debere in scitis rationis humanæ hæc duo, & esse potuisse hujusmodi rationem; & posse esse nobis ignotam; ut quærere sit cum ratione desipere.

aliquando tandem deficiente, ejusmodi res interire oportet. Ergo intrinsece & secundum naturam suam, aliæ res sunt corruptibiles, & aliæ incorruptibiles: quædam contingentes, & quædam aliæ necessariæ: quoniam aliæ materiam & contrarium habent; aliæ vero minime. At res omnes ad Deum relatæ, a quo libere productæ sunt ita, ut potuerit non produci, & libere conservantur ita, ut possint non conservari, nulla est res omnino necessaria & incorruptibilis. Divisio autem rerum in corruptibiles, & incorruptibiles sumitur ex natura ipsarum rerum, non autem ex earum relatione ad Deum.

Ad 4. Non potuit mundus esse ab æterno: quod non arguit impotentiam Dei, sed repugnantiam ex parte creaturæ; posita enim mundi æternitate, permulta consequuntur absurda, quæ partim tetigimus in solutione primi argumenti Procli, partim infra adducemus. Quamvis autem mundus non potuerit fieri ab æterno simpliciter, &, ut quidam ajunt, categorematice, potuit tamen fieri ab æterno syncategorematice, idest quocumque puncto æternitatis vel temporis imaginarii, quod animo fingamus omni æternitati coextitisse, ponatur mundus, fieri potuit ante & ante fieri & in infinitum. Quemadmodum, licet Deus non possit (ut multi putant) producere aliquod infinitum actu, potest tamen producere infinitum hoc modo; quoniam quocumque dato finito, seu in magnitudine, seu in numero, potest Deus facere majus, & majus in infinitum; nec potest dari ullum finitum, quod non possit Deus majus facere. Potentia ergo ad creandum mundum non debet terminari per aliquid citra æternitatem absolute, eo modo ut nunc potuerit, & non ante, sed debet determinari per æternitatem negative, hoc sensu, mundus non potest creari ab æterno simpliciter, sed potest creari ab æterno hoc sensu, quia nihil potest assignari determinate citra æternitatem, ante quod Deus non potuerit mundum creare. Potentia ergo Dei ad creandum mundum nec determinatur per æternitatem, nec per aliquid determinatum citra æternitatem, sed per id quod est citra æternitatem, confuse, ac determinate (1).

 Ad 5.

(1) Quum Averroistarum argumentum totum ethnicis nullumque sensum præseferentibus voculis intertextum sit, nemini esse mirum debet & Pererii responsionem extra spatia mentis vagari. Hæc si quis pensiculare secum cogitet, haud, opinor, gravate ille decreverit,

Ad 5. Necesse fuit ut in prima productione rerum, omnes res ex nihilo producerentur: nihilominus tamen ex iis, quæ tunc producta sunt, alia nacta fuerunt materiam, & contrarium, ex quibus, & per quæ generari, & corrumpi possent: alia vero ab omni materia segregata, & a contrariis libera, immortalem, atque immutabilem naturam sortita sunt. Hinc igitur factum est, ut quamvis in procreatione mundi omnes res simili productionis modo extiterint, tamen propter diversas naturas, quas in illa creatione acceperunt, aliæ res fuerint corruptibiles, aliæ vero incorruptibiles.

Ad *6*. Non datur primum instans temporis, sicut non datur primum *mutatum esse* motus circularis. De motu autem, cum non sit res permanens, nec a mobili vel termino *ad quem* distincta, non recte quæritur quomodo producatur, per creationem ne, an per generationem: non enim motus per motum producitur, nec est motus ad motum, ut in 5. phys. Aristoteles demonstrat. Cælum autem cum secundum substantiam mensuretur æternitate, vel ævo, non potest recte dici esse prius motu circulari, vel tempore, vel instanti temporis, sed quadam dura-

verit, veteres philosophias ad hominum mentes constupefaciendas, aut repertas callide, aut astute altas: profecto, numquam ab ejusscemodi rerum librorumque lectione discedimus, nisi tota mente attoniti, ut sæpe simus uspiam, nec ne, dubitemus. Qui totam ætatem in iis latumiis contabefecerunt, eos nunc miramur, ac commiseramur. Sed quantos seri nostri nepotes cachinnos tollent, quum aut forte fortuna e veteri promtum historia legent, aut commemoratum audient, & quam nos patresque nostri desipuerimus per tota secula, & quot quantaque, quæ ratio refugit, velut ὑρανοθεν, ac ex tripode Apollinea accepta, crediderimus, aluerimusque? Quid vero, quum cognoscent, quot quantasque pro iis pugnas peregerimus? At ita cum terræ incolis comparatum est: nam nec ab agresti ruvidaque vita in hanc luxuriem mollitudinemque venire, nisi gradatim, potuimus; nec a veteri stupore, ignorantiæque tenebris in *lucida tela diei*, nisi cum umbris ac manibus velut tartareis luctando. Enimvero quis, quin horrescat, memoret quanta nos illuvie Scythæ (hominesne dicam, an feras?) infuscaverint, quantumque in oblivionis gurgitem abripuerint? Inde emergere opus erat. Ac differenabat jam: quum hæc Arabum, Maurorumque pestis incessit, qui verborum, argutiarumque fuligine ob oculos audientium jacta, sanctissimæ disciplinæ nomen ementirentur. Jubeamus igitur hæc valere: ne si iis insenescamus stulti, illud non quispiam, quod Epictetus olim juvenem impendio loquaciorem, acerbe roget,

Ε'πε μοι περι αγαθων και κακων, ἀκουεις;

De bonis cedo & malis, audisne?

duratione indivisibili ipsius ævi, cui responderet instans in tempore, si ponamus cælum immediate postquam fuit creatum, moveri cœpisse.

Ad 7. Deus necessario facit bonum, hoc sensu, quod quidquid Deus facit, necessario bonum est; nulla tamen necessitate astringitur Deus, ut hoc, vel illud bonum faciat. Cum enim libere agere sit perfectio quædam in homine, non ea est removenda a Deo, præsertim in iis operationibus, quæ sunt extra ipsum, in quorum effectione non consistit perfectio Dei. Deus igitur necessario facit bonum; quoniam quod ab eo fit, necessario bonum est, non tamen, necessario facit bonum, ut necessarium sit ipsum facere hoc vel illud: si enim fit a Deo, hoc ipso bonum est, & hoc ipso est melius esse, quam non esse, præcipue tunc quando fit: sin autem a Deo non fit, hoc ipso melius est non fieri, tunc præcipue. Atque hinc patet etiam octavi argumenti solutio.

Ad 9. Melius est æternum esse, quam non æternum, simpliciter loquendo; sed non est melius mundo, quia repugnat naturæ ipsius, ut coæternus sit Deo. Sicut esse incorporeum simpliciter melius est, quam esse corporeum: sed non est id melius homini, cujus naturæ repugnat, ipsum esse incorporeum. Vel aliter responderi potest, non esse melius mundo, ut is sit æternus ratione finis, propter quam a Deo fuit conditus, nimirum ut ex eo Dei infinita potestas, atque majestas ab hominibus cognosceretur, quæ facilius, clarius, certiusque ex nova mundi conditione, quam ex ejus æternitate cognoscuntur.

Ad 10. Quamvis ipsi mundo melius sit esse, quam non esse; tamen Deo neque melius est, neque deterius est mundum facere, vel non facere; quia mundi effectio nihil Dei perfectionem attingit.

Ad 11. Ut mundus in æternitate coexsisteret Deo, impossibile fuit: vel certe non decuit: ut autem aliquando fieret, existimare decet fuisse quidem conveniens, quandoquidem a Deo factus est; non tamen fuisse necessarium, ut non potuerit non fieri.

Ad 12. Communicavit quidem Deus creaturis eas perfectiones, quas conditio creaturæ ferebat, eas vero quæ superant statum & conditionem creaturæ, nec debuit, nec potuit communicare: neque enim fieri potest, ut creatura sit vel infinita virtute prædita, vel incaussata, & inde-

independens, ac (ut quidam putant) vel Deo coæterna. Non est autem Deus auctor tantummodo rerum caducarum, sed etiam immortalium, & perpetuarum. Quod autem non possit facere sibi res coæternas, hoc manifestissime indicat summam excellentiam Dei, cui nulla creatura, aut in essentia & perfectione, aut in virtute & actione, aut in vita & duratione, par & æqualis esse potest.

Atque hæc quidem sint contra Peripateticos & nonnullos Platonicos, qui pro æternitate mundi, quasi pro aris & focis, ipsoque capite, acerrime dimicant, eamque pugnaciter & mordicus defendunt, disputata. Non enim eorum tela, quibus veritatem petebant, hebetavimus, fregimus, fecimusque, ut ea nihil plane veritati possent officere.

CONCLUSIO

HÆc Pererius adversus æternitatis mundi patronos. Debueram ego plurima in utrisque delere, quæ recentibus philosophis nauseam, risumve creare possunt: sed id fieri non poterat, nisi tota superiori disputatione recusa, ac in succum ex præsentis philosophiæ genio & notionibus conversa: quod quare noluerimus, sub illius initium diximus. Quamquam ego sic habeo, subtilitates hujusmodi dialecticas, a quibus jampridem abhorremus, ac jure abhorremus, non esse illas quidem toto pectore, velut conditissimos cibos, exhauriendas: sed interdum tamen, veluti sinapi ad embammata idonea, degustandas: sapidiora enim hinc nostra sunt & jucundiora. Illud hinc constet, nihil nisi mera sophismata æternitatis mundani operis advocatos protulisse, viros autem inprimis acutos & disertos, quod nostra interest. Nam qui iis nuper accessere, nihil fere novi attulerunt, sed veterem illam crambem recoxerunt, novisque tantum condimentis exornarunt, veteribus dialecticis arte & ingenio impares.

Miretur autem fortasse aliquis, quæ causa tot insignes Græcos, Latinos, Arabes, Sinenses philosophos in tam audacem opinionem impellere potuerint, aut æternum esse hunc mundum crediderint, aut ab æterno genitum. Ego potius miror, cur non omnes eo iverint. Nam, si quod sentio dicere licet, sic arbitror, neminem, ne hodie quidem, futurum philosophorum, qui non ita decerneret, nisi divina revelationis

fax

fax nos illuminaret, ab eaque absurditate retraheret. Christianæ certe fidei hoc acceptum refero beneficium, ut heri, aut nudius tertius mundum cœpisse nobis persuaserimus. Valuit profecto & aliquid ratio: sed illius adjuta, nihil sine illa valitura, quod sanis tot nationum exempla ostendunt. Qua quum Græci illi veteres Latinique destituti fuerint, sintque hodie Indi ac Sinenses, nec multum curaverint Arabes; nemini deinceps mirum esse jubeo, tamdiu ac tot in id consensisse. Causas autem ejus sententiæ duas præcipuas esse puto: prima exiguitas hujus animantis, quem hominem nominamus, immensitas vero universi: altera primæ causæ, idest Dei, natura ac vis. Principio tantillum animal, quid aliud augustius de re tam magna, quam nobis mundus videtur, censuisset? Nullos mundano spatio fines dare confidimus: nullos dedimus tempori. Præterea nihil in cælo ac stellis umquam mutari aut vidimus ipsi, aut fando audivimus. Rem & infinitam, ut opinamur, & tam constantem, principio ac fine carere quasi sensimus. Hæc prima erroris causa, provecta animi temeritas. Sed & Dei natura pari temeritate tentata plurimos in eam rem aut firmavit, aut adduxit. Non posse esse Deum nisi stabilem constantemque mentem, eadem semper volentem, eadem nolentem, prima est ac quasi insita hominibus notio. Jam vero & perpetuo bonum, ac beneficum omnes prædicant quicumque ejus intelligentes sunt. Hæc Pythagoreos, Platonicos, Peripateticos, Arabes permoverunt, ut ab æterno esse mundum genitum existimarent. Ac vero si Origenem, christianum hominem, divinarumque Scripturarum scientissimum, commovere potuerunt, ut audacter decerneret, non licuisse tanto ac tam bono numini per æternitatem esse otiosum, ecquis præterea mirabitur paganorum mentes impulisse? Equidem non dubito, vitare hac philosophos potuisse, si minus sua voluissent esse rationis præsidentes: sed hoc plerique omnes præcipimus facilius, quam servamus. Ea est ingenii humani superbia, ut quum nota ac in medio posita spernamus, nihil libentius sapere velimus, quam impervia ac ignota. Quid si in hac causa utrique peccemus idem? philosophi, inquam: nam aliud profecto est de ratione disputare, in re angustissimis coercemur spatiis: aliud de divinis oraculis cœlestes veritates in pectus concedere, quod infinitum patere potest.

Priusquam vero manum de tabula tollam, succurrunt animo duo reliqua argumenta, quibus ego [illegible] pro æternitate mun-

mundi pugnare in iis libellis legi, qui quotidie cuduntur, eorumque autem, quos satis mortalis conditionis pœnitere constat. Primum est hujusmodi. Aut successio est in æternitate aliqua, aut nulla. Si est aliqua, numquam æternitas præterfluet; ita ne originem quidem ullam habere mundus potuit; nam hæc origo terminus præteritæ æternitatis esse debuit. At si nulla est, punctum individuum tota est æternitas: mundus ergo individuo puncto posterior est æternitate; nihilo igitur distat; coæternus ergo est æternitati.

Magnifacere hoc argumentum vir egregii alioquin ingenii videtur, Bolingbrokius: ita scilicet sæpe turpiter minuti ac pauxilli sunt ii, quos magnos vocamus. Enimvero si quid valet, conficiam, aut me coæternum esse æternitati, aut non esse. Nam seu genitus sit mundus, seu per se sit, est profecto aliquid sempiternum. Id si puncto me præcessit, coæternus sum æternitati: si successione venit, nullus esse ejus terminus potuit; non igitur sum. Non me censoris ab judice dati egere putas? Non? Videsis ne egeas ipse. Seu ergo est in æternitate successio, potest ita esse infinita, ut lineæ ex una tantum parte interminatæ: alterius igitur terminus aliquis concipi potest. Seu non est, tumque tota æternitas punctum quidem est: sed hoc punctum est id, quod æternitatem dicimus: quo quum sit mundus posterior, semper æternitate æternitas præcedit mundum. Non vident totum laqueum ambiguis vocibus chimericisque notionibus esse intertextum?

Bælius (1) quum hæc cribraret, existimavit totam hujus sophismatis vim inde peti, quod ad originem temporis, seu successivæ durationis, non satis animum philosophi adverterint. Dei exsistentia necessaria est, ac tota simul; nulla est ergo in ea successio. Quum ergo dicimus, æternitatem præcedere mundi initium, est idem, ac si dicamus, Deum, mundi causam, opus suum præcedere. Quumque tota Dei exsistentia simul sit, tota sua exsistentia, duratione, æternitate, prævertit. Interim in Dei rerum possibilium ideis, æternis illis quidem, perque se exsistentibus, res, quæ successive exsistant, exhibentur. In hac ideali possibiilum rerum successione origo prima & ratio temporis comprehenditur. Eæ res quum a Deo creantur, ab æternitate quidem Dei puncto distant, idest Dei exsistentia a Deo distant: sed in earum æter-

(1) Dictionaire historique & critique art. Zabarella Remarq. H.

na ac ideali essentia æternitatem habent successivam, quandocumque exsistere incipiant (1).*Ego hæc eodem revolvi puto.Sed si qui sunt; cui hæc plus placeant, illis ego ut utantur jubeo.*

Alterum jam argumentum recentes æternitatis mundi patroni, ut hodie plus physica scire amamus, quam cum metaphysicis in ignotis mundis vagari, sic adornant. Viginti retro sæcula erat jam in orbe tum cognito ea incolentium multitudo, quæ hodie. Sinæ, Tartaria, India, Arabia, Persis, Ægyptus, Æthiopia, totaque ora Septemtrionalis Africæ; tum Russia, Svecia, Germania, Gallia, Britannia, Hispania, Italia, Græcia ait habitatæ erant, ut hodie. Docent id veteres historiæ monumentaque. Ac sunt, qui tantum abest, ut ea de re dubitent, ut frequentius habitatum veterem illum orbem fuisse opinantur (2). *Certe nemo hæc in dubium vocaverit, cui vel levis fuerit antiquarum rerum notitia. Viginti igitur sæculis eo statu, homines quod attinet, fuit tellus, quo hodie. Quid si triginta jam sæculis idipsum obtinuisse dicamus! Nam id res a Sesostri Ægyptio, Madya Scytha, Cyro Medo gestæ, Homeri po emata, veteres Ægyptiorum, ac Persarum traditiones, Sinici annales in dubium vocare nos vetant. Triginta ergo sæculis nihilo hominum genus crevit; ergo ne sexaginta quidem. Enimvero quid causæ fuisse dicemus, cur tam per tria priora triginta sæcula ad miraculum usque creverit, repente vero, velut objecto a natura obice, constiterit? Barbaries, inhumanitas, imperitia, mutuæ cædes, quibus vastari tellurem scimus, eo graviora esse debuerunt, quo primis incultisque originibus gentes fuere proximiores. Ita fit, ut historia hominis physica prohibeat nobis persuadere sexaginta ante sæcula minorem in terris fuisse hominum numerum, quam qui hodie est: ut Sinensium, Chaldæorum, Ægyptiorum traditiones mendacii accusari non videantur posse, nisi tota hujus animalis, hominis inquam, natura pervertatur* (3). *Quod si con-*

(1) C'est dans les idées de Dieu que se trouve la vraie mésure de la quantité absolue des choses, tant' à l'égard de l'étendue, qu' à l'egard du tems.

(2) Vide *le nombre des Hommes*.

(3) Nisi si quis eo stultitiæ inscitiæque venerit, ut cum Lucretio Caro perridicule desipiat, sibique omni invita ratione persuadeat, initio rerum Terram, tamquam rudem scilicet & imperitam, non statim perfecta, & omnibus suis partibus ac numeris absoluta animalia creasse; sed primum multa potentia, alia sine capite, alia sine ore, alia sine manibus &c. Quæ quum neque adolescere [illegible] neque prolem ullam gigne-

si concessum fuerit, hoc tempus duplicabimus, haud minori ratione: idipsum scilicet conficiemus de 120. retro saeculis: aut nisi id concedatur, necesse est dicatur, cur triginta ante saeculis crescere desierimus. Quis autem, inquiunt, non videt, ad aeternitatem telluris id pertinere?

His ego binis verbis responderi posse confido: nam triginta retro saeculis plures cultas nunc telluris partes, aut penitus incultas fuisse, aut rarius habitatas, quam hodie sunt, & iidem historici docent, quibus hanc argumentationem conficiunt, & veteris mundi vitam artesque satis ostendunt (1). *Quam*

gignere potuerint, generibus augendis diu minus idonea fuisse. Ita necessum fuisse ut passim diu habitaretur, non confertim, quod postea, meliora parente edocta, accidit.

Multaque tum tellus etiam portenta creare
Conata est, miro facie, membrisque coorta,
Orba pedum partim, manuum viduata vicissim,
Muta, sine ore etiam, sine voltu caeca reperta,
Vinctaque membrorum per totum corpus adhaesu:
Nec facere ut possent quidquam; nec cedere quoquam,
Nec vitare malum, nec sumere quod foret usus.
Caetera de genere hoc monstra ac portenta creabat
Nequicquam: quoniam natura absterruit auctum.
Nec potuere cupitum aetatis tangere florem,
Nec reperire cibum, nec jungi per veneris res.

Quo deliramento ecquid esse potest delirius? *Vereor* (nam Lactantii hic verba de Opif. Dei cap. 6. lubens usurpo) *ne hujusmodi portenta & ridicula refutare, non minus ineptum esse videatur*, quam fingere. Quae si, non inquam de hominibus, aut brutis, in quorum machinamentis tanta elucet solertia, sed de plantis, qui hodie dixerit, jure totius physicae imperitissimus habeatur.

(1) Vide Bayerum in commentariis Academiae Petropolitanae. Profecto quid illud fuisse dicemus, ut nulla fuerit antiquitus gens, quae se non αυτοχθονας, *indigenam* crediderit? Est ea veterum omnium nationum perpetua constansque traditio, nullis se aliis sui originem debere praeterquam γεναρχαις, & πρωτογονοις, qui scilicet eo in loco, atque e tellure nati essent, quem locum incolerent, primique essent ejus regioni mortalium. Id & Romani veteres tradebant. Livius lib. 1. Dionys. Alic. lib. 1. Sallustius, Virgilius, Lucretius &c., & Graeci, Thucydides initio, Diodorus Siculus, Plutarchus, ac Pausanias saepe: ac reliquae vetustae gentes, quod Herodotus testatur. Idipsum hodie memorant Tartari, populique ad Septemtriones pertinentes, ut D'Herbelot Bibl. Or. saepe scribit. Ea Americanarum gentium fama, (vide Lafiteau les Moeurs des Sauvages) ac interioris Africae. Primi, inquit aliquis, nationum auctores, glifcente sobolis barbarie, facile sequentibus aetatibus memoria exciderunt. Quid aliud silvestres gentes, omnisque antiquitatis imperitae, de sui initiis crederent? Hoc ego non satis probare soleo: nam eaedem gentes non ignorant, exoticas olim ad se colonias advenisse, cumque indigenis mistas. Veteres Romani autochthonas se commemorabant: nec tamen ignorabant Pelasgos, Phrigas, aliasque orien-

Quam parum frequenter antiquissimis temporibus habitaretur in Græcia atque Italia (quarum regionum memoriæ extstant adhuc) Herodotus, Thucydides, Diodorus Siculus, Dionysius Alicarnassensis, Livius, omnesque adeo historici ac poetæ tradent. Artes apud plerosque venatio, pastoritia: apud nonnullos agricultura. Hinc vetustis Græcis μηλα *&* *oves & peculium significavit, ut apud Latinos* pecunia: *quod animantia prima fuerint totumque antiquarum gentium patrimonium. Agricultura cum fundorum divisione serius venit, seriusque cum ea humanitas. Hinc primæ civiles leges* νομοι *Græcis*, *a* νεμω *videlicet*, possideo, tribuo, *quia tunc primum sua singulis attributa agrorum portione. Hinc apud Romanos omnium vetustissimæ agrariæ leges. Idipsum alibi factitatum per Asiam, Africamque memoria proditum est. Eccui autem ignotum esse potest, nationes pastores omnium esse, si agrestes excipias, infrequentissimas? Id & Americæ gentes probant, & Tartari in primis, quos Cæsaris ac Pompei ævo raros, sparsosque fuisse demonstrat Bayerus idem. Agricultura igitur posterior est: satis id ostendunt Siberii, Canadenses, Huttentotti, adhuc silvestres, nec, nisi venatores, aut pastores. Ea pluribus proculdubio familiis alendis sufficit: hinc eæ gentes copiosiores, apud quas agrariæ artes vigent. Nec tamen hæ cum illis comparandæ, quæ & commercia quoque terra marique agitant: quæ tamen novissima sunt. Itaque naturæ ipsius calculo constat, non potuisse tellurem rudibus nationum initiis tam esse hominum frequentem, quam deinceps paullatim ac per gradus evasit. Quid, inquiunt, causæ extitit, cur cessaverimus crescere? Ea nempe, quæ:*

orientis gentes Italia habitatum venisse. Græci item indigenis habitatam Græciam nihil dubitebant: nec tamen Ægyptiarum, Pœnicum, Phrigum coloniarum erant inscii.

Qui animadvertunt, omnes illos vetustissimos nationum indigenas agrestes exhiberi,

Genus indocile & sparsum montibus altis,

ut noster ait Virgilius, χωριδος, ut scribit Dionysius Halicarnassensis, και σποραδην, *vicatim, passimque habitantes* επι τοις ορεσιν in montibus; hi, inquam, Burneti hypothesim admodum similem vero existimant: fracta videlicet diluvio Noetico tellure, raros hic illic mortales superfuisse, eosque primos mox extitisse humani generis auctores. Sed, hæc ut alias demonstravimus, respuit divina historia. Nam quod Siculus Diodorus lib. I. retulit, existimavisse Ægyptios, humida adhuc tellure, ac pridem e Chao emersa, animantia bruta hominesque undique erupisse, anicularum sinamus esse otia. Porro locus Dionysii est lib. I. (οι aborigenes) το μεν προτερον επι τοις ορεσιν ωκυν ανευ τειχων, κωμηδον και σποραδην,

qua efficitur, ut ne ager quidem ulla cultura perpetuo feracior evadere possit. Genus humanum cum artibus nutrientibus crevit. Hæ quum ad summum venere aut stant, aut retrocedunt. Ita fit ut & prolificatio aut consistat, aut relabatur. Italia, florente jam ante XV. sæculum commercio, atque omnigenis artibus, majorem familiarum hominumque numerum alebat; minorem Britannia, Gallia, Batavia: his artibus debilitatis, atque ultra alpes oceanumque fugatis, decrevimus illis in dies augescentibus. Sinæ jam a pluribus sæculis intra eumdem mortalium numerum constitere; quia ne artes quidem ac commercium ulterius provecta. Quam ergo falsa sit hujus argumentationis positio, ne conclusio quidem, nisi imaginationis ludibrium esse potest.

Dicere quoque solent, frequentia veterum coloniarum ostendi, quam copiosum olim fuerit hominum genus. Ego sic habeo, frequentiam veterum coloniarum tantum abesse, ut argumento sit, frequentius olim tellurem habitatam fuisse, ut nihil potius facere existimem manifestius, quam rari id temporis fuerint in terra mortales: idque duplici ex causa. Primum quod non facile terras invenissent, easque occupassent nisi internecino fere bello, si ubique terrarum æque frequens hominum fuisset gegenus. At vetustissimæ coloniæ magna ex parte pacificæ fuere.

Deinde qui factum dicemus, ut antiquis Ægyptiis, Phœniciis, Græcis, Tartaris suæ regiones non fuerint ad habitandum satis, quum hodie, frequentissimis urbibus, satis superque sint? Neque quia pastores, ac aborigines vagantes nempe, σποράδην, veteres plerique omnes fuere populi. At nulla professio majora terrarum spatia poscit. Inde antiquis tam crebræ coloniæ. Secunda ætate Agricultura venit: hæc majorem mortalium, ut dixi, numerum alere potest. Itaque paullatim imminutæ fuere coloniæ. Tertia postremo ætate extitit commercium, ac luxuries, luxusque artes. Hæc ingentes urbes pascunt. Huttentotti vicatim, ac sparsi vivunt, nullaque alia re subsistunt, nisi pastoritiis artibus: pauci ergo immensa habent terrarum spatia. Tartari utrumque faciunt: nam & greges atque copiosa armenta nutriunt, & terras excolunt. Itaque sunt copiosiores. Batavi, Angli, Galli, nisi artes ceteras commerciaque facerent, haud quarta essent tanti hominum numeri pars, quanto sunt hodie.

Quibus ex rebus intelligetur & qui tot colonias, tamque frequentes veteres deduxerint; & ex his rarius, quam nunc est, habitatam olim fuisse tellurem.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE NATURA DEI.

§. 1. NIHIL est ex quo animadvertere non liceat esse Deum, opificem videlicet rerum omnium ac moderatorem servatoremque. Nam seu nationum, quæ utrumque telluris hemisphærium incolunt, mirificum hac in re consensum percurramus, intelligimus quamdam esse naturæ vocem, quæ profecto falli nequit: seu intueamur motiones mundanas, earumque ordinem constantissimum, statimque se nobis offert æternus quidam sapientissimæ mentis motor gubernatorque: seu rerum perpendamus generationes, vegetationes, sensum, mentem, & persentiscimus haud dubium, fieri non posse, quin sit prima quædam causa, quæ vim, animam, mentem universi partibus largiatur tueaturque; seu tandem singularem rerum mirabilem prorsus structuram, ac infinitarum prope dixerim partium ordines, finesque contemplemur; planeque deprehendimus supremæ cujusdam mentis providentia & consilio esse omnia conformata. Perspecte ergo Tertullianus (a), *habet*, inquit, *Deus testimonia totum hoc quod sumus, & in quo sumus*. Sed hæc argumenta quæ in elementis velut in transitu indigitata sunt, accuratius uberiusque hic retractare cupido est (1).

Consensus omnium gentium Deum esse demonstrat.

§. 2. AC quod spectat ad primum, præclare illud exhibuit Cudworthus cap. IV. systematis intellectualis. Est autem ejusmodi. Omnes gentes ab homi-

(a) *Lib.* I. *contra Marcionem cap.* I.

(1) Vide Sylvanum. Regis *Usage de la raison, & de la foi* lib. 2. part. 1. cap. 7. Petavium de Deo, Cudwortum cap. IV. system. intellect. Samuelem Clarkium in opere *de exsistentia & attributis Dei*, Derham. in Theologia physica, Niewentitium de exsistentia & attributis Dei &c. J quelantium &c.

num memoria, ac quacumque patet terra, aliquem esse rerum omnium opificem ac patrem, & olim constantissime tenuerunt, & nunc tenent. Ejus consensionis testes sunt apud veteres Homerus in utroque poemate, Plato (*a*), Aristoteles (*b*), Cicero (*c*), Diodorus Siculus (*d*), Seneca (*e*), Sextus Empyricus (*f*), Dio Chrysostomus (*g*). Quod pertinet ad præsentes nationes, testatissimum id faciunt ii omnes, qui de præsente rerum humanarum statu scripserunt, testes magna ex parte oculati ac docti. Quoniam igitur omnibus locis, atque omnibus temporibus supremum aliquod in natura numen creditum est, id habeat causam universalem necesse est: quæ non potest esse alia, nisi aut primi alicujus hominis traditio, aut manifesta naturæ vox. *Nam nemo omnes: omnes neminem: singuli singulos fallunt*, inquit peracute Seneca. Itaque hoc argumentum non est, quemadmodum censent Parckerus, & Bælius, contemnendum. Nam seu dicamus ex uno communi fonte eam doctrinam derivatam esse, idest a primo quodam generis humani parente ac propagatore; & est argumentum certissimum, cœpisse aliquando homines, ac proinde originem hunc mundum habere; quod esse nequit, nisi a potentissima aliqua & intelligentissima causa: seu depromtam eam esse ex adspectu mundi, argumentumque idem est perspicuum, Deum esse: quod enim clare evidenterque omnibus videtur, non potest id non esse, quod videtur. Quoniam ergo tam longe lateque diffusæ consensionis æque patens causa sit necesse est; nec alia esse possit præter eas, quas recensuimus; earum vero altera posita, Deum esse necessario conficitur; Deum esse perspicuum est.

§. 3. Duo adversus hoc argumentum post Ciceronem (*h*) opponunt recentes quoque athei, aut potius qui stulte athei videri volunt. Primum, complures fuisse apud vete-

(a) *De legibus lib.* x.
(b) *De cælo lib.* 2. *cap.* 3.
(c) *Lib.* 1. *de nat. deor.*
(d) *Lib.* 12.
(e) *Epist.* 117.
(f) *In lib.* 8. *adversus mathematicos.*
(g) *Orat.* 12.
(h) *Lib.* 1. *de nat. deor.*

veteres, pluresque esse hodie nationes, quæ in maxima Dei ignoratione aut vixerint, aut etiamnum vivant. Cyclopas in atheis habet Homerus. Polyphemus odyssea IX. v. 275.

Ου γαρ κυκλωπες Διος αιγιοχυ αλεγυσιν,
Ου δε θεων μακαρων. επει πολυ φερτεροι ειμεν.
Non enim Cyclopes jovem ægiochum curant,
Neque deos beatos; quoniam multo præstantiores sumus.

Atheos appellat Strabo Geographus Ethiopes quosdam, Callaicos Hispaniæ populos, & antiquos Seres. Confidentius Eusebius Cæsariensi in prioribus Præparationis Evangelicæ libris contendit, præter solem, lunam, astra, homines, aliasque naturæ corporeæ partes, nullum præterea aliud numen gentes ad unam usque ante natum Christum agnovisse, Hebræis exceptis. Idem Clemens Alexandrinus: idem Lactantius. Quid plura? Veterum Christianorum una vox est, veræ Deitatis cognitionem per Christum gentibus propalatam fuisse. Accedit eodem, quod vetustæ ferme omnes gentes plura numina æqualia coluerint, ut si superius argumentum quidquam valet, conficiatur etiam plures esse deos. Jam nostris temporibus, Caffri incolæ capitis bonæ spei, & Huttentotti, populi quidam Borni, Canadensium plerique, atque omnes ad unum ferini Americani, deos ignorant, quod ipse agnoscit eruditus Huetius (1): qui præterea

(1) Lib. 2. quæst. Alnetanarum cap. 1. *Bolingbroke Essay the fourth section* XVI. initio. *The professors of it* (ethnicismi) *and the people in general, had acknowledged a divine nature; wich was human nature under a different name, and pla ced in a different habitation. Their divinities, from Momus the son of night, as to Jupiter the father of gods and men, were in truth celestial and immortal men, endued with more knowledge, and with more an greater powers; but with all these after the manner of men, and divested neither of human passions nor of human vices.* Nec vero, quum vetera omnia monumenta conraseris, est aliud, quod inde conficias. Homeri, Hesiodi, Æschyli, Euripidis, Sophoclis: Herodoti, Thucydidis, Xenophontis: tum Latinorum, Ennii, Plauti, Virgilii, Ovidii, Horatii, Livii, quos memorant cultos adoratosque, fuere aliud, quam homines paullo excellentiore natura. Omnes natos mortuosque, eorumque sepulchra nemini ignota, demonstraverat Evhemerus. Callimachus postquam dixisset, velle se canere Jovem, quem θεον αυτον, Deum ipsum, emphatice vocat, & αει μεγαν, αιεν α ακτα, *semper magnum, semper regem*, atque δικασπολον ουρανιδησι, *jura dantem cælitibus* (hymno in Jovem); false astuteque *dubitare dicit, Dictæum ne canat, an Lycæum, quando patria controversa sit; nam alii Idæis in montibus* Deum hominumque patrem

quum in Demonstratione Evangelica omnes deos deasque quacumque vagatur Tellus ex Mose & Sephora expressos fuisse demonstrare nititur, eadem opera humanum esse callidumque commentum deorum opinionem ostendere videtur. Americus Vespucius (1) de Americanis quibusdam sic scripsit, *exleges sunt, ab jure extorres: templa nec habent, minusque idola colunt*. (2) Georgius Hornius horrenda hæc habet: *In Valle Nova, quæ Popajanam adsita est, capiunt hostium suorum fœminas, & prolis causa domi alunt, quam vix editam devorant ..... Hæc jam exempla omnem barbariem exhauserunt. Tamen restant alii juxta Ilheos in Brasilia, quos tum describam, ubi supra immanitatem vox reperta fuerit. Hi cum Aymuris bellum gerunt. Prægnantium ventres aperiunt, ac immaturos fœtus extractos, statim, spectantibus parentibus, semicrudos & semivivos deglutiunt*. Hos Deum vel suspicari credemus? Sed sunt ejusdem generis alii, quos viatores sæpe memorant. Regiones ferme omnes hyperboreæ, Tartari, ac Samojedæ, & Lapones, qui glacialem oceanum spectant: tum Groelandi, ac projecti ad Caurum Canadenses, tam religionis intelligentes videntur, quam belluæ. Vide Buffoni (hist. nat. tom. VI. edit. in 8.) historiam humani generis physicam.

§. 4. Alterum, quod eidem argumento reponunt, est quod multi fuerint philosophi, non in Græcia modo, ac Latio; sed inter ipsos Christianos, tum & inter Muhammedanos, qui Atheismum pertinaciter professi sunt, quorum

trem natum, *alii in Arcadia vulgavere*. Tum multo etiam falsius rogat, *ποτεροι, πατερ, εψευισαντο; utri pater, mentiuntur?* Sed & Jovis patrem, matremque, omnemque adeo prosapiam ad fastidium usque enarrat in Theogonia Hesiodus. Quum igitur ab Urano, Chrono, Jove tota illa Græcorum Latinorumque deorum prima turba fit, quid de minoribus decernemus? In eodem cœno cubabant Ægyptii totius hujuscemodi fœditatis parentes. Græca igitur, inquiunt, Latinaque traditio, quod ad hanc quæstionem, quæ est in manibus, pertinet, non solum huic argumento præsidio esse nequit, sed totam pervertit argumenti vim. Hæc depravasse Poetas ait Plato, differitque apud Tullium in II. de nat. deor. Balbus. Quod si quis persuadeat, is primum e canone paganorum theologorum vetustos poetas deleat oportet: tum doceat, aliud in templis coluisse gentes, aliud in compitis, ac theatris cecinisse poetas.

(1) Apud Rainaldum in annal. lib. ecclesiast. ad annum 1510.

(2) In Hist. Universali pag. 462. edit. 1666. Lugduno-Batav.

rum historiam collegerunt Samuel Parckerus disput. I. de Deo, Buddeus cap. I. de Atheismo & superstitione, & recentissime Reimannus *in historia Atheismi*. Hinc efficere sibi videntur, verum non esse principium illud, quo tota superior argumentatio nitebatur, consensione omnium gentium, Deum esse, firmari. Addunt, notitiam Dei proficisci potuisse, aut ab astutia tyrannideque legumlatorum, quo in obsequia populos continerent; aut ex timore phænomenorum cæli aerisque. Ita Horatius (*a*),

Parcus deorum cultor & infrequens,
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro, nunc retrorsum,
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos: namque Diespiter
Igne corusco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum.

Et Petronius Arbiter in Satyrico,

Primus in orbe deos fecit timor, ardua celo
Fulmina quum caderent . . . . .

Quid, quod Joannes Baptista Vicus in *Scientia nova* primám in gentibus Dei notionem e tonitru natam opinatur? Plato in Cratylo ab Astris ingenitam humanis animis deorum notitiam contendit disputatque: nam quum solem, lunam, ceteraque astra perenni cursu sese agitare cernerent, esse in iis aliquid eminentis suspicari cœperunt. θεὸν igitur dictum existimat aut a θεάσθαι, *spectare* aut a θεῖν, *currere*. At nubes, cælumque ipsum pluens Jovem esse, ex Socratis sententia disputat Aristophanes in *nubibus*, totamque Græcam religionem deridet. Jam veteres populos agrestes non alios habuisse deos, quam primos reges, coloniarumque ductores, disserunt apud Sextum Empiricum alii (*b*). Cicero I. de nat. deor. *Quid! qui aut fortes & claros aut potentes viros tradunt post mortem ad deos pervenisse, eosque esse ipsos, quos nos colere, precari, venerari, soleamus, nonne expertes sunt religionum omnium?* At enim: aliam ab his diis divinitatem agnovere populi ac philosophi: mundi scilicet mentem: eamdem effectricem, ac servatricem omnium. Quam vero? Vim nempe insitam materiæ. Stoicis, Græcorum omnium acu-

(a) *Lib.* I. *Ode* 34. (b) *Lib.* IX. *adv. Math.* I. *c.* 2.

acutissimis, Deus, mens mundi, pronoea, nihil est aliud nisi ignis, natura artificiosus, & consultor (a), Ζευς nempe veterum poetarum, fervens ardensque natum, æther. Euripides apud Lucianum in Jove Tragœdo æthera Jovem dici jubet

Ορας τον υψυ, τονδ' απειρον αιθερα;
Τυτον νομιζε Ζηνα - - - quo spectasse videtur Ennius quum cecinit,
Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem.

Jam vero subtilis ignis Deus fuit Pythagoræ, Heraclito, eorumque adeo scholis: ipsi postremo Aristoteli, qui nihil præstantius quinta natura agnovit: ea vero ignis. Tres, ut ita dixerim, sunt transcendendi gradus, quo vera divinitas animo comprehendatur: nam nec homines nec crassiora corpora ad ejus naturam pertinent: nec ignis, aliaque corpora incomprehensibilia: nec ulla extensio ad modum corporum deformata: est enim Deus mens, nec aliud, nisi purissima mens. Quam rem nemo Ethnicorum attigisse videtur. Stupidiores populi aut primos mortales coluere, aut astra. Philosophi ignem, ætherem, ne scio quam aliam vim per totum mundum commeantem, aut subtile corpus, aut ad corporum modum confictam. Ad sublimem hanc Dei notionem soli ex omnibus Christiani pervenere. Consensus igitur ille omnium gentium huic rei demonstrandæ idoneus nemini philosophanti videbitur. Atque his acutiolis superius elevare conantur argumentum.

§. 5. His autem, quæ partim severiori philosophia indigna sunt, partim manifesto falsa, binis ferme verbis responderi potest: sed nos paullo erimus longiores, quo tota ea res luculentius explicetur. Ac primum quod spectat ad nationes atheas, seu ad atheos *negativos*, ut vocant, nullis certis argumentis demonstrari potest, eos umquam extitisse, aut nunc existere. Nam quæ referuntur de veteribus, partim incerta auctoribus ipsis habentur, quippe qui iis Historicorum locutionibus utuntur, quas illi adhibent in rebus dubiis, *dicitur*, *fertur*, *fama est* (1): partim ex præjudicio originem habuerunt. Historici nem-

(a) *Cic. de nat. deor.* II. 21. & 22.

(1) Strabo lib. 3. Geor. Ενιοι *Callaicos quidem perhibent esse* δε τυς Καλλαικυς αθεας φασι *Atheos*

nempe Græci & Latini dum Africanas, aut Asianas quasdam nationes inviserent, nec templa, idola, immensumque externarum ceremoniarum apparatum habere animadverterent, velut quæ antiquo more sub dio, sineque ulla pompa Deo sacrificarent, quemadmodum de vetustis Parthis retulit Herodotus (a); in eam venerunt suspicionem, nullos ab iis deos coli. Assueti enim religioni omnimoda superstitione onustæ, vix sibi persuadere poterant, gentes illas simpliciores, quæque fortassis *ex naturæ formula* Deum adorabant, quod in Latinis desiderabat Varo (b), ullos habere deos. Quid quod iidem Historici idem fecerunt cum Judæis & Christianis? Nam Strabo idem rotunde scribit (c), Judæos rerum universitatem Deum agnoscere, qua re nihil inscitius dici potuit: Juvenalis cælum & nubes (d): Primos Christianos atheos vocabant Ethnici, eandem scilicet ob rationem, id quod discimus ex Justino, Tertulliano, Minutio Felice, Arnobio in suis Apologeticis adversus Gentes. Quod si tam turpiter hallucinati sunt in earum gentium religione describenda, quibuscum familiariter versabantur, accuratiores ne esse potuere in earum denarranda, quas vix nomine tenus inaudiverant?

§. 6. De recentibus nationibus idem dictum volo. Ac vero nemo hodie dubitat, veteres mercatores aut ignoratione morum earum gentium, de quibus scribunt, aut ut pretium suis itinerariis captarent, portentosas hujusmodi fabellas evulgasse, quas avide, novitatis amore, ut fit, ceteri deinceps Scriptores arripuere. Enim vero Cafri, quos primi Viatores Atheos fecere, magna ex parte sunt idololatræ, non parva etiam Muhammedani (e). Huttentotti, qui partem occidentalem capitis bonæ spei incolunt, & supremum Deum agnoscunt, & minores alios habent, ut testificatur Andreas Kolbi in historia ejus nationis, qua per plures annos familiariter usus est. Quinimo gens tota, nullo ex hominum memoria aliarum gen-

 tium

(a) *Vide Porphyrium* de abstinentia ab animantibus.
(b) *Apud August. de civit.*
(c) *In Geograph. lib.* VII.
(d) *Juvenalis. Vide & Maxim. Tyr.*
(e) *Andreas Kolbi in descrip. capitis bonæ spei.*

tium commercio erudita, binas tenacissime traditiones commemorat, Adamitici peccati, & Diluvii; ut agnoscere possimus ex uno omnes stipite nationes profectas, originemque habere hominum genus, nec nisi divinam. Jam idem constat de Insulis omnibus, quæ per Eoum Oceanum disseminatæ sunt: scilicet idololatræ sunt: falsas habent religiones: sed habent tamen. Ac quod potissimum est, in tanta deorum turba, supremam mentem mundi opificem agnoscunt, quamquam cultum, qui illi tantum debetur, partiuntur in plures. Nec aliud constat de Americanis ipsis efferatioribus, in quibus nec potentissimæ mundi causæ notio penitus deleta est, & justi, ac honesti principia, satis illa quidem præclara, inesse scimus (1). Moribus quidem hæc omnia mirifice depravata sunt: sed sunt tamen. Quinimo virtutes quasdam exercent tanto inter nos minus notas, quanto illis cultiores (*a*). Id quod quum ex aliis multis, tum nuper intellexi ex ea historia, quæ de tentamine Freti Hudsoni scripsit Ellis (*b*). Quid quod historiæ creationis mundi, peccati Adamitici, Caini, diluvii, aliarumque, ita ut habemus in libris Hebraicis, meminere (*c*)?

§. 7. Quod si tantisper concedamus, ex efferatis quibusdam parentibus progeniem alicubi natam efferatiorem, religionis & juris negligentem, id efficere nullo modo potest, ut nullum habeat pondus prior nostra ratio, nisi adeo stupidi simus, ut paucorum feritatem communi ceterorum hominum sensui præjudicium facere posse putemus. Nam quod de moribus quorumdam populorum quidam juxta ac Hornius retulerunt, id partim declamatorio more exornatum est, partim impar est ad rem, de qua agunt, adstruendam: de opinione enim hic differimus, non de moribus: alioquin in cultissimis quoque regionibus, in quibus & pietas est, & religio, ac de utraque ingentia perpetuo cuduntur volumina, similia flagitia plurima audiuntur videnturque. Quid, quæso, Antropophagos a vetustis Romanis distare putabimus? Nisi fortasse hoc, quod

(a) *Vide eumdem Kolbi*. (b) *Henricus Ellis*.
(c) *Vide* Voyages au Nort *tom*. 5. Relation du Missipipi.
(1) Vide descriptionem Ludovicianæ *Voyages au Nort* tom. 5. & Lafiteau *Les mœurs des sauvages*.

quod illi manibus & dentibus hostes dilaceraverint, hi ferro, & igne vastaverint, tanto ferociores, quanto non singulos singuli, sed totas nationes stirpitus subverterunt: Unus Cajus Julius Cæsar exemplo sit, qui in bello Gallico plus quam decem myriades interfecit, totidemque venundedit mancipio, quod subiratus animadvertit Plinius (*a*). Mitto autem hoc in loco singularem Eusebii opinionem: in ea enim, nisi plebem spectet, manifeste falsus est. Nam patrem *hominumque divumque*, eumque *totum animum*, *totum animi*, ut loquitur Plinius, præterea incorporeum & immortalem, omnes, quacumque Græcorum, & Latinorum imperium patuit, gentes agnoverunt, agnoscuntque hodie Persæ, Indi, Sinenses, Japonenses. Non repugno admixta cum hac notione & a populis, & a philosophis, quæ nequeant non eam corrumpere, totamque Dei naturam evertere, præsertim a poetis. At si semel constituamus inter atheos eos referre, qui nec plene, nec ut Dei perfectissimam naturam decet, de Deo opinantur, aut loquuntur, quum sit suprema illa natura incomprehensibili, *ignoreturque melius*, *quam sciatur*, ut Augustinus loquitur: nimium ac stulte atheorum historiam augebimus, nec veteres tantum paganos, recentesque, sed Muhammedanos quoque, totamque christianam plebeculam ad atheos amandabimus. Quamquam est id causæ atheorum alienum. Non enim hoc in loco quærimus, quam recte homines de Deo sentiant, sed sentiant quidquam, necne. Quum postremum hoc constet inter omnes, idque aut natura, ut diximus, duce, aut primi alicujus institutiones; invictum est argumentum, cur Deum esse credamus. Ignorarunt enimvero qualis habendus esset: habendum omnes constanter tenuere.

§. 8. Jam illud perridiculum est & ineptissimum, ex astutia Legislatorum, aut cæli aerisque phænomenis, primum inter homines Dei notionem informatam. Id enim si esset, vetustissimæ nationes ad unam omnes sine religione fuissent, eoque magis, quo vetustiores. Quum nunc contra nationes omnes, quo primis mundi cunabulis viciniores, eo magis religiosæ fuisse comperiantur; quod ii ignorare possunt, qui in antiqua historia omnino sunt hospites. Prima gentium omnium memorata historicis
ætas

(a) *Lib.* VIII. *cap.* 25. *Bælius in Dictionar. Art. Cæsar.*

ætas deorum perhibetur, imperio civili, ac Legislatoribus omnibus antiquior. Nulla natio Ægyptiis & Chaldæis vetustior habetur, nec ulla religiosior, seu potius superstitiosior. Ac in reliquiis veterum gentium historiæ nihil religione antiquius occurrit. Livius perspecte: *datur hæc venia antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat*: nam nulla gens in societatem sine Deo & religione coaluit, nullaque non ab aliquo Deo non modo sui tutelari, sed parente & fundatore auspicata est. Quamquam quæ exempla suspicionis suæ proferunt athei nostri? Lycurgi, puto, Minois, Numæ: quibus tamen omnibus antiquiores sunt poetæ theologi, Orpheus, Linus, Homerus, Hesiodus, qui theogonias scripsere. Prudenter igitur, non mendaciter: Legislatores egerunt, qui religione usi sunt pro fulcro reipublicæ: quandoquidem nullum esse potest majus ut affectuum frenum, ita societatis vinculum, quam religio. Quod autem ajunt de aeris phænomenis, iisdem argumentis refellitur: nullum enim tempus constituere nobis possunt, quo inter homines ex motu solis, aut tonitru Dei notio sit excitata; nam λεπτολογιας hic platonicas valere jubeo. Quamquam ne fieri quidem potuisset, ut omnes, quacumque patet tellus, ex sole aut tonitru in unam eamdemque notionem venirent, nisi informatam animo qualemcumque Dei notitiam haberent. Quid enim sibi effingere voluisse dicemus? Accedit, quod si commentitia tantum hæc notio fuisset, vix potuisset esse diuturna: *commenta enim delet dies, veritatem confirmat*. Similis fuisset ranuncularum Deo, quod est in Æsopicis fabellis. Sed demus (videant quam de jure nostro concedemus) barbaros homines solis cursu, aut tonitru excitatos fuisse, ut Deum imaginarentur quemdam potentissimum naturæ rerum præesse, quid atheorum causæ accedet? non plus, quam si dicimus, homines ex mundi aspectu duci ad Deum intelligendum & contemplandum. In quo si omnes consenserunt, argumentum est veri: esse enim debet in mundo aliquid verum ac permanens, quod tantam, tamque constantem in omnium animis ingenerat notionem.

§. 9. Veniamus ad atheos secundi generis, idest theoreticos, saltem scepticos, qui quum in religione nati educatique essent, gigantum in morem, in eo colluctati diu esse videntur, ut ex animo extirparent pietatem,

quam in eo impresserat natura ipsa; nam fuisse hujusmodi aliquos, aut nunc etiam esse, saltem, ut dixi, scepticos, haud negare est animus. Principio pauciores hujusmodi sunt, quam esse feruntur. Nam Græcorum illi philosophi, qui populares deos contemserunt, aut omnes, aut aliquos, athei habiti sunt, quamquam de supremo mundi opifice nihil dubitarent, veluti Anaxagoras, Socrates, Protagoras, Aristoteles, Evhemerus, quemadmodum præclare observat Clemens Alexandrinus. Tu ne Anaxagoram, qui diserte mundum a perfectissima mente fabricatum docuit, inter atheos referes, quod solem ex deorum canone abraserit? Evhemerum, quod deorum Græciæ popularium ortum, & sepulcra indicaverit? Sed ne Democritos quidem & Epicureos inter manifestarios Atheos retulerim, etsi minus recte de Deo senserint, cui mundi procurationem abstulerunt. Nam aliud est, ut dixi, non rectas de Deo habere sententias, aliud funditus auferre. Tota certe vetus historia agnitos a Democrito & Epicuro deos perhibet, ut conjecturæ potius illa sint Ciceronis & Plutarchi epiphonemata, voce quidem tenus illis deos positos, re sublatos, quod populi judicium vererentur. Quid, quod Epicurei (tanta est naturæ vis!) tantum abest, ut religionem omnem contemnerent, ut potius *omnia sigilla venerarentur* (1), quod tradit Cicero in primo de natura deorum. Ii ipsi, qui magis impii inter Græcos habiti sunt, quum quid adversi accideret, aut ætas ingravesceret, tum tandem Deum agnoscebant, quod notatum Platoni. Præclarum est quod narrat Laertius in Bione. Hic a Theodoro atheo institutus eruditusque erat. Quum autem in gravem morbum incidisset, non solum palinodiam recinit, sed nullam superstitionem adspernatus est. Idem dictum volo de iis, qui inter Christianos, Muhammedanos, Sinenses athei recensentur. Scilicet plerique, qui fortasse ex naturali tantum ratione religionem metiebantur, externasque ceremonias negligebant, viris minus perspicacibus facile imposuerunt. Plerique vero alii affectibus subagitati violentis effecere, ut scriptores ex animo magis eorum

(1) Locus Tullii est c. 30.: *novi ego Epicureos omnia sigilla venerantes*. *Venerantes* cum Manutio lego: aut *in omnia sigilla inhiantes*, cum Davis.

eorum moribusque, quam ex mente & ratione de eorum religione censerent. Qui supersunt, quos nihil defendat, vereor ut sibi serio persuaserint, nullum esse Deum: mihi enim sic videtur, hanc notionem deleri ex animo non posse, nisi tota extirpata ratione mundique notitia.

§. 10. Deinde demus fuisse pauculos, quantula ii pars sunt generis humani, ut consensionem omnium hominum omniumque temporum, nec plebis modo, sed eruditissimorum & doctissimorum, in dubium revocare possint? Præsertim quum ii, quod Baconus animadvertit, ex eorum fere sint numero, qui vix primis labiis sublimes disciplinas degustaverunt. Præterquamquod ipsis ceteri omnes credere debeamus, ut ab ea persuasione dimoveamur, an eorum rationibus adduci? Primum indicium esset magnæ stoliditatis, paucorum auctoritatem auctoritati omnium, aut doctiorum, aut (agam liberaliter) æque doctorum, præferre. Rationes vero, quas effutire solent, omnes ex brevitate mentis humanæ proficiscuntur, suntque partim deridiculæ, partim paralogismi.

§. 11. Ac vero huc omnes atheorum conclusiunculæ, quas copiose Sextus Empyricus laudato loco, & Cudworthus retulit, redeunt. Primum quod quædam de natura divina prædicentur, quæ in eadem re non videntur posse componi, ut esse eum immutabilem & liberum, immensum nec extensum ac divisibilem, & quæ sunt ejusdem generis. Deinde quod intelligi non possit, unde sint tot mala, si Deus sit: nam quum sit ille omniscius, omnipotens, optimus, qui sciat, possit, & velit mala auferre, videtur aut ille non esse, ubi hæc sunt; aut nullam rerum humanarum habere procurationem. Tandem quum Deus sit immensus, materiam omnem permeet necesse est. Est autem totus actio, atque ut per se necessario existens, ita necessaria actio; totum ergo mundum per se totus ac necessario pervadit. Ita fit ut mundus tandem sit Deus, ex immenso corpore, immensaque mente conflatus. Huc, inquam, atheorum omnes argutatiunculæ conferri possunt, saltem præcipuæ. Nam pleræque aliæ, quas Cudworthus justo curiosius protulit, vix sunt illæ dignæ anicularum lucubratione.

§. 12. Sed hæc talia sunt, ut vel parum cogitanti perspicuum sit, ex defectu adæquatarum Dei finiumque universi,

idea-

idearum, nasci omnia, atque idcirco adversus perspicuas rationes nullum habere pondus. Nam tum demum hæc, quæ ego *negativa argumenta* vocare soleo, locum habere possent aliquem, quum nullæ rationes suppeterent, quibus Dei natura adstrueretur. Nunc autem quum tot adsint, eæque clarissimæ, ut mox ostendemus, turpe est ex iis, quæ minus intelligimus ea velle oppugnare, quæ sunt manifesta. Quamquam ne pugnare quidem illa videntur, quæ isti opponunt, si accurata ratione exputentur. Nam, ut id paucis demonstrem, non video quid repugnet, naturam *immutabilem* esse, simul tamen & *liberam*: scilicet non mihi videntur hujusmodi homines justam libertatis notionem sibi informasse. Mihi potentia, quæ ratione regitur, tanto videtur liberior, quanto minus errori, hæsitationi, ac propterea mutationi obnoxia. Atque in hoc Deum liberrimum esse dico. Non ille externo fato subjicitur: nec aut præjudicatis opinionibus, aut mentis brevitate & imbecillitate, aut affectibus transversum agitur, ut voluntates suas emendare cogatur. Sui juris est: a ratione tantum sua movetur. Eadem illa semper: idem ille semper. Itaque immutabilis simul & liberrimus. Nam si quidquam prima illa atheorum conclusiuncula valet, videant quo serpat: efficitur enim hominum qui sunt stultiores, quippe qui sæpius consilia mutant, eos magis etiam esse liberos ac sui juris: minus sapientes, quorum hoc proprium constituit Seneca, *idem semper velle, idem nolle*. Sed in eo sunt perridiculi, quod de natura humana fortassis etiam de sua, cetera metiri student.

§. 13. Eodem modo, non pugnat, omniscium esse Deum, omnipotentem, optimum, atque una esse & mala, quæ dicuntur. Nam hæc, quæ, ut dixi, dicuntur naturæ mala, ex nostri sensu & utilitate talia æstimantur, non ex finium universi ratione; nec pugnare cum Dei bonitate possunt, nisi si, eadem opera dicamus, totam rerum universitatem unius hominis ergo, quæ nostra est adrogantia, adornatam esse. Quid si hæc, quæ vocantur mala, vero hominis fini consentanea sint? Quid si divinæ sapientiæ regulæ exigebant, ut hæc essent? etiamne tum cum Dei bonitate pugnabunt? Nam mala, quæ *moralia* appellantur, ut ne essent, Deus aut *ex consequente* non potest, aut non debet, quemadmodum inferius explicaturi sumus. Ut vero ne essent mala physica, quæ moralium

lium sunt pœnæ ac emendationes, ipsa Dei prohibet bonitas, ac in genus humanum benevolentia. Sed tota hæc res paullo post disputabitur.

§. 14. Jam illud ineptissimum est, incorpoream rem non posse esse immensam simul & indivisibilem, quum nobiliores philosophi nos doceant, spatium vacuum & immensum esse, & simplex atque indivisibile. Sed quî, inquiunt immensus Deus & inextensus? Nempe quia totus mens, in qua nihil coagmentatum est & duplex: qui igitur expandi diffundique ad modum corporum intelligi potest? Quod autem pervadit Deus omnia, seu potius continet, qua ratione παντοκρατορα illum appellamus, id efficere nequit, ut sit materiæ & mundi vis genitalis, & anima. Primum non est ille extensus corporum instar, ut misceri penetrarique, ac unum cum corporibus efficere sit necesse. Plurima suppetunt subtilium corporum exempla, quæ quum crassiora permeent, impermixtam tamen ac constantem naturam suam retinent, quemadmodum lux, ignis, æther, quibus exemplis passim veteres theologi utuntur. Ac sunt ista non omni ex parte rei nostræ idonea: sed sunt tamen talia, ex quibus facile licet conjicere, nihil pugnare incorpoream naturam, quæque nullam *dimensivam*, ut ajunt, extensionem habet, per omnia liberrime permeare, nec interim unam cum illis rem ac substantiam efficere. Illud vero, quod postremo addunt, totum esse mentem actionemque Deum, ex quo conficere sibi videntur, esse eum necessariam mundi mentem & actionem, totum est pessime conclusum. Nempe tota est quidem Dei natura mens, tota actio, ac necessario mens actioque: sed se ac natura sua ea mens & actio terminatur. Scilicet non ex se illa effluit, ut quemadmodum necessario mens est & actio, sit etiam necessaria actio & mens mundi. Quum enim sit in se perfectissima, nulla nec extrinseca necessitate, nec intrinseca indigentia in externa fertur, ferrique indiget. Quocirca quod extrinsecus agit, id liberrime agit: voluntatis est & bonitatis, non naturæ ipsius necessitatis.

Dei exsistentia argumentis physicis demonstratur.

§. 15. ACcedamus nunc ad argumenta alterius generis, quæ ipsa scilicet rerum natura suppeditat. Manifestum exsistentiæ Dei argumentum præbent rerum mun-

danarum ordo, pulchritudo, fines, constantia. Adhibent hoc argumentum elegantissime veteres juxta & novelli philosophi. Cicero lib. II. de nat. Deorum cap. V. Cleantem inducit Stoicum observantem *æqualitatem motus, conversionem cæli, solis, lunæ, syderumque omnium distinctionem, varietatem, pulchritudinem, ordinem, quarum rerum aspectus ipse satis indicaret, non esse ea fortuita. Ut si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut forum venerit, quum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem intelligat, qui præsit, & cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantisque vicissitudinibus tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil umquam immensa & infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari*. Idem etiam argumentum Boetius in tertio de consolatione, prosa 12. sic paucis comprehendit: *mundum hic ex tam diversis contrariisque partibus in tantam formam minime convenisset, nisi unus esset, qui tam diversa conjungeret: conjuncta vero naturarum ipsa diversitas invicem discors dissociaret, atque divelleret, nisi esset unus, qui quod nexuit, contineret*.

§. 16. B. quoque Thomas in 1. lib. contra Gentiles ex Averroe, acutissimo Arabum metaphysico, paucis, atque pressius ex scholæ more idem argumentum concludit: *Impossibile est aliqua contraria & dissonantia in unum ordinem concordare semper vel pluries, nisi alicujus gubernatione, ex qua omnibus & singulis tribuitur, ut ad certum finem tendat; sed in mundo videmus res naturarum diversarum in unum ordinem concordare, non ut raro & a casu, sed ut semper, vel in majori parte; oportet ergo esse aliquod, cuius providentia mundus gubernetur, & hoc dicimus Deum*. Idemque perspicacissimus theologus addit, nullas res esse, quæ cum pluribus modis esse possint, ut hoc modo potius, quam alio exsistant, suapte natura determinare sese posse, sed indigere causa determinante: at distantia globorum cælestium, ut alias taceamus, esse potest infinite varia, ut est per se patens: ergo ut hæc potius sit, quam alia, causa indiget determinante, & conservante. Cujus argumenti simile protulit Isaacus Newtonus in Optica ad quæst. 13. pag. 345. *Nam dum*, inquit, *cometæ moventur in orbibus valde eccentricis, undique, & quoquo modo versum in omnes partes cæli, utique nullo modo fieri potuit, ut cæco fato*

tribuendum sit, quod planetæ in orbibus concentricis motu consimili ferantur omnes. Tam miram universitatem in planetarum systemate, necessario fatendum est, intelligentia & consilio fuisse effectam. Quæ doctrina confirmari potest ex altera ejusdem philosophi (a). *Planetarum densitates esse se reciproce, ut distantias planetarum a sole ductas in radices diametrorum apparentium, densiores igitur sunt planetæ, ceteris paribus, qui sunt Soli priores, Jupiter Saturno, & Terra Jove; diversis utique distantiis a Sole collocandi erant planetæ, ut quilibet pro gradu densitatis calore solis majori vel minori frueretur. Aqua nostra, si Terra locaretur in orbe Saturni, rigesceret: si in orbe Mercurii, in vapores statim abiret. Nam lux Solis, cui calor proportionalis est, septuplo densior est in orbe Mercurii, quam apud nos: & thermometro expertus sum, quod septuplo Solis æstivi calore aqua ebullit. Dubium vero non est, quin materia Mercurii ad calorem accommodetur, & propterea densior sit ac nostra; quum materia nonnisi densior ad operationes naturales obeundas majorem calorem requirat.* Quis non intelligat totum hoc sapientia & ratione factum esse? Neque enim constantissima hæc proportio sine ulla admetiente omnia, moderanteque ratione, solis mechanicis legibus obtineri potuit.

§. 17. At enim, id *naturæ fœderibus* factum, ait Lucretius. Pluries, inquit, id atomi pertentarunt, credendumque est pluries aberrasse, abortionesque edidisse: quousque vi ponderis plenum, integrum, omnibusque absolutum numeris opus tandem aliquando perfectum est. Sed movet copia similium: quasi pluris sit multos circa Solem planetas gyrare, quam unum, aut alterum: naturæ enim, nec vis deest, nec materies, nec tempus. Movet constantia: hæc tamen, quum legibus materiæ, ac necessariis, rerum pondera æquilibrata sunt, tam est necessaria, quam corporum illæ leges: id quod in ceteris naturæ corporibus videmus omnibus, quorum nullum est, quod non constanter naturæ legibus obediat. Quæ si quis, ne tacuisse pudeat, dicit, eum nihilominus & impudentem & inconsideratum viri omnes rerum naturæ prudentes fatebuntur. Principio quærent, quum necessario natura agat, eodemque modo semper, qui *fœdera* illa *naturæ* abortivos unquam fœtus edere potuerint? Vis ne defuit, materies

(a) *Newtonus lib. III. princip. prop. 8. coroll. 3. 4.*

ries, an tempus? At si pertentant, nec, nisi tandem aliquando, ac forte fortuna collimant, necessario certisque legibus non agunt. Deinde quem non moveret & similium rerum copia una lege præformatarum, & perpetua constantia? Sed illud in primis expostulabunt, qui in rebus e chao tanta fortuna erumpentibus, tanta consilii, rationisque perfectæ vestigia cernerentur? Sed hæc paullo post copiosius.

§. 18. Illud accedit, quod ex mente & ratione hominis, mentem rationemque aliquam toti mundo præsidere vel cæci viderint. Qui esse potest in homine ratio, nisi æterna aliqua sit, eaque mundo imperet, cujus est homo particula? Nam aut ex nihilo hæc repente exstitit nostra, aut ex inanima incogitanteque materia: quorum utrumvis dixeris, jure excors perhiberis (1). Cui simile est, quod ex animantium sensu, ac deformatione quadam rationis efficitur: est enim in iis tanta solertia, ut necesse sit aut rationem esse in belluis aliquam, aut in mundo, aut in ea causa, quæ mundum procreavit, eumque tuetur. Quum constet mundum non per sese esse; sempiternumque, sed aliquando cœpisse; nequit nec in brutis tanta esse solertia, nec in mundo toto, quin major quoque sit in causa, a qua genitus est. Quare mundi causa intelligens est: nec vero intelligens esse potest, nisi quod corpore vacat; sempiterna ergo est mundi causa, & intelligens, & ab omni corpore segregata, mundumque consilio & ratione procreavit, tueturque. Ac vero

(1) Est hoc, ut ego quidem puto ἀποδεικτικὸν, frendant licet scioli: Socrates apud Xenophontem *Memorab.* I. νῦν δὲ μόνον ἄρα οὐδαμοῦ ὄντα σε εὐτυχῶς τοὺς δοκεῖς συνηρπακέναι; Quæ spectans Cicero in III. de nat. deor. cap. 11. *At enim*, inquit, *quæris apud Xenophontem Socrates, unde animum arripuerimus, si nullus fuerit in mundo?* Præclare prorsus: nam *ex nihilo nihil*. Si est ergo mens in mundo aliqua, si animus aliquis vigens sentiensque: mens sit æterna, ex quo hic sit, necesse est. Revellere hæc Cotta satis subfrigide gestit. *Et ego*, inquit, *quæro, unde orationem, unde numeros, unde cantus*. Quasi scilicet necessarium sit, rem esse ab æterno orantem, ac poetica dictantem, aut totum id efficere mundum, si pars ulla efficiat. Nam vis animi ingeniique est, qua oratio, ac poesis exsistit: quo modo vis aliqua æterna sentiens, qua mundi partes sentientes vegetæque procreantur. Nisi ea sit, nihil in mundo esse ejuscemodi potest. At quum semel æterna illa intelligensque ratio constitit, de illo hæc fonte sunt cetera.

si quis nostrum duobus ferme ab hinc seculis Cairi Pauli Bigi naviculam inspexisset, omnes, quæ in navibus ceteris, a gubernatoribus artis fieri solent, motus ipsam per sese nulla informata ratione cientem, qui dubitare potuisset, non sine tamen ratione aliqua fieri? Eam rem sic enarrat Prosperus Alpinus Rerum Ægyptiarum lib. 1. c. VI. *Cairi ad Assam Ægypti proregem naviculam parvam auream fecerat, quæ horologiorum, ut dixi, opera, omnes motus cujuslibet navis sponte obibat, nobisque primum, quam fuisset absoluta, eam ostendit; ipsa enim sponte ante, retroque, & in gyrum movebatur: in ipsa vela expandebantur, atque claudebantur: anchoræ extrahebantur: ærea tormenta sponte explodebantur: tubicinorum soni audiebantur, & reliqua singula faciebat, quæ in navibus fieri solent.* Hoc machinamentum fugit (ut hoc dicam ὡς ἐν παρόδῳ) Petrum Bælium, quum in *art. Rorarius* pene simili navis exemplo harmoniam Leibnitii præstabilitam callide elevat.

§. 19. Sed contemplemur paullo vicinius rerum naturalium fines, qui aperte prædicant Deum omnia gubernantem. In tota natura tam mira est rerum series, quarum aliæ aliis nexæ mutuo inter se officia reciprocant, ut hoc solum ostendat perspicue, cura supremæ alicujus mentis hæc omnia & esse architectata, & stare. Si quis attento oculo plantarum structuram intueatur, atque infinitarum partium, quibus illæ constant, non solum mirabilem nexum, verum etiam officia & fines, quæ illæ constantissime tuentur servantque: ut vasa, quibus nutriuntur: quibus succus nutritius præparatur: quibus effingitur ac formatur, ut erumpat aut in frondes, aut in fructus: quibus idem succus redit ad radices, & quasi, ut in animante sanguis, circulum absolvit: tum vero structuram & fines partium animalium, quum omnium, tum præsertim hominis, ut nulla sit ex tot, tamque diversis particulis, quæ fini suo non apte respondeat; is aut truncus sit, aut præstantissimam mentem hæc omnia fabricari, movere, regere intelligat necesse est. Unam si oculi humani architectationem introspiciamus, tunicas, earumque figuram, humores, reticulum, nervum opticum musculos multiplices: tum munimenta exteriora, supercilia, palpebras, omnia ad id conformata, ut externarum rerum imagines reflexione refractioneque luminis in oculi fundo depingantur, non possumus actionem naturæ intelligentissimæ, quæ

hæc

hæc omnia architectetur, non oculis ipsis cernere.

§. 20. Idem vero & in ceteris humani corporis partibus animadvertere possumus. Corporis nostri finis vita: ea nec sine partium integritate, nec sine motu constare nobis potest. Ac partes quidem motu continuo atteruntur & debilitantur. Iis reparandis consolidandisque cibus & potus necessaria sunt. Hinc gignuntur sanguis, lympha, humores, quibus corpus nutritur vigetque. Jam quot erant necessaria, ut & cibum primum nobis parare possemus; deinde concerpere & incidere; tum molere, & ita deglutire, ut simul respiratio non impediretur? Ad hæc, concoquere atque per totum corpus disseminare? Excernendæ hinc erant particulæ singulis corporis humani membris aut nutriendis, aut movendis. Pars nutritioni inepta sequestranda, ac emittenda extrinsecus. Præterea nisi extrinsecus quoque adjumentum motui sanguinis, ciborum concoctioni, vitæ denique arcesseretur, brevi tota hæc moles velut suffocata concideret. Itaque in auxilium adscitus aer, qui pulmones pervaderet, quique vi sua elastica non corpus modo sustentaret, sed partium singularum officium adjuvaret, ac vitam ipsam vitalem efficeret. Inde oculi circumspectandis singulis, brachia corripiendis alimentis, canini dentes discerpendis, molares contundendis, lingua volvendis, exophagus deglutiendis, ventriculus concoquendis, apta. Exophagi autem & ventriculi structura quam varia, & mirabilis? Quam mirabiles fibrarum ordines, qui velut elateres alii alios sustinent ac juvant? Quot his partibus varie commovendis adcommodati musculi? Tum vasa alia ductando per corpus sanguini, alia lymphatica humectando; ac in primis vasorum hujusmodi valvulæ, ne pondere retrorsum unde venit, redeat jam cor impellendo: Cordis autem mira prorsus fabrica. Quot enim fibrarum ordinibus instructum, quo contrahi, aut distendi posset? Arteriæ disseminando, venæ revehendo. Quis paucis possit comprehendere omnes partes, quibus vita efficitur & continetur? Quis glandularum usus & utilitates? Quis pulmonum? Quis præterea membranarum, cartilaginum, ossium? Sed una nervorum propagatio ac contextura omnem mentem humanam excedit. Hæc, quæ nos cogimur attingere, magnis voluminibus explicata sunt. Est vero quisquam qui hæc omnia, quorum unus finis, vita nempe, cui illa conformata, &

ad quam spectant, nullo ullius mentis artificio fabricata fateri audeat? Mirifice hæc illustrat Niewentitius in opere præclaro *de exsistentia & attributis Dei* part. 1.

§. 21. Duo opponunt adversus hoc argumentum profani. Primum æternum esse mundum, numquam ortum, numquam interiturum: quod nos argumentum satis superius occupavimus, ut necessarium non sit quidquam ei rei hoc in loco addere. Alterum casu quodam hæc omnia facta esse, dum atomi aliæ aliis occurrerent, sicque implicarentur, quæ Epicureorum fuit insania. Mundus, inquiunt, mechanicis legibus regitur. Hæc sunt *fœdera naturai* Democriti; quæ flagitia repetit Lucretius. Ex iis legibus ita omnia possunt provenire connexa, & structa, ut videantur ratione & consilio facta; præsertim, quum insita sit toti materiæ natura quædam activa, *natura gubernans*, ut idem vocat Lucretius. Materiæ igitur particulæ, *natura* illa *genitrice* agitante, infinitis modis necti copularique potuere; quibus hic profecto, quoque nunc stat ordine, mundus comprehendebatur. Quid ergo mirum si tandem aliquando emersit? Ut ecce (nam hoc exemplo utitur recens quidam impiæ causæ patronus (*a*) in possibilibus est Homeri Iliada ex fortuito literarum jactu tandem aliquando prodire: in infinita certe literarum coagmentatione ea inest. Quod autem possibile est, mirum non est, si aliquando ex possibilium numero quasi enatet.

§. 22. Sed nihil umquam minus considerate penficulateque dictum fuit. Scilicet hæc est profani generis ars, qua tegitur paucis ad vulgi captum res maximas non subvertere, sed falso lumine velle opprimere. In eoque ii faciunt astute ac malitiose. Est enim hæc hominis natura, ut subtili & longa rerum maximarum meditatione defatigetur: facili, ac brevi, ad sensum & imaginationem accommodata oratione, capiatur. Hinc quæ acri rationis indagine indigent, primum velut ardua prætereunt: mox contemnunt: tandem esse pernegant, parabili, & in medio, ut ajunt, omnibus posita scientia contenti. Itaque hoc quale sit videamus. Atomi, inquiunt, infinitæ numero ex infinito tempore possibiles omnes pertentarunt coagmentationes. Demus hæc tantisper: liberaliter enim agere mihi con-

(a) *Auctor libri* pensées philosophiques *pag. 66.*

constitutum est. In infinitis, pergunt, atomorum machinationibus præsens mundi ordo inerat. Demus & hoc alterum tantisper, ut dixi, mox resumpturi. Quid ergo, inquiunt, mirum, si tandem aliquando prodiit? Sed quum ita concludunt, primum illud prætereunt, quod in quæstione est positum. Non id nunc agitur, in possibilibus atomorum copulationibus hic ne mundus contineatur: sed hoc alterum, fortuita ne hæc sit præsens universi conformatio? Uno verbo, non quid possibile fuerit, sed id quod factum est. Utamur recepto exemplo. Quum de Iliadis auctore disseritur, non id inquiritur, potuerit ne hoc poema fortuito nasci, sed hoc, natum ne fortuito sit. Demus potuisse: id non efficit, ut ita factum sit. Lucretii carmen potuit esse fortuitum: neque tamen id probat, non esse Lucretii. Venus Coa ab alio sculpi potuit: an idcirco non a Praxitele fuit? Potuit mundus fortuito nasci: demus. Id non efficit, ut fortuito natus sit. Quo, inquiunt, argumento conficis, non fortuito natum, quod fortuito fieri potuit? Scilicet eodem, quo isti, etiam si nihil aliunde rescirent, non fortuitam esse divinam Homeri Iliada, nec Virgilii Æneida affirmarent, quamvis inter possibilia fortuita agnoscerent. Nempe artem, rationem, consilium non tantum in prima mundani operis origine intelligo adhibita fuisse, sed perpetua ea esse cerno: iisdem progredi legibus, quibus cœpit: id quod sine præsenti numine fieri nequit. Ut enim nobis persuadeamus, ea, quæ mirabili ordine, & incredibili sapientia, nec raro, sed constantissime fiunt, casu fieri, tota rationis humanæ œconomia subvertenda est. Quis alioquin intelligat in casu factis non modo perfectissimæ rationis regulas, sed perpetuam constantiam? Ut ecce. In possibilibus motionum seriebus est, ut Psittacus primam Newtonianorum principiorum definitionem pronunciet. Erit ergo in iisdem ut pronunciet & secundam. Quidni, ut omnes? Itaque & in possibilibus sit, ut totum systema recitet. Quid si id sæpe efficiat? Quid si ita, ut verba quidem immutet, rerum vero eundem servet ordinem? Quid si sæpe turbare videatur, eaque mox perturbatio mirabilem cum toto systemate ordinem efficere deprehendatur? Quid tandem si tam confidenter, tantaque dexteritate difficillimas res & intricatissimas pertractet, disputet, compendifaciat, diducat, ut nemo queat ratione melius? Hæc esse in possibilibus negabunt? At nihil est,

quod a ratione fit, ut, quemadmodum isti docent, fieri nequeat a fortuito atomorum concursu: tamen si id totum fortuito revera fieri atheorum quisquam dixerit, fortuito eum quoque loqui necesse sit. Quot ego hujusmodi possibilia congerere possum; quæ tamen fortuito fieri pudeat vel impudentissimos atheos dicere? Quid, inquiunt, ita? Quia sunt quædam argumenta, seu potius vestigia, criteria, insignia, quibus sine ullo ratiocinio intelligat quis, ratione id fieri, etiamsi in possibilibus, & fortuitis contineantur. Ea vestigia in sensus & rationem decurrunt: eos perpetuo lacessunt, ut non sit necesse longius arcessere. Qua ex re fit, ut ii facilius ea persentiscant, qui simplicius de rerum natura sentiunt, quique minus a phantasticis systematibus aliorsum distrahuntur. Inde certe est, ut in his rebus idiotæ & judicent tanto verius, quanto simplicius, & constantius naturæ adhæreant, a qua tantopere metaphysici longe aberrant. Stultum autem est sibi persuadere parva opera sine arte & ratione non fieri, fieri vero maxima.

§. 21. Deinde nego præsentem mundum inter fortuitas atomorum consociationes contineri, utcumque illas infinitas ponamus: neque enim in infinities etiam infinitis ejusmodi copulationibus mens & ratio continentur, quæ nunc in mundo sunt. Quemadmodum enim si nihil ab æterno fuisset, non spatium, non materia, non Deus, nihil præterea aliud; perspicuum est & nihil possibile, & nihil deinceps futurum fuisse: ac si nihil fuisset, nisi materia immota & iners, numquam possibilem, nec futurum fuisse motum: eodem modo, si non fuere ab æterno, nisi inane, & atomi, pondere tantum & motu præditæ, infinitis etiam earum copulationibus nego mentem & rationem procreari potuisse, ac inde repente prodire, ubi nec erat ulla, nec ulla ejus sufficiens ratio causaque. Sed tollamus paulisper omnem de mundo mentem ac rationem, quam certum est non potuisse a fortuita atomorum conjunctione progigni, ac videamus, utrum saltem reliqua fortuitus hic, quem prædicant, atomorum concursus efficere potuerit. Indefinita est mundi extensio, in eaque, quantum intelligimus, infinita systemata planetaria esse oporret, apte omnia inter se cohærentia. Non dubito, si ut corpus nostrum, ita totum universum animo complecti comprehendereque liceret, eamdem in eo, atque in corpore, observaturos artem, ac præstantissimæ rationis machina-

china-

chinationem & artificium: Nam & universum ex maximis corporibus coalescens aptissime totum cohæret, ut humana ratio nihil effingere possit ordinatius; & maxima hæc corpora omnia sunt ex infinitis, ut ita dicam, machinulis, tanta industria constructa, ut quæ inter homines sunt artis proportiones ac regulæ, inde omnes natæ videantur. Atomi ut fortuitis concursibus hoc totum tam affabre struerent, non modo eas regulas ac proportiones sectari in primis corpusculis coagmentandis debuere, sed in singulis deinde majoribus ac majoribus machinis: una in parte si a regula dissiliissent, totum, ut perspicuum est, conturbassent, ac quidvis potius, quam tam doctum opus perfecissent. Tu igitur tantam in casu constantiam ac tamdiu reperire potes? Ego ne in efformando quidem plantulæ semine esse posse mihi umquam persuaserim. Semen enim hoc totam in se distinctissime delineatam plantam complectitur, ac (sunt quibus id placet) ejus plantæ semina alia innumera, horumque seminum plantas alias, atque sic porro. Ea debuit esse fortuiti atomorum concursus constantia, ut nulla in parte infinitarum illarum, quibus hæc machinatio absolvitur, vel hilum claudicarent; minimum enim si ab arte vagatæ fuissent, tu id efficere potuisse putes, quod est effectum? Valeant itaque, qui hanc in casu regularum constantiam deprehendere posse confidunt. Quocirca quamquam hic mundus in possibilibus fuit, priusquam oriretur (nam factus numquam fuisset, nisi fuisset possibilis); tamen talia in eo artis, sapientiæ, rationis, ac tanta vestigia cerno, ut jure negem, fuisse in possibilibus & fortuitis atomorum concursibus. Quomodo quum horologium considero, in possibilibus illud fuisse agnosco, priusquam esset; neque enim alias umquam extitisset: sed nego in possibilibus fodinarum metallicarum fermentationibus ac copulationibus umquam extitisse. Quid ita? Scilicet quia hæc tum tandem possibilia sunt, si data alia & constituta fuerint, in quibus ratio insit ac intelligentia: quæ qui non ponit, similiter facit, ac si quis pronunciet generatim, ex qualibuscumque tribus lineis triangulum confici posse, quum id tum tantum obtineat, ubi duæ quomodocumque sumtæ sint tertia majores. Eodem modo mundus hic, qui tam admirabili arte & sapientia conflatus est, ita quidem in entibus possibilibus est, ubi aut data sit mens sapientissima ac prepotentissima, aut in

 atomis

atomis ipsis sit insita: hoc ubi datum non sit, eadem ratione nego *mundum hunc, in quo ars inest & sapientia*, esse in possibilibus atomorum conjunctionibus, qua nego, ex tribus lineis, quarum duæ sint tertia minores, vel ei æquales, triangulum nasci posse. Eodem modo, quum quis dicit, esse possibile ab homine fieri Farnensem Taurum, is ita profecto intelligit, ubi artifici insit efficiendi ars: qua sublata, non magis possibile est, quam a præstantissimo artifice sine ulla materia fieri.

§. 24. Sed largiori jam utamur liberalitate. Mundus ex fortuito atomorum discursu, an vi & ratione divina primum prodierit, id nunc inter nos & Epicureos disceptatur. Fortuito natum docent illi: nos mentis supremæ numine architectatum. Erat, inquiunt illi, in possibilibus atomorum copulationibus: demus. Quid igitur, pergunt, prohibet dicere, potuisse inde emergere? Et hoc demus, potuisse: videant quam benigne agamus. Intelligant autem, nos disputare, non an potuerit sic fieri: sed an factus ita sit. Potuisse, id damus: factus ne ita fuerit, id disceptamus. Nam non statim consequitur, potuit id ita se habere; id igitur ita est; quod vel pueri in Dialectica noverunt. Nondum igitur constat, ita, necne, natus sit mundus, ut illi contendunt. Nos contra docemus, esse supremam quamdam mentem, cujus consilio & numine sit creatus. Ejus in tam vasto opere clara vestigia intueri existimamus. Agant & Epicurei eadem nobiscum ingenuitate, ac nobis vicissim dent, mundum ita fieri potuisse, ut docemus. Neque enim video quid pugnet, talem mentem exsistere, ejusque vi ac numine procreatum esse & stare universum. Sint ergo hæc duo possibilia systemata, quorum altero ponatur, fortuito mundum nasci potuisse; altero a mente divina fabricari. Exigit ratio, ut id verum putemus, quod omnibus perpensis, similius vero reperitur, præsertim, quum res sit non parvi momenti, sed ejusmodi, qua tota hominum vita continetur. Itaque in utrumque inquiramus, ac quale sit expendamus, odio & amore, spe & metu, si per profanum genus fieri potest, parumper semotis: amice rerum transigamus.

§. 25. Ut systema quodvis unum sit, sibique constet, duo requiruntur: primum *principia evidentia*, quæque e pugnantibus notionibus minime coalescant: alterum plena ac sapte

natu-

natura inde fluens phænomenorum, quorum causæ perquiruntur, ratio, ut scilicet natura, non arte inde defluere videantur. Quocirca perspicuum est, nec stare posse systema ullum, cujus principia aut ita obscura sunt, ut non intelligantur aut sunt inter se pugnantia; nec, etiam si principia clara fuerint & aperta, ubi nullam habent explicandorum phænomenorum vim naturalem, plenamque, atque uberrimam efficientiam. In pugnantibus principiis nullum inædificari potest systema, nisi si quis sibi persuadeat, ejus, quod est, causam esse id, quod esse nequit. In perspicuis vero inædificatum si nullum habeat explicandorum phænomenorum vim ac efficientiam, & quidem naturalem, suaque sponte fluentem, quidvis potius est, quam eorum, quorum rationes & causæ quæruntur, systema. Conveniant hæc inter partes necesse est, nisi a tota ratione aberrare velimus. Videamus autem, utrum hæc duo, quæ procul dubio in Theistarum doctrina constant, in Epicureorum systemate reperiantur ab ullo.

§. 26. Rerum natura infinita ordinis, artis, sapientiæ phænomena exhibet: rationem & in bestiis aliquam, & in homine luculentam nobis ostendit. Eorum causam inquiro. Ea statim præsto non sit: in eo enim superius consensimus. Duo ecce autem mihi deferuntur systemata, *casus*, & *Dei*. Ut in casum inquiram, primum perpendo, quæ sit fortuitæ plurium rerum coagmentationis natura. Nempe, ut eadem facilitate dissilire possint, qua convenere: ut partes sic junctæ minime sint constantes, præsertim per longum tempus: ut difficillime series ex seriebus ordinatissimas, partibus ac toti consentientes, progignat: magis adhuc difficile, ut nulla in parte umquam mentiatur: postremo ut nihil præstare possit, cujus efficientia destituatur. Hæc systema *casus* difficile & incredibile mihi faciunt. Præsto est alterum, *Dei*. Nihil, in eo harum difficultatum. Nam Deus si est, ut est profecto, nequit esse, nisi absolutissimæ rationis & potentiæ; tum constantissimæ voluntatis. Itaque quum hæc omnia in universo observem, mirum rerum omnium concentum, perennem constantiam, in qua tanta vetustas, quanta est apud homines memoria, nihil umquam mentita est: constantiam præterea tot serierum, quæ perpetuo gignuntur, quæque cum toto ipso exactissime consentiunt; quæ me causa impellere potest, si non affectu, sed veri amore phi-

re philosophari volo, ut non huic potius doctrinæ adhæream, sed ut videns ac prudens inextricabilibus illis Epicureorum tricis me ipse implicem? Repugnat certe ratio: nam hujus *systematis divini* principia in promtu posita sunt & clara: facilisque explicandorum phænomenorum ratio: illius, Epicurei, obscura minimeque intelligibilia principia, minus quoque clara expediendorum tantorum phænomenorum ratio & via.

§. 27. Sed ut his me extricem tricis, præsto jam sunt aliæ ac majores. Rationem & mentem in mundi partibus inesse video. Ex motu atomorum eam natam, cui umquam persuadeant Epicurei? Ut scilicet *ex non mente sit mens*? quod tantumdem est, atque *ex nihil esse aliquid*. At nullo negotio comprehendo, a suprema illa & potentissima mente mentes alias procreari potuisse. Porro excipiet me statim alia, atque inextricabilior quoque quæstio. Æternæ illæ atomi nec semina sunt, quibus continentur plantæ, nec ova, unde prodeunt animantia: sed potius seminum, & ovorum elementa, quæ quum coëunt, & semina, & ova progignunt. Etiamne vi vegetante & animante prædita efficiunt? Etiamne constantissime semper eadem, eodemque modo, progignere pergunt? Nullane umquam harum copulationum dissociabitur ut plantæ, aut animantis alicujus totum genus pereat? Difficile, credo, sibimet ipsi persuadebunt Epicurei. Quid autem? Vis illa vegetatrix & animalis in omnibus inerat atomis, an in parte? Qui non omnia animantia, si in omnibus? Qui tam docte secretæ, ac tot, quot necessariæ, si in parte? Nihil ego horum intelligo, quum Epicurei de *casu* rationes promunt: contra, curam supremi numinis binis verbis explico. Sed infinita futura esset oratio ubi omnia persequi esset animus.

§. 28. Accedo nunc ad totius universi ordinem: mire me & in hoc implicant Epicurei: clara omnia sunt in theologis. Temperatione æquabili virium centripetæ & centrifugæ planetarum circa solem totum stat systema nostrum circa stellas singulas fortassis alia. Id fortuitus atomorum discursus fecit, ac nunc conservat? Quid? Unumne omnes in locum pondere suo gravitabant atomi antequam tam doctum opus machinarentur, an in diversas plagas? Non illud: alioquin unum esset earum omnium centrum, quod ne Epicurei quidem dixerunt. Si alterum,

rum, quum omnes æque æternæ, æque ab æterno motu percitæ, qui in plagas diversas disterminatæ? *Æternum enim ac necessarium non potest nisi unum in modum esse determinatum*: nam in æternis & necessariis nihil esse potest *δυναμει*, *potentia*: totum *ενεργειᾳ*, *actu* est, quod peracute vidit Aristoteles. Hujus ergo variationis in atomorum natura æterna nullas esse causas video. Extrinsecus ergo accessere. Nugatur autem Epicurus, qui atomorum declinationem & mutuum accessum sine ulla causa fingit: pugnat hoc cum tota ratione. At enim, vi attractrice præditæ sunt atomi: inde atomorum declinatio. Nam arripiunt hoc avidissime ex Newtonianorum philosophia novelli Epicuri patroni: nec intelligunt, Newtono attractionem non causam haberi, sed effectum. Causam ergo ab Epicureis quæro mutui hujus accessus. In atomorum pondere vim centrifugam reperio. Centripetam unde quæram? unde utriusque æquilibritatem? Incomprehensibilia ergo mihi prædicant. Sed demus hoc illis, utraque ea vi ab æterno præditas fuisse atomos. Quum copularentur, ac magna corpora conficerent, necessarium fuit, ut tot atomi una jungerentur & in sole, & in iis planetis, quæ circum solem aguntur, ut vires projectionis planetarum omnium æquales essent attractionis solis, quo ordo constare posset. Minimum si hanc proportionem exissent, ut altera alteri vis præponderaret, totum funditus mundanum systema conturbatum fuisset. Quæro ergo, quum infinitæ numero essent atomi, cur non plures convenerint? Cur nullibi variaverint? Ego hic exitum non reperio. Nec nunc ea, quæ superius, iterum interrogabo, cur tanta constantia perseverent. Exempli hæc loco promsi, ut intelligant Epicurei, quam non incomprehensibile modo totum sit systema *casus*, sed etiam etiam quam absurdum, quam inscite excogitatum, quam secum pugnans, ut pudere debeat homines ratione præditos in his dumetis rationes investigare velle ad impietatis causam patrocinandam.

§. 29. Hæc generica, ac magnis ingeniis adcommodata. Attingamus aliquid peculiare, in medioque positum, aut ex infinitis delibemus potius. Animantium œconomia plura ac perpetua divinæ mentis ac providæ argumenta vel in oculos ingerit. Eum locum, qui est ex animantium solertia, quem veteres alii plures Græci, latinique theologi, tum

in

in primis Cicero in II. de nat. deor. scite pertractat. Ex quo particulam hanc decerpam. *Quid loquar quanta ratio in bestiis ad perpetuam conservationem earum generis appareat? Nam primum aliæ mares, aliæ feminæ sunt: quod perpetuitatis causa machinata natura est. Deinde partes corporis & ad procreandum & ad concipiendum aptissimæ: & in mare & in femina commiscendorum corporum miræ libidines. Cum autem in locis semen insedit, rapit omnem fere cibum ad sese, eoque cœptum fingit animal: quod quum ex utero elapsum excidit, in iis animantibus, quæ lacte aluntur, omnis fere cibus matris lactescere incipit: eaque, quæ paulo ante nata sunt, sine magistro, duce natura, mammas appetunt, earumque ubertate saturantur. Atque ut intelligamus nihil horum esse fortuitum, & hæc omnia esse opera providæ solertisque naturæ; quæ multiplices fœtus procreant, ut sues, ut canes, his mammarum data est multitudo: quas easdem paucas habent eæ bestiæ, quæ pauca gignunt. Quid dicam quantus amor sit bestiarum in educandis custodiendisque iis quæ procreaverunt usque ad eum finem, dum possint se ipsa defendere? Et pisces ut aiunt, ova quum genuerunt relinquunt: facile enim illa aqua & substinentur & fœtum fundunt. Testudines autem, & crocodilos dicunt, quum in terra partum ediderint, obruere ova, deinde discedere: ita & nascuntur & educantur ipsa per sese. Jam gallinæ avesque reliquæ & quietum requirunt ad pariendum locum, & cubilia sibi nidosque constituunt, eosque quam possunt mollissime substernunt, ut quam facillime ova serventur. Ex quibus pullos cum excluserint, ita tuentur, ut & pennis foveant, ne frigore lædantur; &, si calor a sole, se opponant. Cum autem pulli pennulis uti possunt, tum volatus eorum matres prosequuntur, reliqua cura liberantur.* Quamquam ea in re novi physici, diligentiores naturæ vestigatores, copiosius, penitiusque versati sunt, in primis Reamurius in *historia insectorum animalculorum*. Hæc quem dubitare sinent, ratio ne summa mundo, ejusque partibus præsit? Sed hoc illud efficit manifestius, quod qui hæc argumenta refellunt, mire se pueriliterque implicant: qua nulla est præclarior piæ partis victoria.

§. 30. Illud interea ego nolim, quod olim Cotta Balbo, quis mihi hic objiciat; cur quum perspicuum esse, constareque inter omnes Deum esse dicamus, de eo ipso tam multa differamus? quasi non confidamus tam esse id ma-

nife-

nifestum, quam dicimus. Inscite. Scilicet cum ex hoc mundo, qui Dei est opus, Dei natura pateat; totque sint mundi partes, ex quibus id intelligi comprehendique possit, ut vel disertissimum oratorem diu fatigare dicentem possint; non rei difficultas & quasi obscuritas prolixitatem procreat, sed copia; in qua vel brevissimus futurus sit longissimi alioquin auctor sermonis. Sed & illud longos præ quam oportet esse cogit, quod bona hujusmodi disputationum pars in aliorum erroribus confutandis consumitur, minima in veritate adstruenda, ut superiora docuere, docebuntque sequentia.

Refellitur Panteismus.

§ 31. Illud nunc accuratius demonstrandum est, idque adversus recentes vetere sque atheos, Deum non esse nec mundi materia, sed horum causam creatricem, atque gubernatricem. Ac quamquam superiora argumenta, præsertim physica, una opera demonstrant, & Deum esse, & esse universi causam, adeoque ab eo distinctum secretumque: tamen quum Pantheismus seu Spinozismus haud dudum plurimum invaluerit grassèturque in dies; articulatim is refellendus est. Deum esse hoc universum error est, ut alibi diximus sæpe, perantiquus. Erant in ea opinione Elatenses quidam philosophi; erant Pythagorici, & Stoici; quod pluribus ostendit Buddeus (*a*). Seneca in qq. natural. (*b*) disertis id verbis docet. Cato apud Lucanum lib. IX. Pharsal. et veterum sententia pronunciat

Est ne Dei sedes nisi terra, pontus, & aer,
Et cælum, & virtus? quid quærimus ultra?
Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveris.

Quamquam id cum emphasi dictum esse existimaverim, ut pro eo, quod Deus est ubique, omnia Dei nomine vocaverit, quo modo theologi quoque nostri de schola Deum, *ens universale* interdum dicunt, & *omnia* κατ' ἐξοχὴν. Etsi non leviter id moveat, quod qui nullam naturæ corporeæ partem non in deorum numerum retulerint, videri possunt κατὰ λέξιν *ad literam*, id accepisse; in quam rem vide quæ dispu-

(a) *De Ath. & Superst. c. 1.* (b) *Lib. II. c. 45.*

disputat Balbus Stoicus apud Tullium in II. de natura deorum. Nisi dicere velimus id factum, quod fuere, qui præter Deum summum, mundum ipsum Deum fecerint, δεύτερον, *alterum a primo*, conglobata figura, velut Plato in Timæo, Aristoteles, Zeno; hisque vetustiores Xenophanes, Timæus Locri, aliique. Jam retulit Albertus Magnus (*a*), Alexandrum Epicureum, qui Plutarchi tempore vivebat, eamdem tradidisse impietatem: *Alexander*, inquit, *Epicureus Deum esse materiam, dixit, vel non esse extra ipsam: & omnia essentialiter esse Deum: & formas esse accidentia imaginata, & non habere veram entitatem: & ideo dixit, omnia idem esse substantialiter*. D. Thomas in 1. contra Gentil. 17. ejusdem impietatis defensorem facit nescio quem *Davidem de divinando*, contra quem ex instituto disserit. Vasquez (*b*) refert de Petro Abailardo: *Deum esse omnia, & omnia esse Deum: eum in omnia converti, omnia in eum transmutari asseruit*. Petrus Vallensis in Itinerario testificatur plures Mahummedanos idipsum opinari (*c*), quam sectam ab Avicenna, ut nos hodie vocamus, ortam Arabes tradunt historici, hunc ab Aristotelica schola eruditum. Idem narrat Bernerius de Indis, alii de Sinensibus & Japonensibus, quod tamen imperitiæ potius tribuas, quam nimiæ philosophiæ subtilitati, ut Græcorum quorundam Arabumque Pantheismum.

§. 32. Apud Europeos hanc impietatem in systema geometricum referre conatus est Benedictus de Spinoza, quod sæpe a nobis adnotatum in prima horum Elem. parte. Hoc universum ex immensa cogitatione, seu mente, immensaque extensione, seu materia, coagmentatum esse vult, idque esse Deum, cujus idcirco duo sint attributa *essentialia*, cogitatio, & extensio. Hæc Pantheistarum secta altas in Anglia radices jecit. Editus est apud Anglos liber scelestissimus, auctore Tolando, qui *Panteisticon* appellatur. In eo libro quid sint Pantheistæ, his verbis explicatur apud Syches: *Panteista ut plurimum vocantur propter sententiam de Deo, & Universo sibi propriam: Epicureis vero, & Chaologis e diametro oppositam, quum nullam* confu-

(a) *Vide Peret. de comm. Princip. lib. 5. cap. 12.*
(b) *In prim. part. q. 3. art. 3.*
(c) *Tom. 3.*

confusionem primævam, nedum casum ullum mundi opificem admittant Phantheistæ, sed de rerum causa, & origine cum Lino vetustissimo statuant, εκ παντος δε παντα, και εκ παντων παν εστιν. Idest ex universo quidem sunt omnia, & ex omnibus universum. *Hujus versiculi, quem semper habent in ore, purior est explicatio, quam nos hic breviter trademus. Universum itaque, cujus exigua portio est hic mundus adspectabilis, affirmant esse infinitum tam extensione, quam virtute; continuatione vero totius & partium contiguitate unum: immobile secundum totum, quum extra eum nullus sit locus aut spatium: mobile autem secundum partes, sive per intervalla numero infinita: incorruptibile simul & necessarium utroque modo, existentia scilicet æternum, & duratione, nec nisi levi similitudine eodem nomine cum nostra intelligendi facultate appellandum. Cujus denique sunt partes integrantes semper eædem, ut partes constituentes in motu (a).* Hoc quale sit; etsi alibi a nobis demonstratum sit, locus poscit, ut denuo expendamus.

§. 33. Aggrediamur igitur ad hæc absurda frigidasque fabulas refellendas, quæ adeo sunt secum ipsæ pugnantes, ut verear ne oratione abutar in re minime necessaria. Ac principio, mundum hunc corporeum non esse æternum, sed aliquando cœpisse, nec vero fortuito, sed alto eminenteque consilio ac providentia, quum sæpe alias, tum præsertim in superioribus demonstratum est; nequit ergo esse Deus, qui mens est æterna, cujusque numine & imperio mundus ipse administratur. Deinde non modo corpora, sed ne materia quidem ulla habet æternitatis attributa, quæ Metaphysici esse docent, immutabilitatem, nulli subjectionem causæ, perfectionem summam; quod ne Spinoza quidem negaverit: e contrario mutabilis est, in infinitum *modificabilis*, nec plene perfecta; non ergo in natura sua habere potest exsistentiam necessariam: contingens igitur est, factaque, nec idcirco æterna illa & perfectissima rerum causa, quam esse aliquam supra demonstratum est. Videri potest ut præclare exornet hoc argumentum Soria in *dissert. de exsistentia Dei*. Præterea materia non solum omnis cogitationis est expers, sed ne capax quidem cogitandi, quemadmodum nos

---

(a) *Apud Sykes* connéxion de la réligion naturelle *&c. pag.* 85.

nos in tertia horum Elementorum parte ostendimus; ergo nec Deus esse potest, nec attributum Dei.

§. 34. Ad hæc, demonstratum est in III. p. propositione 3. esse debere ens quoddam æternum, in quo sit ratio sufficiens eorum omnium, quæ fiunt, aut sunt possibilia; ergo & ratio sufficiens eorum omnium, quæ huic enti sunt propria, non potest esse in alio, sed in se ipso; alioquin non esset illud primum ac per se, in quo cunctorum est prima efficientia. Jam plurima contingunt materiæ, quorum prima ratio sufficiens non potest esse in ipsa materia, veluti moveri, aut quiescere: hac aut illa ratione dividi, disponi, configurari, & trecenta alia, ad quæ materia ipsa per sese est prorsus indifferens; materia igitur nequit esse αιτιος, ens illud æternum & primum, in quo sit omnium, quæ accidunt, prima efficientia. Quod si dicas, materiam quietam, aut tam motui, quam quieti paratam, non esse hoc ens æternum & primum, sed attributum entis illius æterni ac primi; ens illud æternum & primum ex iis conflatum erit attributis, quæ se se mutuo destruunt, adeoque ens illud erit *impossibile intrinsecum*. Enim vero quum essentia cujusque rei exsistat ex unione omnium attributorum essentialium; si materia attributum sit entis illius æterni primique efficientis, erit illud & *necessarium & contingens*, quæ sunt si quæ maxime pugnantia. Distinguere vero inter materiam & corpora quod facit Spinoza, atque illam ponere immobilem, immutabilem, indivisibilem; hæc vero divisibilia ac mutabilia; illamque Dei attributum facere, hæc modificationes; est vetus phantasma pro re obtrudere velle, ineptissimum illud, quodque absurdius est, quam ut refutatione egeat (*a*).

§. 35. Sed illud objiciunt quidam, non posse a nobis intelligi, ubi ita res se habeat, quanam ratione materia ab ente illo æterno & incorporeo aut defluxerit, aut creari potuerit. Ex hac ignoratione factum est, ut quum veteres philosophi, tum novelli Athei æternam materiam habuerint, desperatione, ut videtur, melioris sapiendi. Sed nihil minus acute concludi umquam potuit: sæpe enim animadvertimus, ea, quæ ignoramus, nulla suppeditare posse

(a) *Vide quæ super ea re dicta sunt in I. & III. Metapys. parte.*

posse argumenta ad ea, quæ scimus, revellenda. Materiam non esse æternam hinc intelligo, quod nulla æternitatis habet attributa, sed habet potius omnia iis contraria, quæ enti æterno inesse debent, seu unam illam, simplicem, immensam cum Platonicis, seu in corpuscula sectam cum Epicureis sinamus esse. Quod vero non intelligam, qua demum ratione creari potuerit, hoc non efficit, ut de origine materiæ quicquam negare possim, sed tantum ut imbecillitatem mentis meæ agnoscam. Quo modo si quis barbarus horologium intueatur, minime is quidem factum dubitabit, quantumvis ignoret, a quo sit artifice factum, qua ratione, qua arte, & vi. Ac sane plurima sunt in universo, quæ generari nemo sanus in dubium vocaverit, quamquam omnes ignorant, qua ratione generentur. Hominem ex homine, brutum ex bruto procreari, ex semine semen, nemo ignorat. At quum ventum est ad vim rationemque, qua hæc generantur, quot capita, tot sunt ferme omnium, & quidem doctissimorum, sententiæ, fatenturque omnes se in re perdifficili & perobscura opinari.

§. 30. Scio acutissimos philosophos ope rationis naturalis sæpe pertentavisse modum creationis materiæ expedire: sed adeo infelici eventu, ut me pœniteat ingenii humani. *Exempl. gr.* Joannes Lockius rem ita transigit. Detur spatium incorporeum æternumque, quod jamdudum gravissimis philosophis placuit: potuit ei a Deo addi soliditas. Ita emersisset materia, quæ nihil est aliud, nisi *extensum solidum* ac divisibile. Plura habet hæc doctrina incommoda, quæ Lockio ipsi negotium facessere potuissent, si rem accuratius expendisset. Primum quis intelligat existere posse rem quandam incorpoream, æternam distinctam a Deo, nisi qui omnia religionis naturalis principia perturbaverit? Deinde, ut hæc demus, quæ plusculi procul dubio præpropere raptimque magis, quam ulla ratione, judicaverunt, quis sibi persuaserit, spatium immobile & indivisibile addita soliditate evadere divisibile ac mobile? Sed dictum hac de re alias. Christianus autem Wolffius aliam viam ingressus est. Potentia Dei primum omnium creata fuisse elementa quædam simplicia, inextensa, activa: hinc vero conflata corpora, arbitratur. Sed tantum abest, ut nos levet difficultate, de qua disserimus, ut potius augeat. Principio eadem difficultas est in intelligendo modo, quo hujusmodi elementa creata sunt. Tum

accedit altera, quî ex inextensis elementis corpora prodire possint. Non hæc fieri posse negamus; quo fiant modo, id nos ignorare profitemur: nam hæc est quæstio, quam in manibus habemus. Quid Origeni faciemus, qui lumen tenuissimum purissimumque e Dei natura primum defluxisse arbitratur, quod paullatim crassius densiusque abeundo evaserit? Quod non infacetum modo inconditumque, sed impium est. Itaque præstat ingenue fateri, inter infinita alia, quæ mortales ignorant, esse & hoc, qua tandem ratione sit procreata materia. Id nobis sufficit, materiam nihil ipsam per se æterni præseferre: neque necesse est ut illud quoque sciamus, qua ratione sit creata. Nihil ne licebit scire, nisi omnia sciverimus? At sunt quæ non licet mortalibus rescire.

§. 37. Nunc quo plenius Pantheismus refellatur, describam hoc in loco integram Joannis Lockii orationem, doctam, ac peracutam, qua ille demonstrat, nec totam materiam, nec singulas ejus partes cogitatione præditas esse (*a*): latine Anglum loquentem efficiam, non potero, si non, ut potero dicam tamen. *Videamus*, inquit, *qua tandem ratione profani homines persuadere sibi potuerint, mentem æternam* (neque enim de ejus exsistentia dubitari potest) *corpore constare. Primum tota ne materia mundana, omnesque ejus partes cogitant, necne? Non eo dementiæ evasuros puto hujus ævi profanos, ut id dicant, nisi una opera dicere audeant, tot esse entia æterna cogitantia, quot materiæ insecabiles particulæ, idest infinita, atque idcirco infinitos esse deos, quorum quilibet infinitos etiam alios sinu suo complectatur, quod & totam mentem mundi architectricem radicitus extirpat, & ipsum per se satis est perridiculum. Qui enim tot monogrammi dii in tam vasto tamque docto opere efficiundo consentire omnes potuere? Non ergo materia suapte natura ac necessitate tota animus est cogitansque. Quid ergo? Quædam tantum partes hujus corporei entis cogitantes erunt, ceteræ incogitantes, brutæ, stupidæ, nulloque sensu præditæ? At tam est perabsurdum, ens cogitans ex partibus non cogitantibus componi, exsistereque, quam extensum ex non extensis. Deinde quando tota materia esse cogitans nequit, pars ne una materiæ hoc erit ens æternum & cogitans providensque? Non minora inde, nec*

(a) *De intellectu humano lib.* IV. *cap.* 10.

nec pauciora consequuntur absurda. Enim vero aut hæc tantum materiæ pars æterna est, reliqua procreata: aut non, sed sempiternæ omnes. Si primum, reliqua materia tota creata erit, nec nisi ab ente intelligentissimo (nam a quo alio?) quod tota moles Pantheistica concidat necesse est. Si alterum, quibus tandem illi argumentis, non totam quoque materiam, sed particulas tantum aliquas cogitare adstruent? Neque enim natura & essentia pars ulla materiæ ab alia parte differt. Quod si contendunt, ut iis sine ratione etiam credatur, constituantque sola sui auctoritate reliquos in assensum pertrahere, non impii tantum, sed stulti quoque sunt, qui tam incohærentem rem nullis argumentis in omnium hominum animis inserere conantur. Postremo fortassis nec tota, nec una pars materiæ esse ens illud æternum cogitans dicetur, sed congeries quædam plurium particularum? At qui illud nec unam æternæ materiæ partem, nec omnes esse intelligit, is nisi una opera nullam esse congeriem corpusculorum quoque intelligat, lapide silice stultior sit necesse est. Ens ergo illud cogitans æternumque nec tota est materia, nec quævis materiæ pars, nec ulla congeries. Atque ita ille particulatim peracuteque tanti monstri nervos persecat.

§. 38. Ostendam nunc, quam contrariis assertionibus narratio illa Pantheistarum, quæ superius posita est, consarcinata sit.

I. Vires, quas in iis universi partibus, quæ cognitioni nostræ subsunt, observamus, omnes intensitate finitæ sunt, varieque fingi temperarique possunt: nec finitæ modo sunt, sed usu quoque consumuntur. Virtute ergo infinitum non est universum; neque enim, si infinita esset intensitate universi vis ac potentia, finiti esse possent effectus, præsertim quum hæc vis, velut necessaria, tota semper ageret. Sed nec ex infinitis quidem numero, finitis vero intensione viribus, & per infinitas mundi partes dispersis, vagantibusque, vis ulla infinita intensione exsistere potest, quemadmodum est per se perspicuum: plures enim vires tum majorem procreant, quum uni indivisibili puncto applicantur omnes, id quod mechanicæ tirones norunt. Qua ex re conficitur, ut æterna non possit esse vis universi, quæ & finita est intensitate, & varie temperatur fingiturque, & usu ipso pluribus in membris absumitur.

II. Unum illud est *aggregatione*, non *substantia*. Quum nulla sit corporea universi pars, quæ ab alia parte intrinsecus pendeat, cujusque propterea *essentia* & *subsistentia* sine alia parte intelligi nequeat; efficitur ut tot universi sint substantiæ, tot una, quot in partes est illud secabile. Nisi ergo unum quum dicunt, ordine ac structura intelligant, quid sibi velint, omnes ignorent oportet.

III. Qui dicere possunt sine contradictione, unam esse universi substantiam *immobilem secundum totum*, sed mobilem *secundum partes*, *sive per intervalla numero infinita*? Nempe hæc una substantia, quæ Deus illis est, per intervalla infinita discerpitur, sed una interim est, incorruptibilis ac necessaria. Quid est aliud *ludere par impar*?

IV. *Intelligens*, ajunt, *eminenti quadam ratione*. Scilicet infinite intelligens esse nequit, nisi *tota* sit *actu* ejus intelligentia. Quum autem sit intelligentia unius substantiæ immensæ; ubique est intelligentia infinita & *tota actu*; ergo hæc in nobis infinita & *tota actu*, qui ejus substantiæ sumus partes, seu potius eadem illa una substantia. At hæc & per se ipsa sunt falsa, & destruunt sequentia, *nec nisi levi similitudine cum nostra intelligendi facultate appellandum*. Nostra ergo intelligendi facultas nec illa est æterna & eminens universi intelligentia, nec ab illa quidem *necessitate natura* manans, quippe alterius generis, ut isti profitentur. Unde ergo? Meras igitur nugas agunt, ac imperitis naturalium rerum, hujusmodi veritatis, si diis placet, doctores, turpissime imponere student.

V. Tandem enigma illud, nisi Œdipus expediat, intelliget profecto nemo, *cujus partes integrantes semper eadem* (idest, ut ex sequentibus fit perspicuum, immobiles & immutabiles), *ut partes constituentes in motu*. An ne aliæ *constituentes*, aliæ *integrantes* universi partes? Quæ demum utræque? Quas igitur resecueris, illo incolumi? Adeo ne parum perspiciunt qui tam superbe ceteris tamquam cæcis illudunt? Sed rem est agere supervacaneam eos studiose velle refellere, qui nec se intelligere unquam potuerunt, & cum impietate homines ludificare voluisse videntur. Nam pluribus id refellere, quod manifesto falsum est, scribenti juxta & legenti tædium molestum affert. Illud addam, maximum esse argumentum falsi systematis quum id nec connecti potest nisi per enigmata; nec defendi sine absurdis. Veritas enim per se ipsa lucet: falsitas

ſitas nemini propinari poteſt, niſi tecta, ut ne ſuboleat quiddam haurientibus. Mirum igitur eſſet, potuiſſe hoc ſyſtema ulli placere, præſertim philoſopho, niſi exploratum eſſet, homines aut animi perturbationibus commotos, aut melancholico temperamento præditos, ea magis interdum venerari ſolere, quæ minus intelligunt: quippe eſt hoc agitati turbatique judicii proprium, ut quidvis arripiat, quo ſibi ſatisfacere poſſe putat.

Illud hic poſtremo Pantheiſtas rogaverim, qui, niſi joco, & ſempiternum, & immortalem, & beatum, omnique voluptate affluentem Deum dicere queant, ſi Jupiter eſt *quodcumque vides, quocumque moveris?* Nihil beatum eſt, cujus animus non ſibi ſit conſcius, nullo ſe angi dolore, nulla moleſtia, nulla ægritudine differri. Quæ ſi quis in hoc Pantheiſtarum Deo locum habere poſſe exiſtimat, næ is in cæcis corporis animique tenebris vivit. Deridet Cicero, ac jure meritoque deridet, Syros, Ægyptioſque, qui omne genus beſtiarum conſecraverant: deridet Græcos Latinoſque, qui fruges Cererem, vinum Liberum dixerint, utque deos coluerint: *ecquem*, inquit, *tam amentem eſſe putas, qui illud, quo veſcatur, Deum credat eſſe?* (a) Quod ſi atomi, reliquaque materies mundi æterna eſt, & aut Deus, aut Dei corpus, non quo veſcimur tantum, alimurque, ſed quod excreamus, ſecernimuſque per alvum; quod pinſimus, conterimuſve: quod ſecamus, clavis figimus: urimus, aramus, vomereque ſcindimus (ecquis finis?) qualis eſt iſthæc ejus beatitudo? Ecquis ſe talem Deum haberi velit qui tantis, non dicam injuriis, ſed moleſtiis, ipſe ſeſe conficiat, emaceret, enecet perpetuo? Eum ne nos & immortalem, & perpetuo beatum dicere auderemus? Quid vero illa? Ut alibi nimio frigore rigeat, & contabeſiat: alibi nimio ardore deflagret: hic magna voluptate demulciatur; illic laceretur dolore: uno tempore lætetur, mœreatque: ſtet, ac velociſſimis curſibus ſeſe circumagat. Quis finem dicendo faciat, ſi omnia complecti enarrareque velit? (1) Sed mittamus ejuſcemodi deliramenta.

Prius vero quam manum extremam huic diſſertationi impo-

(a) *De nat. deor.* III. 16.

(1) Pluribus hæc ac minutatim ſolerterque diſſeruit Balius in dict. Hiſt. Crit. art. Spinoza.

imponam, scrupulos binos, quos quorumdam injectos animis scio, revellam. Primum quærunt, qua re pantheisticum dogma a christiano distat; aut minimum a Stoico? Nam sunt qui invidiose dudum vulgavere, eodem christianos theologos revolvi cœno (1), eoque, post omnia rationis emensa spatia, postremo iri ab iis, qui Metaphysici appellantur, quo Pantheistæ. Mentem æternam ingenitamque, infinita pollentem & intelligentia & efficientia Spinozæ liberi, Stoicique profitentur: profitentur Christiani. Eam mentem per omnia ire, implereque omnia, non vi tantum, actioneque, sed natura, *ουσια*, *substantia*, & Christianorum dogma est, & Stoicorum idem, atque Spinozistarum. Insitam rebus esse intelligentem hanc, efficientem omnia, progignentemque substantiam, nec agere efficereque quicquam nisi præsente natura, est utrisque ratum immobileque. Sed & in eo quoque consentiunt mirifice, nec esse rem ullam, nec ullius rei virtutem, nec agere quid ullam rem, nisi primæ illius causæ vi ac efficientia: quæ si minimum cesset, nullam rem agere, nec esse, neutra dubitat pars: adeo cum cujusque rei natura atque substantia videtur utriusque natura divina copulata ac permixta. Sed ne in eo quidem magnopere dissident, necessitate quadam ac fato ab illa, quæ fiunt, fieri omnia: nisi quod illi insita necessitate, seu potius naturæ quadam ubertate, ipsa se comprimere nescia, agere statuunt: nos insita immutabilitate: quarum assertionum hoc est, ut illi quidem affirmant, discrimen, quod, ne si velit quidem libere agere, seu potius non agere, aut aliter agere, eam posse, tuentur illi: nos, ne si velit quidem, mutari posse, ac postquam id agere, quod agit, itaque agere decrevit; aut non agere, aut aliud agere: illi, non posse Deum fata vertere: nos non posse nolle, quod semel placitum: postremo antecedente illi necessitate agi disserunt: consequente & hypothetica nos. Hæc quum sint, quæsivere a me sæpe viri quidam non admodum quidem docti, sed nec imperiti, religionis vero probitatisque satis metuentes, ecqua re hæc inter sese differant? quave re fiat ut ne Pantheistæ sint Christiani theologi?

Hoc ego pensi declinassem, si cum iis usque agere certum esse potuissem, qui aliorum libros, non transeunt, sed

(1) Pluribus hæc ac minutatim solerteque disseruit Balius in dict. Hist. Crit. art. Spinoza.

sed legunt: nec legunt solummodo, sed studiose pensitant: nam lectores quidem ego esse plurimos scio: qui libros studendo, comprehendendoque legant, quique sciverint consequentia antecendentibus connectere, admodum paucos. Quare his indigitemus saltem summum (nam immane quantum distamus!) utriusque partis discrimen: videlicet quod indigitasse tantum satis superque vel bonis etiam lectoribus, librosque, ut ita dicam, decurrentibus, fore existimo. Primum Deus, ut nos quidem docemus, ita mens est pura ac simplex, ut nihil sit in illa duplex, nihil concretum, nihil corporei, sed ne nihil quidem, quod ad corporum instar præformatum sit: cum contra animo corporeque Zenonis, Spinozæque Deus suapte natura constet. Deinde nullum corpus nullamque corporum materiem per se & ab æterno esse tradunt christiani; sed hæc esse primæ mentis nutu ac voluntate procreata, aut ex ejus imperio, cum nihil dum eorum esset, repente extitisse: contra, ipsa hæc per se esse æternæque menti coæva præcipiunt Pantheistæ. Tum per omnia pertendi Dei vim, naturam, substantiam, omniaque implere, comprehendique illa omnia, ut nihil extra illam ullibi esse possit, ipsi propugnamus; ita tamen, ut nulla cum re ουσιωδως (*substantialiter*) jungi misceríque sentiamus; quod illi affirmant, in eoque potissimum toto, ut inquiunt, cælo disterminamur. Quo porro pacto intelligi a nobis queat, pervadere omnia Deum, nec cum iis ουσιωδως permisceri, exemplo luminis, ignisque sæpe theologi nostri expediunt, quæ corpora cetera permeare constat, nec tamen ad naturam earum rerum, quas pervadunt, permeantque, ullo modo pertinere. Idem exemplo inanis spatii, si quidem est ullum, mirifice illustrari potest. Nihil sine Deo esse servarique, convenit inter utrosque; sed illis quidem constituentibus, partes mundi divinæ esse naturæ particulas, aut τροπυς, σχηματα *modos*, *formas*: nos effecta longe diversæ longeque remotæ naturæ; quod quam sit alterum ab altero dissitum vel stupidi sentiant. Jam vero nihil ne agere quidem quidquam, nisi Dei efficientia, utrisque perplacet: placet & illud, immutabilia esse in Deo omnia, immutabilique voluntate fieri, est nihilominus immensa inter utrosque intercapedo. Fluere ab illo omnia, ac, ut de fontibus aquas, decurrere, perennique necessitate, quasi de immenso oceano suapte natu-

ra in flumina rivosque erumpente, ajunt illi: nos sola voluntate progigni exsistereque: ipsam naturam divinam ob infinitam fœcunditatem quasi parturientem sese premere, ad opusque, non invitam quidem, sed necessario agi, defendunt illi: nos quia infinita, infinitæque fœcunditatis, se esse contentam beatamque: nihil extrinsecus parere, nec petere: ne concipi quidem id posse, quando simplicissima sit illa natura, semperque tota ac beata: infinitas rerum naturas sempiternasque mente habere eam delineatas: at quia fœcunda, bona, beataque, simili ab imagine, quo essent, quæ suæ essent beatitatis participia, voluisse ut mundus esset: eam ita tamen voluisse, ut potuerit nolle: ac talem voluisse, ut alium velle potuerit. Sed tantæ majestati non esse consentaneum, quæ semel voluit, immutare aut retexere. Ita idem perpetuo vult, idem non vult. Immutabiliter igitur vult, quod non fataliter, sed libero mentis arbitrio voluit definivitque. Quantum hæc inter se dissentiunt vel animi cæcus viderit.

Alterum nunc expendamus. Nec mundum, nec materiam mundi ullam Deum esse, aut ad eum quoquo modo pertinere, inde videmur efficere, demonstrareque plane, quod & immutabile sit, quod æternum est, necesse sit; & corpora, corporumque materies indesinenter mutentur. Utuntur hoc argumento jam pridem omnes, adhibuimusque & ipsi sæpe quum in Elementis parte I. Propositione 28. tum alibi. Ita videlicet decrevimus statuimusque: nihil quod ipsum per se sit, æternumque, mutationi ulli subjectum esse posse. Qua ex re illud præclare efficere nobis videmur, nec corpora, quæ *externam*, ut ait Lucretius, *plagam* capiunt, nec corporum primam materiem, mutationis ejus, quæ in corporibus est, ὁρμήν, ac fomitem & principium, ut vulgo arbitramur, per se esse, atque sempiterna. His tamen argumentis minime videntur Græci philosophi Latinique veteres admodum perculsi. Siquidem fuere qui corpora hæc, quæ elementa dixere, aerem, ignem, aquam, terrenamque materiam, ipsa per se ab æterno fuisse sibi persuasere: fuerunt qui, ut hæc æterna nollent, corpuscula tamen prima, atque particulas ἀτόμους, *insectiles*, οὐσίας, *substantias*, rerum omnium componentes, æternas esse, ipsasque per se semper extitisse docuerunt. Quid? rationis inconsultos dicemus?

mus? præsertim in re per se perspicua, si nostros audimus metaphysicos: iis enim ratum fixumque est, in perceptis, axiomatibusque censendum esse, *nihil quod per se sit ac suapte natura, mutabile ullo modo esse*. At axiomata adspernari repudiareque ejus est, qui rationis, non sit compos: nam hinc rationis tota vis enascitur, a perceptis nimirum, per se perspicuis, comprehensisque manifesto. Velut si quis aut inducere in animum nequeas, *bis duo paria esse τοις quatuor*, aut id velut falsum habeat, eum omni ratione privari necesse est, quæ non potest esse ulla sine dilucidis patentibusque principiis.

Hæc me cogunt, ut suspicer, esse in hac re, quod non satis aut explicatum sit, aut per se sit planum evidensque. Quumque ea res fulcrum sit totius hujuscemodi, quam cum profano genere quæstionem habemus, ut, nisi ad liquidum perducta, quidquam super prima mundi causa origineque liceat statuere; commentari ea de re paullo pluribus placuit, quam hucusque factum est: neque tam ut omnibus satisfaciam, quorum ego plures notionibus suis uti fruique libenter & concesserim, & auctor fuerim, si ad meliora contendere nesciant: quam ut subrepentem jam in me bonosque aliquot, ut dixi, scrupulum sarta ne tectaque ea sint, quæ hucusque perscripsimus, repellam.

Sed quæstionem primum definiamus, circumscribamusque. Quod ipsum per se est, æternumque, necesse ne est, ut omnis sit mutationis impatiens, ut perpetuo constanterque idem esse debeat? Tum variari mutarique dici possit id, cui licet nihil intrinsecus accedat, quod veteribus proprietatibus qualitatibusque substituatur, nihil decedat; formas, tamen, modos, situs externos sæpe mutat, diversosque subit? Demum si hoc ita sit, ut ponitur, fiat eo, ut nec corpora ulla, nec corporum prima materies per se sint & æterna? Ac in prima illa quæstione consentientes nostros habemus, ut dixi, Metaphysicos (*a*). Id sic efficit Christianus Wolffius. Quod ita est, ut non pugnet adsciscere admittereque in se alia ab iis, quibus est, quod est, id mutabile est, ac *contingens*: si pugnet, *necessarium*, minimeque mutabile: nam quod pugnat, cum necel-

(a) *Vide Sam. Carck. de exsist. & at. D. cap.* IV. *prop.* III. & *Wolffium Ontolog. part.* I. *sect.* III. *cap.* III.

necessario pugnet, necessario immutabile, invariabileque est. Quod autem ipsum per se ingenitumque est, pugnat genitum procreatumque esse: necessario ergo per se est & ingenitum. Porro hoc quod per se ingenitumque est, aliquid profecto est, nihil enim quod est, necessario immutabiliterque nihil est: est ergo aliquid tam per se, ingenitumque, quam est, ingenitumque est: igitur necessario est quod est. At invariabile immutabileque est, quodcumque necessario est id quod est; qua ex re fit ut quod minime procreatum factumque est, invariabile sit ac immutabile. Itaque qui quod per se est, nec ullo modo factum procreatumque, mutari posse affirmant, ii pugnantia, contrariaque simul esse posse fatentur, in eoque ab omni sunt extorres ratione.

Præclare omnino, cumque veterum omnium philosophorum consensione approbationeque ita conclusum est; nam & illi hoc sciscunt, eodem modo semper se habere æterna; nec, quoniam æterna sunt, aliud esse posse ab eo, quod sunt. Sed illud nunc videamus, an etiamsi nihil intrinsecus accedat rei aut decedat, quominus aliud sit, quod jam fuit; tamen ad rei ipsius variationem mutationemque pertineat, quidquid extrinsecus adsciscitur, seu forma sit, figuraque seu actio, seu ulla cum aliis conjunctio. Pertinere nobis videtur; eodemque argumento effici arbitramur, quod per se est æternumque, ne his quidem schematων variationibus subesse posse, quo illud, non posse aliud ab eo esse, quod est. Itaque & hoc quoque cum animi clara ratione pugnare nobis persuasimus, ut ulla extrinseca mutatio æternis accidat.

At hæc magnis illi Græciæ Geometris, Pythagoræ, Democrito, Platoni, Aristoteli, Archimedi, compluribusque aliis adeo non pugnantia visa sunt ut dubitaverint quidem, materiam atque elementa, quamquam ingenita, suapteque natura existentia, & nihil esse posse, quam quod semper fuerunt, & infinitas interea in mundo formas, externasque hujuscemodi variationes posse subire: quos ab omni extorres ratione fuisse dicere, vereor ego utrum is velit possitque, qui ratione non sit captus. Aut est igitur in ea quæstione aliquid non satis definitum declaratumque; aut nulla certa claraque ratione id a nobis demonstratum est, quod esse confidimus.

Ait Wolfius: quod ita est, ut pugnet non esse, id neces-

necessario est: pugnat autem quod æternum est, æternum non esse; quod igitur æternum est, necessario æternum est. Hæc ne momus quidem mussitaverit: nec tamen dum causam adjudicant: internam enim necessitatem aut exsistentiæ, aut naturæ pervincunt. Jam pergit. Quod æternum est, aliquid sit necesse est; quod enim nihil est, necessario nihil est: at quod aliquid æternum est, necessario id est, quod est; sunt enim *essentiæ* necessario id quod sunt; necessaria igitur rei omnis æternæ essentia est, ac immutabilis propterea invariabilisque.

At ita illi excipiunt, ut fateantur quidem, quod æternum est, in eo quod ab æterno est, insitumque habet, pugnare aliud esse quam quod est: sed nihil vetare ajunt, ut quod æternum sit, cum aliis item æternis ingenitisque mistum copulatumque, aliud, quam est, efficiat. Neque vero hanc ob rem quod insitum ei est, variari mutarique concedunt; etsi copulatione cum aliis aliam formam figuramque habere videatur. Quo modo linea necessario ac perpetuo linea est, nec quidem aliud prætera, idest nec lata, nec profunda: lineis tamen latæ primum figuræ, mox ex latis profundæ generantur; quod cum accidit nec linea id esse desinunt, quod sunt, nec superficies. Nec aliud in numeris: nam 2, 3, 4, 5, 6, necessario hoc sunt, quod esse figurareque positum est: at copulati junctique alii aliis aliud ab se efficiunt longe diversæ & naturæ & potestatis; nec tamen quum fit, aut duo esse duo desinunt, aut tria, tria, ac cetera itidem. Atque ita in tertia quoque disceptationis parte a nobis descrepant. Atomos, ajunt, æternas si sinamus esse; necessario erunt æternæ necessarioque ac perpetuo quod sunt, simplices, individuæ, æternaque efficientia præditæ, eademque semper. Eæ tamen aliæ aliis adjunctæ primum elementa majora progignere possunt, deinde reliqua corpora. Quod efficientes & æternæ esse perseverant, & id quod fuere semper. Nihil, quod insitum æternumque in illis est, mutatur; eaque, quæ nobis variatio mutatioque videtur, item, ut in lineis, numerisque, extrinseca est, atque ab earum natura aliena. Quæ si cum Wolfiana illa ratione consentiunt; efficiunt, nec verum esse extrinsecas mutationes, ei, quod æternum est, accidere non posse; nec, si id non pugnat, pugnare corporum primam materiam esse æternam.

Quum igitur in prima quæstionis parte satis omnes recen-

recentes veteresque philosophi consentiant, illud pervestigemus, utrum hæ, quas veteres externas tantum mutationes vocant habentque, esse ullæ in æternis possint, quin interna quoque variari mutarique sit necesse: nam si hoc efficiatur; ab externa quoque variari mutarique immutatione alienum sit, quod æternum est necesse est.

Ecquodnam autem ex metaphysica auxilium arcessere possumus? In iis enim rebus, quæ sensibus carpimus, nulla est ejusmodi, ex qua de rei æternæ natura conjectare licet: supra vero hæc sapere, confictisque notionibus æterna velle admetiri, admodum ego periculosum, aleæque plenum arbitror: nam aliud est scire hinc, sit necne res ulla æterna, quod profecto licet; quando nihil ex nihilo fit: aliud, cujus sit illa naturæ, in quam penetrare ex nostris qui possumus quum longe alia vis esse debet & substantia genitarum ingenitarumque rerum. Sed videamus quæ affert. Illa vero duobus id adminiculatur. Primum: nihil, quod æternum ipsumque per se sit quidquam extra se emanare posse, ac veluti parturire: totum una est, secumque, atque simul, quod ipsum per se est, ac necessario. At atomi illæ si quidem ipsæ per se aliæ aliis jungantur, copulanturque, vim emanent perpetuo, qua jungantur, modosque ac formas inducunt indesinenter novas, necesse est: sin quidquam ex illis defluit, ne per se quidem conjunguntur, conjungique nullo pacto possunt, nec majora elementa, atque corpora conficere. Ergo si expirat aliquid ex illis fluitque, æternæ non sunt: si non, mundi materies prima esse nequeunt: siquidem hæc infinitis modis subigatur, misceatur, copuletur, sejungatur denuo, depellaturque, idque non sine actione aliqua necesse est. Tum quis est, qui διαρροιαν hanc (*emanationem*), perennemque fluxionem ex re ulla animo comprehendat, nisi una aliquid ex ejus rei sinu atque essentia defluere intelligat? Siquidem nulla vis aut actio est, quæ nullo subjecto contineatur atque sustentetur. Si quidquam igitur ex æterna re emanat, nec simplex est illa, nec individua, nec insitæ mutationis expers: si hæc est, nihil inde defluit: ne externæ igitur quidem mutationis patiens ipsa per se est. Ex ideis hæc nostris edisserimus: sed unde edisseremus? qui ejuscemodi philosophiis minime sibi satisfacit, nullâ is satisfacere potest. Illi certum igitur decretumque est non plus sapere quam pecudes. Cum

istius-

istiusmodi vero hominibus omnis nobis vetita oratio est abruptaque.

Alterum est hujusmodi. Quod sempiternum est, perque se, & naturæ ipsius necessitatem exsistit, quemadmodum ut exsistat a natura habet, ita ut totum simul eadem naturæ necessitate exsistat. Nihil in illo esse potest, aut suspensum indefinitumque, aut possibile, quod ad ejus attinet naturam: neque earum rerum simile esse potest, quæ tempore explicantur, perficiunturque. Cum a se sit & per se, nisi una simulque tota ejus exsistat natura, statimque perfecta, atque ab æterno, cujus illa adjumento, qua causa extricante ad suam perfectionem contendet? Tum quanto, ut id plene fiat, indigebit tempore? æterno, puto, aut nullo. At æternas ponimus ejusmodi res: ad terminum usque agendo seque extricando pervenere jam igitur: ex quo fit, ut plenæ perfectæque nunc sint, omnibusque absolutæ numeris: nullum igitur amplius externum modum, nullam formam figuramque accipiunt; quia nihil amplius extra parturiunt, nihil emittunt. Quod si ita est, quis non videt hujusmodi atomos, quibus mundi constat universitas, æternas ac per se non esse? Aut ergo non totum simul sit æternum necesse est, id quod ἀπορρόν (*impossibile*) est: aut si totum perfectumque est, externa hac ἀποῤῥοίᾳ, *defluxione* careat, ex qua illa exsistit modorum, figurarum, conjunctionum, separationum, excursionum, impulsuum, atque ejuscemodi rerum aliarum, mutatio. Quibus ex argumentis effici plane illud videtur, quod æternum est, omni esse modo immutabile: nec insita solum perpetuo conservare oportere, sed nulli ne externæ quidem mutationi obnoxium esse posse. Nam quod de lineis numerisque proferunt exemplum, longe dissitum est, minimeque idoneum: quippe quæ si de Geometrarum promptuario promuntur, vim per se nullam habent, solaque Geometriæ ratione ea progignunt, ad quæ illi destinant: si de physica penu, in hanc, quæ in manibus est, decidunt quæstionem. Atque hæc super ejuscemodi disceptatione ex metaphysicorum libris percerpsimus.

DIS-

DISSERTATIO IV.

DE ORIGINE MALORUM.

I. SUNT ne ulla in tellure mala, quibus homines vexantur, conflictanturque perpetuo? Ac si sunt, ut sunt profecto (nam ego vix feram eousque quorumdam philosophantium audaciam pervadere, ut in re tam seria ac gravi irritabilissimo animalium insultent (1)) quæ eorum causæ orriginesque? Qua in re liceat mihi præfari, nihil esse hac quæstione facilius expeditiusque, si cum physiologis res transigenda sit: nihil molestius difficiliusque, si cum metaphysicis: dicerem inextricabilem, nisi quorumdam superbiam reformidarem, aliorum revererer auctoritatem, doctrinamque. Siquidem mala aut dolores sunt, aut vitia, crimina, delicta. Hæc omnia si physiologos rogas, naturæ deberi accepta satis aperte dilucideque illi docebunt: naturam autem dico earum rerum, quæ universo comprehenduntur, vim atque efficientiam. Nam quid potest esse manifestius, quam nos dolere, tum quia naturam doloris capacem habemus, tum quia ea rerum serie comprehendimur, agimurque, quæ necessarios in nobis dolores infligit? Præterea quum & liberi sumus arbitrii,

(1) Cicero libro de Finibus IV cap. 9. Stoicos dolores non in malis esse habendos, sed in *asperis, naturæ molestis, minime jucundis*, statuentes, ita more suo deridet insectaturque. *O magnam vim ingenii, causamque justam, cur nova exsisteret disciplina! . . . Hæc videlicet est correctio philosophiæ veteris & emendatio! Quis enim ferre possit ita loquentem eum, qui se auctorem vitæ graviter & sapienter agendæ profiteretur: cumque idem sentiret quod omnes, quibus rebus eandem vim tribueret, alia nomina imponentem, verba modo mutantem, de opinionibus nihil detrahentem? Patronus ne causæ in epilogo, pro reo dicens, negaret esse malum exsilium, publicationem bonorum? Hæc rejicienda esse, non fugienda? . . . In concione autem si loqueretur, si Hannibal ad portas venisset, murumque jaculo trajecisset, negaret esse in malis capi, venire, interfici, patriam amittere? . . . Quæ est igitur ista philosophia, quæ communi modo in foro loquitur, in libello suo? Præsertim quum, quod illi verbis suis significent, in eo nihil novetur, de ipsis rebus nihil mutetur: eadem res maneant, alio modo.*

trii, & ingentibus cupiditatibus, iracundiis, metu indesinenter, acriterque concitemur, ecquas alias vitiorum, criminum, delictorum causas exquirimus? Ita si cum iis hæc, quæ est in manibus, quæstio agenda disputandaque esset, qui supra naturam sapere aut verentur, aut non admodum solliciti sunt; quique in his, quæ manu prehendi possunt, investigandis cognoscendisque mortales occupari jus fasque esse arbitrantur: supra verò expavescenda omnia, nec valde curiose perquirenda; cum his, inquam, hic & cœpta hæc esset disceptatio, & ad exitum perducta. Unde algemus, aut æstuamus? quid esse potest clarius, quam quia & animantes sumus sensu præditi, & omnibus naturæ causis accidentibusque expositi? Unde injurii, aut inhumani sumus? Unde imprudentes, intemperantes, iracundi, invidi? Nempe quia ita natura comparati sumus, ut quemadmodum naves ventis, tempestatibusque, ita nos affectibus transducamur, quos cum ratione ac arbitrio regere deberemus, possemusque, ignaviter improbeque illis paremus. Quid attinebat tantopere esse curiosos, atque iis, quæ in medio sunt, spretis rerum hujuscemodi causis, extra mundi fines prosilientes, ea pervagari, unde ad nostra nullus sit amplius futurus reditus?

2. Interea his metaphysici contenti non fuerunt, remque eo adduxere, quo nemo oculos conjicere valeat: nec solum perdifficilem totam quæstionem facere, sed si per eos, quod sentio dicere licet, omnino insolubilem. Nemo quidem eorum dubitavit umquam hominum mala suas fixasque habere in natura causas. Sed cum constet, primam esse naturæ totius causam procreantem, servantem, moderantemque, Deum; omnibusque sit persuasum, & bonitatis esse illum absolutæ, & infinitæ & sapientiæ & potentiæ, inquisivere cupidius, prospicientiusque, quam par erat, qui sub hujusmodi rerum & parente & moderatore ærumnosi nos ejus liberi, subditique, & miseri, iniqui, pravi, scelesti, impii simus? Nam ita interdum disputant, ut efficere velle videantur, aut duo esse æque æterna mundi principia: aut hæc, quæ mala dicuntur, nihil esse aliud præterquam somnia: aut, si neque illa statuere, neque hæc inficiari queamus, ut nullus (quod exhorrescit dictu animus) sit Deus; aut quietum vivere ævum, nullaque nostri cura tangi.

3. Huc quum ventum est, mirum quam se philosophan-

phantium ingenia torserunt, quo nodum, quem nexuerant, solverent. Mihi nec mala pernegare nos posse videmur, nisi mendacissimi haberi velimus: nec de natura & providentia Dei suspicari, quæ nulla ex mundi parte non sese ipsa in oculos ingerit omnium, nisi stultissimi: & duo illa coæterna principia adeo extra omnem rationis campum projecta existimo, ut facilius credam fanaticos indoctosque homines commovere, trahereque in partem quam a philosophis percipi, comprehendique. Sed illud dicam audentius, nec clare diserteque hanc hucusque rem expeditam, mihi videri, nec si de ingeniolo meo dijudicem, dum hic agemus, expeditum iri (1). Quod ego ut apertum faciam, eorum primum hoc libello enarrabo sententias, qui & acri ingenio, & non vulgari diligentia industriaque, in id inquisivere: ostendamque nihil dum excogitatum esse, quod certos nos planosque faciat, nullam superesse, quam depellamus aut obscuritatem, aut molestam dubitationem: esseque sententias fere omnes aut parum cum divina natura consentaneas, aut ab humana, vel etiam natura rerum tota, plane abhorrentes: deinde quid mihi olim in animum venerit, quod dissertatiuncula evulgatum jam proditumque veteribus editionibus est, intactum ponam.

Sed quæstionem omnium primum definiamus, ac pure nitideque enucleemus. Sunt ne mala ulla? Sunt hercle vero, ac, quin necesse sit esse Leibnitianos, trium quidem generum, *physica*, *moralia*, *metaphysica*. Prima sunt dolores, & ægritudines: altera errores & peccata: postrema defectus rerum hujusce mundi a naturæ infinitate. Quod doleo, atque ægresco, *physicum* est malum: quod erro, peccoque, *morale*: quod longe absum ab infinitione naturæ, *metaphysicum*. Sed hic inceptant controversiæ. Ut infinita polleam ratione, naturæque copia & vi, efficere non potest prima universi inventrix, perfectrixque cau-

(1) Vide Arnob. lib. II. & Orig. c. Cels. lib. IV. S. August. lib. II. de Ord. cap. 17. *in rebus obscurissimis* eam quæstionem habet. Et lib. II. de Gen. ad lit. cap. 4. *Quæritur, cur Deus tentari permiserit hominem, quem tentatori consensurum esse prævidebat? Altitudinem quidem hujus consilii penetrare non possum, & longe supra vires meas hoc esse confiteor*. Huc igitur ego adesse illos jubeo, qui ex Plauto promunt.

Nihil tam difficile est, quin quærendo investigari possit.

Nam hic didicerint, quot sint, quæ quærendo difficiliora evaserint tamen.

causa? Nam si potuit, plene beatum facere potuit; quod cur, cum non solum bona, sed optima sit, omisit? Id fieri nullo pacto posse adsciscunt jam plerique omnes; quod quamquam nondum, ut ego arbitror, satis exploratum, demonstratumque sit, magisque consensu, quam argumentatione sit receptum (xxx); prætermittamus tamen, velut non admodum ad hanc disputationem pertinens. Esto igitur. Ita ergo fit, ut quo minus infinitus sim nulla sit in Deo culpa. Nam aut nullus sim necesse est, aut finitæ, circumscriptæque & naturæ & mentis. Natura ergo ipsa fit ut nequeam omnia nosse: ex quo porro exsistit errandi vis ac potestas; hinc peccandi; errat enim quicumque peccat: postremo dolendi, quæ sanctio est legis. Quæ potestas tolli nequit, nisi si aut infinitus procreer, quod non potest: aut minime rationis arbitriique compos, quod nec cum natura rationali, nec cum mundo congruit. Cur igitur facultatem peccandi insitam, ac naturæ adhærentem habeam, nemini obscurum incertumque esse potest; liber scilicet sum, ac finitus, mundi pars. Nec vero quia habeo, est ulla in Deo culpa; quando nec ad infinitatem pertingere naturæ potest quodcumque creatum factumve est; nec sine ratione, consilio, meæque adeo potestatis jure procreari me fas erat. Sed hic inextricabilis illa emergit quæstio. Non peto, inquit aliquis, a Deo ut aut infinita sim natura ac bonitate, aut finita, extra tamen erroris peccatique facultatem. Peccandi potestatem arbitriumque fecerit: cur ne peccarem retinuit? Quid? Potentia ne illi defuit, an sapientia, an voluntas? Non defuisse priora duo id persuadet, quod infinitæ sit & potentiæ & sapientiæ. Noluit ergo. Neque vero id dubium cuiquam erit, qui pensitaverit, extiturum non fuisse peccatum, si qui potuit, ac præscivit, impedire voluerit. Jam hoc duplicem habet disceptationem: ex ratione ne aliqua noluit, an nulla? Dicere Deum aliquid velle aut nolle sine ratione non modo desipere est, sed impium, quum is non sit, nisi absolutissima ratio. Ratione vero aliqua si factum est cur nollet, aut minor ea fuit ratione, qua impedire debuit; aut par; aut major. Ac si minor; bonus non fuit; quod vetat infinita ejus natura dicere: si æqualis, defuit ei cognitio, an potentia, quæ efficeret, ut

altera alteri prævaleret? quod item & est impium & nescio quam in divinis consiliis incertitudinem ponit. Major ergo fuit, ut si vetaret, aut insipiens esset & stultus, aut iniquus, minimeque bonus. Quo cum ventum est, intrepidi audacesque mortales, hoc expostulant, ut qua tandem ratione factum id sit rescifcant. Hoc Augostinus sibi ignotum esse ait, recinuntque idem sæpe veteres Christiani theologi. Arcanam eam habent, inque altissimis Dei consiliis. Hoc ego præsente dissertatione demonstrandum suscipio; nihil nimirum super ea re a nobis plane explorateque hucusque sciri. Nec tamen nego, quasdam esse philosophorum, theologorumque invectas positiones satis quidem illas probabiles ac verisimiles: certas, evidentes, ab omnique dubitatione remotas nullas esse ajo. Atque hoc velim lector sæpe ad animum revocet, ne me aut violatæ pietatis, aut desertæ provinciæ accuset. Sed propositum agamus.

Quid super ea re philosophi populique pagani senserint, eorumque sententiæ cribratæ diligenter.

SEd auspicemur a vetustissimis, quantum memoria repetere possumus, aut philosophorum, aut populorum opinionibus. Quæ de malorum origine aut integræ gentes crediderunt, aut gentium philosophi theologique excogitando ac commentando vulgaverunt, his comprehendi possunt: nam aut unicum universi mundi principium esse statuerunt, aut plura. Qui illud sensere, triplici sunt in classe positi. Alii quidem solam materiam æternam ac per se esse arbitrati sunt: cetera ejus esse dixerunt aut effecta, aut defluxiones. Eo in genere locant Democriticos (a). Quoniam ab hujuscemodi, nescio stupiditate dixerim, an impietate, longe & populi, & scholæ populorum reliquæ abfuerunt, totaque ea res superius confutata ac disterminata est, nullum hic mihi amplius cum iis erit negotium. Alii vero & mentem quandam constituerunt æternam: sed ei quasi sociam atque individuam dedere materiam. Qui item bipartiti sunt: nam quidam veluti membra esse mentis materiam elementaque opinati sunt, æternumque principium, non secus atque animantia cetera, corpore

(a) *Vide Arist. metaph. lib. 1. cap. 4. & 6.*

pore menteque compositum existimaverunt: sed a corpore tamen esse mala dixerunt; cujus opinionis Ægyptios facit Plutarchus inventores auctoresque: in ea certe plures fuere Græci, præcipue Pythagorici, ac Stoici: huic Arabes aliquot: postremo Spinozistæ. Alii non membra esse Dei corpora docuerunt; sed materiam, quam ille fingeret, & ex qua mundum fabricaretur. Quæ quum obstipa esset, ingeniique ardui; aut immensæ cujusdam voracitatis ac libidinis, ut nullo pacto aut domari plene, aut expleri posset, extitere mala. Ad hanc classem Platonici Peripateticique pertinent. Ad tertium vero genus ii spectant, qui rerum principium solam mentem posuere: materiam ab eo creatam, minoresque dæmonum hominumque mentes: mala aut ab æterna illa ac principe mente permanare omnia; quod Mahomedanis aliquibus placuisse & Calvinianis constat: aut alia quidem esse a materia finitisque rebus inseparabilia; pravo minorum mentium arbitrio inducta: quæ postremo magna alia sequantur, quibus in peccantes animas animadvertat parens ille atque opifex mundi Deus: qua in opinione ceteri sunt Christiani, non eadem licet ex causa rationeque. Quid igitur quique tueantur, ac qua via & ratione: atque utrum rem ejuscemodi, qui mala cum Dei sapientia & bonitate congruant, ac quamobrem ea permiserit Deus, extra omnem & dubitationem & obscuritatem posuerint, porro pervideamus.

Veteres populi, hominesque, ac theologi illi ut vocantur, Ægyptii, Æthiopes, Phœnices, Chaldaici, Græci, de rerum natura, mundique originibus, de Deo, deque bonis malisve geniis, ac *bono* adeo & *malo*; non tam philosophando curiose contenteque aut præceperunt, aut scriptitarunt; quippe moribus, ingenioque, & oratione rudes agrestesque: quam vetera memorando, attestandoque, quod hodieque faciunt Tartari, Huttentotti, Kanadenses, Mexicani, ac si quæ sunt aliæ sparsæ, ineruditæ, silvestresque gentes. Quæ si nulla aut oblivione minuissent, aut imperitis superstitiosisque phantasiis fœdassent, magnam, credo, essent illa fidem factura, quid primi mortales, mundoque coævi de bonorum malorumque prima origine expromserint, quidve isti ex illis decerpserint, derivarintque in posteros, non comminiscendo, commoliendoque sed accepta, insitaque

iis cum universi exordio, Enarrando. Quibus accedit, quod qualescumque illas vetustas rudesque traditiones non liceat nunc nobis haurire, nisi ex cœnosis græcarum fabularum lacunis: quæ ipsæ efficta olim ab orientis nationibus, ingenio præcalido, & vafro, mentiendoque facto; aut gypso plurimo ἱεροῖς γράμμασι, *sacris literis*, ab eorum sacrificulis obductæ, agresti deorum metu, an ne vera ab exoticis noscerentur (1); haud facile dictu est, quam

(1) *Disciplina arcani*, ut vocant, non adeo propria fuit priscorum christianorum; ut non omnium quoque veterum fuerit gentium, tantoque cautior, occultiorque, quo fuere agrestiores, eoque ipso superstitiosiores, metuentioresque divinorum, liceat ex præsentibus conjecturam facere. Ab Huttentottis facilius quidvis aliud expromseris, quam quid illi de Deo ac religione sentiant, quod pluribus edisserit Andreas Kolbi in *historia promontorii bonæ spei* par. I. cap. 12: *Il est vrai qu' il est extremement difficile d' arracher des Huttentots quelque mots sur leurs opinions & sur leurs ceremonies religieuses . . . . Ils les tiennent aussi cachées qu' ils les pouvent aux Europées: & lorqu' on les questione sur ce sujet, aussi bien que sur toute autre pratique reçue parmi eux, ils sont tres-reservez & cachent soigneusement la verité &c.* Scribit idem sæpe Lafiteau de populis Americanis. Veteres Romani, Græci, Ægyptii hoc fuere olim, quod hodie Huttentotti, Mexicani, Kanadenses. Arcani Romæ erant Fatales Sybillinique libri; Numæque volumina, quia secreta religionis dissolvere poterant, cremata, Livius copiose enarrat lib. XXXX. 29. Gellius lib. I. cap. 19: *Libri tres* IN SACRARIUM CONDITI *Sybillini appellati*: seu ad arcanum religionis, seu imperii. Græcorum mysteria quanta cura tegerentur, quantoque essent in eo Athenienses suspiciosi, duo Acarnanes juvenes interfecti, bellumque ob id Atheniensium cum Macedonis susceptum, satis testatum faciunt. Vide Livium lib. XXXI. cap. 14. Constat Latinam totam Græcamque veterem religionem ab Asia atque Ægypto coloniis commercioque deportatam. Vide virum antiquitatum studiosum doctumque Marshamum in *Canone Ægyptiaco*, & *Enquiry into the life and writings of Homer*. At Herodotus luculentissimus testis est, quam caute Ægyptii sacerdotes sacra absconderent ac hieroglyphicis involverent. Quin ipse occulta quædam revelare nefas duxisse sæpe scribit lib. II. τὰ ἐγὼ φεύγω μάλιστα ἀπηγέεσθαι, *narrare hæc*, inquit, *in primis devito*. Disserit idipsum Plutarchus in libro *de Iside & Osiride*. Qua de re plura scripsit Mosshemius ad Cudworthum *Syst. intell. univ.* cap. IV. §. 19. & Bruckerus in *hist. phil.* lib. II. cap. 7. Eamdem tribuit Judæis cautionem Josephus adversus Apionem. I. Quæ, plurimaque id genus alia cum veteres aperte, sæpeque testificentur, cui mirum esse potest, vetustorum populorum de religione sententias aut ignorari penitus, aut articulatim perverseque referri? Sed hunc ipsum morem Pythagoras sectatus est, Pythagoreique, quod & Philostratus, Jamblicusque diserte docent, & pluribus ostendit vir idem adprime literatus Jacobus Bruckerus in historia philosophica *in Pythagora*. Hæc, ut dixi, eadem primi Christiani factitarunt. Cyrillus Hierosolymitanus, seu potius quisquis *catecheses illuminatorum*, ut vocant, exscripsit, ad calcem præfationis pavide admodum lectorem obtestatur, ne catechumenis, iisque, qui non sunt christiani, legendas det, ἐπεὶ τῷ Κυρίῳ λόγον δώσει, *ne Domino rationem redditurus sit*.

quam incomtæ monstrosæque, neque ulla sibi parte cohærentes, ad posteros pervenere; ut non philosophum modo, atque istiusmodi germanarum gerrarum suopte ingenio fastidiosum, sed eos etiam, qui interiores curiose attenteque scrutantur & reconditas literas, avertere possint. Itaque non injuria, ut ego quidem arbitror, vasti vir ingenii Bolingbrokius decernit, Francisci Baconi Verulamii opus *de sapientia veterum*, intelligentius propriusque inscriptum esse oportuisse, de *veterum insania* (*a*). Quæ ego idcirco præfatus sum, ne quis a me id hoc in loco expectet, ut vetustas quoque hujusmodi fabulares traditiones commentitiasque versem perpendamque, quod ego haud in hac disceptatione admodum interesse puto: quæ illæ cumque sint, id in me recipi, ut prospicienter discutiam, litem hanc, quæ in manibus est, finiant, omnemque levent scrupulum, necne? Id si præstitero, pensum meum confeci, persolvique. Alioquin ego sic censeo, cum in aliis multis divinis rebus, tum in hac præsertim, illud Apostoli, quod usurpat Augustinus sæpe, præfari oportere, *incomprehensibilia judicia Dei*, & *investigabiles viæ ejus* (*b*).

Popularis gentium ac communis & vetusta opinio bonorum malorumque dæmonum geniorumque: ab his pleraque bona esse ac mala: a natura aut cujuslibet, aut mundi, reliqua.

Quæ dicta super hac re ac disputata sunt plurima & acriter, philosophos spectant, subtilesque scholas. Tam vero acute atque a sensibus longe haud ii philosophari didicerant, qui vitæ artibus studebant, totus scilicet reliquus populus. Sed ne sacerdotes quidem paganarum gentium illa oleum industriamque olentia metaphysicorum dogmata idiotis tradere commendareque pensi sui esse existimabant; putabantque tanto fore plebem religiosiorem modestioremque, quanto minus hæc obstrusa aut incomprehensibilia saperet: non disceptando disputandoque esse natam, sed agendo, vitæquæ commoditatibus inserviendo; esseque eorum religionem oportere tam crassam gravemque, quam vitæ labores. Sed & plebs ipsa ab hujusmodi

 subti-

(a) *Tom. I. Essay 2. pag. 343. edit. 1754.*
(b) *Ad Rom. xi. 33. Aug. de Civit. Dei xx. 1.*

subtilitatibus, ac novitatibus abhorrebat, solaque majorum traditione utebatur: de diis sanctius credere habebat, quam scire (1). Deum igitur patrem opificemque omnium esse credebant; major pars adeo bonum, ut hodie Huttentotti, Tartarique, ut nefas opinentur, ullum ab illo malum proficisci posse: ac præ majestatis amplitudine ne admodum quidem ipsum per se mundi esse sollicitum: quietum securumque vivere ævum; mundique curam minoribus diis, dæmonibus, geniis attribuisse. Hos esse partim bonos hominumque amantes; partim malos, invidos, vitæque humanæ hostes. Ab iis & bona innumera & mala esse. Sed & id memorabant, memorantque hodie agrestes populi plures, infando nescio quo majorum scelere factum, ut homines hæc mala paterentur. Furtum Promethei: Pandoræ ollam: cetera id genus Græci poetæ effingunt: sed simplicius barbari, nec minus obscure. Ceterum esse mala, quæ natura ferat, seu cujusque propria, seu mundi, infantiam, senectutem, mortem, frigus, calorem, alia ejuscemodi. Totam igitur hanc rem simplicissime & tradebant, & credebant. Quæ certe, etsi & obscura, & aliqua parte absurda; tamen, si per metaphysicos licuisset, omnibus illis Græcarum scholarum gerris anteferri debuere: nam illa metu obsequioque populos continebant, quod est in hac re præcipuum: hæ & metu liberarunt, & exleges impiosque fecere, impunitatemque vitiorum induxerunt.

Vetusti igitur illi populi id in vulgus magna consensione edidere, credideruntque, minorum deorum duo esse genera, hos bonos, malos alios. Quidquid boni præter naturam est, a diis geniisque esse bonis: mala item, quæ naturam non habent causam, aut ab iratis bonis, aut a diis geniisque malis, quorum hæc est vis, ut nequeant benefacere. Sed hæc de iis ferme bonis malisque, quæ fortunæ dicimus. Virtutem & vitia aut a se quemque suaque arte adipisci; aut ab nativo ferme ingenio benigno vel pravo (2); ingenium vero pravum, benignumque fata-

(1) Idem hodieque faciunt Huttentotti. Vide Kolbi. Idem efficiebant Peruani, ac Mexicani. Idem Canadenses.

(2) Cic. de nat. deor. lib. III. cap. 36. *Atque hic quidem omnes mortales sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliveta, ubertatem frugum & fructuum, omnem denique commoditatem prosperi-*

fataliter nobis contingere (*a*). Quid istuc sit fataliter, nec populis satis cognitum exploratumque fuit, nec sacrificulis, a quibus tota istæc theologia tradebatur: sed ne curabant quidem valde. At philosophi cum expedire componereque vellent, vulgares fabulas historicasque in philosophicas abstractasque converterunt, tanto obscuriores, aut deteriores, quanto subtiliores, ut postmodum demonstrabimus.

Illud demirari possis, quî non antiqui modo populi omnes in his perbelle consenserint, sed consentiant & præsentes, quacumque patet tellus: nec nunc cultos dico, sed barbaros quoque, agrestesque (*b*): nam & malos genios, & eos malorum primam esse causam, Ethnici, ut dixi, Græci, Latinique, Ægyptii præterea, Æthiopes, Arabes, Persæ, Indi, Scythæ, crediderunt: hodieque credunt, tum, quos commemoravi, tum Asiæ gentes omnes, & Africæ, atque Americæ: & Muhammedani, Christianique docent; nec ea in re admodum alii ab aliis dissident. In eo mirifice discrepant, quî alii mali, boni alii: quod commodius dictum fuerit. Sed & id præterea consideratione dignum est, nullum aut fuisse olim, aut nunc esse, eorum populorum, qui hæc conjiciendo, pervestigandoque se comperisse fateatur; omnes veteri Patrum traditione nituntur. Quin quidam fuere, qui a diis primum a se accepta tradiderint, eoque religiose servata.

Sed hæc apud illos interea non modo quæstionis nodum non solvebant, sed multo efficiebant involutiorem. Videlicet non de bonis tantum & malis hominum disserendum, disceptandumque his est auctoribus; sed ejus quoque rei reddenda aperiendaque causa, qui geniorum alii malefici, liberales alii ac benigni sint: quod nescio utrum hac, de qua agimus, quæstione sit facilius: certe multo est ea disceptatio plus extra sensuum, ac philosophiæ ambitum. Judæos & Christianos quidem hic excipio, quorum doctrinam loco suo exhibebimus. Ethnicos specto, Geniti ne-

 sunt

(a) *Vide Synesium lib. 1. de prov. initio.*

(b) *Huet. in Alnet. lib.* II. *cap.*

speritatemque vitæ, a Dis se habere. Virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit. Nimirum recte: propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute recte gloriamur: quod non contingeret, si id bonum non a Deo, sed a nobis haberemus: cetera, quæ ibi differit.

sint tales maligni aversique nobis cacodæmones, an facti? Ea in quæstione mirifice sese implicant tam poetæ, quam populi: ut non facile dictu sit, quod ait de Stoicis Cotta, *utrum poetæ populos depravaverint: an populi poetis dederint auctoritatem: portenta enim ab utrisque & flagitia dicuntur* (a). Genitos pravos plusculi fecere, atque adeo suapte natura esse malos, eosque e materia, malorum omnium apud hujuscemodi pestiumque sentina quadam. Eo & Manichæi eorumque soboles deflexerunt. At a se improbos factos & veteres quidam poetæ philosophique, & nos atque Muhammedani defendimus. Quam illud sit non modo incertum, sed pugnans, edisseremus commodius: hoc totum esse mysteriis tenebrisque involutum, si e sola ratione definire velis, suo loco ostendam.

Primum systema Ægyptiacum, pantheisticum, ut Bruckerus opinatur.

QUum Ægyptus parens altrixque ejuscemodi theologiæ fuerit, quæ postmodo per orientem occidentemque longe pervagata est: age vero, inspiciamus hic perdiligenter, quid illi de boni malique origine aut senserint, aut tradiderint. Exordiamur autem ab ea Isidis inscriptione, quam veteres historiographi plures in templo urbis Saidis repertam scribunt, *Ego sum omne, quod exi-stit, est, erit, meumque peplum nemo adhuc mortalium detexit* (b). Gudius ad Phædrum (c) Capuanam hanc eodem retulit.

TE TIBI
UNA QUÆ
ES OMNIA
DEA ISIS
AERRIUS BALBINUS V. C.

Qui hæc physice interpretantur, Græci autem, in primis Plutarchus Chæroneus, diligentissimus veterum doctrinarum vestigator, ad rerum naturam spectare docent, conjectando tamen, quod est in historia, corrum-

(a) *Cic. de nat. deor. lib. III. cap. 38.*
(b) *Vide Plut. de Iside & Osir.*
(c) *Fabula 19. lib. 3.*

rompendo aptius, quam statuendo. Isis igitur prima est mundi materies, ingenita, immortalis. Sed nihil per se agere existimavisse Ægyptios credi jubent, esseque principium παθητικον, *passivum*. Verum junctum ei esse, quasique æterno connubio copulatum vinctumque Osiridem; idque esse το ποιουν, *activum*, *efficiensque*. Quæ hinc procreantur, seu mundi partes, seu elementa, seu plantæ atque animantes, Orum appellata. *Isis*, inquit philosophus Chæroneus, *receptaculum est: Osiris αρχη, principium: Orus effectum* (a): *mala typhon*. Totus mundus, e tribus scilicet junctus conflatusque, divinum quiddam est. Hæc ita, ut diximus, intelligenda esse censet Bruckerus; ac Spinozistas, minimum Stoicos (1), veteres fuisse Ægyptios contendit. Jam, ne quod agimus, prætereamus, ea ex mixtione connubioque bona malaque fataliter nasci iis persuasum decernit.

Mea parum scire nunc refert, ita ne hæc senserint vetusti illi, agrestes, ineruditique populi, quæ sentire eos Græci tradunt, an prosopopœas Ægyptiacas, crassasque veterum mortalium imaginationes ex subtili Græcarum scholarum genio, ac Platonica, Peripateticaque & Stoi-

(a) *De Iside, & Osiride.*

(1) De Stoicis sæpe dictum. Adjiciam hic locum Plutarchi *adversus Stoicos* illustrem. Ex omnibus diis solum Jovem immortalem, perque se existentem habuere Stoici. Jupiter illis est omnia

Ζευς αρχη, Ζευς μεσσα, Διος δ' εκ παντα τετυκται.

Principium Jupiter, mediumque, cunctaque ab ipso.

Dii reliqui & geniti, inquit, sunt ex eorum sententia, atque e Jove, omnesque, quum moriuntur, in Jovem καταναλισκεσθαι, *resolvi docent*, velut, credo, in immensum, unde oborti erant, sinum. At scitum est Jovem Stoicorum esse ætherem, primævum nempe, & elementarem, ut hodie vocamus, ignem. In hunc Jovem, idest æthæra, abire post mortem hominum animos vetustiores Zenone alii scribunt, in primis Euripides, cujus plura ejuscemodi dicta protulit Clericus ad Ecclesiastem XII. 7. An emphaticum hunc scribendi loquendique modum ab Oriente accepere Græci, unde plura alia theologica? Certe erat ea phrasis in usu apud Hebræos cum homines mori dicere colebant, ut insignis hic locus Salomonis Eccles. XII. 7. satis ostendit. Vulgatus. *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat; & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Quo in loco LXX. bis verbo επιστρεψω utuntur, *redire, converti*, haud absimili τω καταναλισκω, si vim & potestatem spectemus: Euripides veteri απελθω. Qui si inde phrasim accepere, videntur durius locuti, quum ita usurparunt, quasi si unica substantia mundi animans fuerit Deus aut si ita intellexerunt, ut loquebantur, veteres traditiones pervertisse.

Stoica philosophia æstimaverint, quod potius puto (1). Illud inquiram, an hæc unitas mundanæ substantiæ ad hanc,

(1) Quid aliud de mundo & Deo imperitos venatores, pastores, rusticos, literarumque omnium ignaros disserere, aut potius balbutire potuisse credemus? Nam eodem ferme modo eos loqui discere possumus, qui recenti memoria barbari a nobis detecti cognitique sunt, Peruani, Mexicani, Tartari, ac id genus alii. De Peruanis Garcilasso de la Vega historiæ Peruanæ lib. II. cap. 2. Præter solem ait, *Pachamacac* quoque veteres Peruani Reges cognoverunt: *ce nom est composé de* PACHAT, *qui signifie le* MONDE, *& de* CAMAC, *qui est un participe du temps present: du verbe* CAMAR, *qui signifie* ANIMER, *le quel tire son etymologie du nom* CAMA, *qui veut dire l'*AME. *De sorte qu'en joignant ces deux significations ensemble, le mot* PACHAMAC *designe, celui qui est l'ame de l'univers, ou bien, celui qui est à l'univers ce que l'ame est au corps.* Tartarorum quoque eadem pene est lingua. Quamquam ego jure dubito utrum Græci hæc, quæ de Ægyptiis aliisque gentibus retulerunt, de jecinore suo scripserint, an nitide fideliterque eorum interpretati sint sententias. Norunt vel pueri orientalium linguarum, omnia in illis vocabula propria, deorum, urbium, locorumque ceterorum, hominum, animantium pleraque, præter sonos, quibus res illas exprimunt, habere ampliores significationes, ac vetustiores, unde depromta sint. Ita ex. gr. Aaron *montanum*, Moyses, *ex aqua extractum*: Adam, aut *rufum*, aut *elegantem*: Heva *vitam*, aut *viventem*. Satis vero constat ex Herodoto & Diodoro Siculo, vix ullum eorum vocabulorum a Græcis suo sono usurpatum, sed ex vi & potestate in Græcum simile translatum, quod barbara cane pejus & angue caverent Græci scriptores. Mercurius ne in terra ægyptia Ερμης, Bacchus Διονυσος, Jupiter Ζευς, Mars Αρης, Venus Αφροδιτη, urbs ulla Ηλιοπολις appellata fuere? Nisi si Ægyptios græce loquutos statuere velimus. At hæc numina cum hisce vocabulis Ægyptios coluisse Herodotus tradit. Vertere igitur instituit in similia, ut par est credere, similisque potestatis, Ægyptiaca. Quod cum jam factum usurpatumque esset, recentiores Græculi ex græcis radicibus eorum vim exquisiverunt: ut si judaica illa vocabula latine vertamus, *montanum*, *aquaticum*, *rufum*, *viventem*: postremo philosophantes latinas radices exquiramus, cogamusque veteres Judæos latine sapere. Quo nomine Isis apud Ægyptios appellaretur quis nunc certo dixerit? Isis ελληνικη γαρ εστι, græca vox est, ait Plutarchus. Quumque ειδω, a quo est, *scire* significet; conficit inde, fuisse eam *eximie sapientem*, *& rerum cognitioni deditam* (Initio de Iside & Osiride). Hinc nulli alteri numini potius, quam huic, scientia competit & cognitio. Item Typhon Τυφων πολεμιος τη θεῳ, *inimicus infestusque Deæ Isidi*, ignorantiam superbiamque significat: quod & τυφω sit fumi ignisque tempestatem excire: & τυφος, sæpe *res inanis*. Quædam jam vetera Ægyptia, ac Phœnicia vocabula retinuisse videntur; sed adeo pessime multata, obtruncata, deformata, ut vix primos eorum vultus discernere queamus: qua in re demonstranda totam ferme vitam consumsit vir magnus Samuel Bochartus. Quanti igitur sit facienda Græcorum auctoritas, præsertim recentiorum, quum de orientali theologia disceptatur, satis ea ostendunt. Quibus hoc addo, non consentire inter sese veteres super istiuscemodi Ægyptiorum fabella; quod & Plutarchus satis indicat; & Sy-

hanc, de qua agimus, quæstionem perdissolvendam idonea sit, sitque cum humanis rationis dogmatis consentanea. Quod & alias, & in superiori dissertatione copiose disseruimus; hic tamen paucis e re nata disputabimus.

Quorum hoc sit primum, quod qui ita statuunt, quæstionis nodum non solvunt, sed cædunt; quæ tum est aliqua, si Deus est mundi architectus, fabricator, parens, moderator. Si nihil aliud est Deus præterquam rerum natura, corpore atque animo constans infinito, necessario sese premens, atque ad opus externum agens; cum physicis quæstio erit, non cum metaphysicis. At cum illis omnis est & explicata & definita lis: a natura enim *αμεσως immediate* esse mala quis unquam dubitaverit? Neque enim huc usque, quærenti cur latere, cur capite, cur articulis doleamus; cur igne adusti, ferro lacerati excruciemur; hærentem dubitantemque physicum vidimus quid responderet. Nec si vel de trivio roges, cur parricida quisque, cur proditor patriæ, cur adulter, latro, avarus, impius sit, sibi ob rei difficultatem conticescendum vel momentum putet: nam & liberi sumus, & cupiditate, ac libidine urgemur. Illa igitur quæstio est, cum Deus optimus maximus, & fecerit omnia, & nihil non suo numine hic fieri velit, cur hæc sint mala. Quid? Eorum est inscius? auferre nequit? non vult, & quidem sine ulla ratione? Quorum cum nullum dici possit, quin divina natura convellatur; Theologum Metaphysicumque exquirendo fatigent necesse est.

Sed quoniam & fuerunt olim, hodieque sunt, qui hocce filo ab eo labyrintho evadere se posse arbitrantur, alterum, quod hic considerari velim, est hujusmodi, sit ne videlicet ea positio talis, quæ cum hominum ratione consen-

& Synesius *de providentia* lib. I. qui aliter hæc narrat. Postremo & illud ignorare me fateor, qui hic pantheismus, quem Ægyptiis Bruckerus tantopere affricare studet, cum metempsychosi, cujus illi fuere proculdubio assertores, in concordiam adduci possit: humanas animas, postquam e corporibus excessere hominum, in belluarum corpora migrare, perque ea tam diu circumgyrare, quousque veteres sordes eluerint, ut puræ castæque ad deos remeare possent, omnes qui de rebus Ægyptiacis scripsere, tradunt. Id nisi cum illo systemate pugnat, profiteor me nondum hunc locum, quem *pugnantium* vocant, intellexisse. Sed nonne & Plutarchus manifeste tenetur, qui postquam pantheistas Ægyptios fecit, animas, ex eorum ait opinione, in communem locum, quem Amenthen vocari scribit, inducit, tanquam in *ᾅδην*, *inferos*, Græcorum? Quod & scribit Herod. Quæ si quis cum priori illa sententia *unitatis naturæ* stare posse credit, is quadrata rotundis congruere fateatur oportet.

sentiat, neque ulla ejus dogmata convellat? Pacatos nos postremo animo efficiat, revellatque scrupulos? Nihil minus. Id quod superius satis explicitum ostensumque est. Nam nihil de Deo stultius inconsideratiusque dici unquam potuit, quam hoc, quod Spinozistæ obtrudere, invita ratione, amant, ut tota nimirum natura sit Deus: nulla umquam philosophorum sententia gravioribus fuit absurditatibus subjecta, quam est hæc. Quam ut in animum non solum non obstrepente, sed nec mussitante, quin obsequente ratione, inducamus, exuendus est ille prius non modo iis rerum notionibus, quas informat in eo continenter mundus, sed intellectu, mente, communi denique sensu; ut tot secum pugnantia in unam rem naturamque componere possit.

Tertium nunc addamus. Si Deus non est, nisi una totaque rerum natura, ea mala, quæ seu inviti, seu lubentes patimur, non magis nostra, quam sua sunt; quin tota sua, ad quem nos velut particulæ magni animantis pertinemus. Non igitur illud nunc agitur, qui nos improbos miserosque, sed qui se, suaque membra velit. Quid? non ea sentit animadvertitque? Quasi vero magis animantes ac rationales possint esse ejus partes, quam totum animal; qua absurditate nulla esse potest crassior. Illis ne oblectatur, itaque eam ob rem voluptate perfunditur, ut nos doloribus adflictemur, nec cohibendas putet, ne minus si beatus? utque toti volupe sit, quod urit, premit, laceratque partes? Hæc si quis dicit, ei ratio e diametro nobis adversa sita sit necesse est. Cum eo autem, qui ad nostrum genus non pertinet, quæ nobis esse potest disceptatio? An ut quemadmodum nequit nec sentire, nec animadvertere, ita patiatur inventus, ut perpetuo sit ærumnosus? Non igitur a se patitur. Quis enim perennem, æternam, molestissimamque tantam dolorum vim & ægritudinum inferat sibi ipse per se, ac videns, prudensque? Nisi si ille æternus animus nihil in se ejus naturæ habeat, quæ est in nobis, qui illius sumus, aut evolutiones, aut effluxiones. Si patitur ergo vim, atque ab altero, primus non est, nec sempiternus: aut si æque primus ac sempiternus: dignitate ac potentia minor: quorum neutrum dici potest, quin alteri subsit, ab eo rapiatur captivus ac miser. At hæc & Spinoza ipse aversatur velut nec cum primo Ente, nec cum infinita ejus natura consentanea; & cum tota & ratione & posi-

tione pugnant. Nam, si a materia, a suo nimirum corpore, patitur; est igitur materia res illa prima, æterna, rerum genitrix, & domina: huic sui ipsius mens, animus, sensus utcumque coævus, paret. Non animus illam, ut par esset credere, fingit, tribuit in partes, digerit, moderatur: sed hunc illa. Quod intelligi nullo alio modo potest nisi si hic ex illa gignatur, manetve, quo modo malignos suos genitos ex materiæ utero prodire Manichæi finxerunt: nam si coæva sunt, quis sibi persuadeat passivum inersque activo efficientique dominaris? Quo quum ventum est, illud primum interrogabo, qui ex bruta, stupida, minimeque sentiente materia mens extiterit? Nemo id, puto, fatebitur, cui mens constiterit. Ac si tueri pergat, fateatur quoque necesse est, esse posse ex nihilo aliquid. Tum rogabo ea, quæ supra dissserimus, etquam hi materiam dicunt æternam? elementa? atomos? aut si has secabiles habent, insecabiles monades? An quod Platonici, Peripateticique, ne tacerent, credo, commenti sunt, rem externam nullisque circumscriptam limitibus, nec tamen quidquam præter puram simplicemque extensionem? Postremum hoc arripuit Spinoza, qui *corpora rem* esse longe *materia* diversam docuit, hancque ad naturam Dei pertinere, non illa. Ab eo igitur quæro, unde corpora? qua ratione primum esse cœperint? Cur esse cœperint? Nisi etiam essent, ne res quidem essent ullæ singulares, nec mala postremo. Mire hic turbat omnia; nec ego intelligo, qui ex his ambagibus extricare se quisquam possit. Nam modus esse, aut emanationes primæ substantiæ, si quidem hæc unica est, & simplex, tantundem mihi esse videtur, atque si quis Geometra contendat, triangula, quadrata, circulos, cubos globos puncti esse geometrici aut modos, aut emanationes, aut inanis saltem spatii. Ac dixere illa veteres nonnulli, Kabalistæ in primis, unde Judæus homo sua sæpe mutuatur. Sed enim non is ego sum, qui quæram quid quisque dixerit: sed utrum sibi cohærentia: utrum rationi consentanea.

Sed quando huc nos devexit oratio, dicamus porro paucis, quemadmodum hic tanti paradoxi assertor, de bonorum malorumque origine philosophatur; ne quid indefensum omittamus quod ad hanc causam pertinet. Patiuntur ne homines mali quidpiam? patiuntur hercle vero:

nam (ea est hominis philosophia) non nisi patiendo mali sunt: agendo boni. Patiuntur vero, *quia naturæ partes*, quarum est, ut nequeat alia sine aliis esse, *nec concipi* (*a*). Quæ sunt ejusmodi, ut possis in bonam partem accipere: nulla enim res mali habere quidpiam potest, nisi quia finita: nihil vero finitum circumscriptumque est, quod quoquo modo universi non sit pars. Jam quum fieri nequeat, ut naturæ partes non simus; ne illud quidem effici potest, ut præter eas mutationes, quæ intimam nostri naturam sequuntur, nullis aliis subjecti expositique simus (*b*). Pergit porro. Communem igitur universi ordinem sequamur, eique pareamus, necesse est (*c*). Hinc πάθη, *affectus* sunt (*d*), qui lætitia atque ægritudine continentur omnes. At lætitia cognitio est boni, ac bonum; ægritudo mali, ac malum (*e*). Ita natura ipsa bonum exsistit, & malum. Atque hoc physicum malum, bonumque, quod dicimus. Sed vero duobus tota hominis conficitur natura, *cupiditate & ratione*. In illa parte affectus sunt: in ea igitur lætitiæ, atque ægritudines: in hac æquabilis voluptas, ac felicitas. At *affectus* inadæquatæ sunt, imperfectæque ideæ, rerumque notiones obscuræ, (*f*), *quibus corporis agendi potentia* (vis atque elasticitas, puta, nervorum, fibrarum, musculorum, cordis, cerebri) *augetur* (ut in ira) *vel minuitur* (ut in dolore) *juvatur* (ut in amore, spe) vel *coercetur* (ut in metu) (*g*): *ratio* vero claris evidentibusque constat perceptis ideisque. Affectuum ea est natura, ut fortior imbecilliorem elidat comprimatque (1): fortiores autem esse solent,

---

(a) *Ethica part. IV. prop. 2.*
(b) *Ibid. prop. 4.* (c) *Ibid. coroll.*
(d) *Ib. prop. 5.* (e) *Ibid. prop. 8.*
(f) *Part. III. prop. 2.* (g) *Part. III. def. 3.*

(1) Part. IV. prop. 7. *Inscite imperiteque facit Christophorus Wittichius, qui huic propositioni affricat solito more, falsa est hæc* propositio, & plane repugnans iis quæ in sequentibus conatur stabilire Auctor, quod nempe affectus per rationem debeant coerceri vel tolli. *Nam & nihil ubiquam exploratius esse potest, quam nullum affectum, nisi vehementiori, coerceri, infrænarique* (*vide* The fable of te Bees): *& rationem tum demum affectibus imperare, quum veris falsos, & abs ratione aberrantes, revocat ad virgulam. Nos ita instituti educatique sumus, ut nec amicis falsa, palpando, concedere velimus: nec vera hostibus denegare, non necessario, nec æquo odio.*

solent, primum qui e præsentibus rebus, quam futuris, vel longinquis gignuntur (*a*): deinde qui ex necessariis, quam qui ex fortuitis (*b*). Porro quilibet ex naturæ suæ vi ac legibus, totoque, ut ajunt, se, id necessario appetit, quod bonum putat, aversaturque contrarium (*c*). Primum cujusque bonum est esse, agere, vivere: hæc ergo tota sua capit natura, atque ut beatus sit cupere oportet (*d*). Atque hæc est prima cujusque virtus, servare se (*e*) primum bonum, primaque felicitas. Hoc aut inadæquatis obscurisque ideis facere pergit, aut claris, manifestisque. Quum illud affectus sit, hoc intellectus, ac rationis; sequitur ut aut affectu sese tueatur, agat, vivat: aut ratione. Quum primum fit, lætitiæ exsistunt, aut ægritudines, bona scilicet ac mala peculiaria, quibus tota hominum vita distinguitur: quum alterum, perpetua æquabilisque voluptas ac beatitudo. Qua ex re efficitur, ut si ratione perpetuo vivamus, nihil sit mali; quia nihil ex ratione naturæ contrarium, reluctansque accidere potest (*f*). At dum affectibus regimur, & alii aliis adversamur, & cum rerum natura pugnamus, eoque miseri sumus (*g*). *Summum ergo mentis bonum est Dei cognitio, & summa mentis virtus Deum cognoscere* (*h*). Nam Deus ac natura synonyma sunt homini recutito: totam ergo naturam, ejusque partes & earum ordinem pernoscere est illi Deum cognoscere. Quas res si quis prospicienter vasteque noverit, is quæ sibi consentanea sint, quæ adversa, habebit in numerato: ita ex claris comprehensisque ideis vivet; ex ratione igitur, non ex affectu: beate ergo.

Sed quam astute nobis homo vafer illusit! Poterant hæc binis verbis concipi, ut diceret; ex ratione vivere esse beate vivere: contra præterque rationem, misere: at vivere neminem posse ex recta ratione; est enim hæc angusta, imbecilla, corpusculo velut catenata; idque esse ita oportere, quando infiniti mundi exigua particula sumus, itaque necessario & stultos esse, & pravis cupiditatibus agi, esseque idcirco miseros. Sed noluit, ne toties dicta, atque recantata, homo gloriolæ præcupidus occideret usque. Nova igitur vocabula atque incondita exco-

(a) *Ibid. prop.* 9. & 10. (b) *Prop. II. ibidem.*
(c) *Prop.* 19. (d) *Prop.* 21. (e) *Prop.* 22.
(f) *Ibidem prop.* 35. (g) *Prop.* 34. (h) *Prop.* 28.

excogitavit: novas intertexuit doctrinas; sibique, puto, visus est, nova luce rerum naturam perfundere. Quibus autem vis hæc vocibus dicas, quod rei caput est, eandem naturam & æternam, & simplicissimam, & infinitam, tam varie agi, præformari, misceri: nunc impetu, nunc ratione duci: beatam simul ac miseram esse: stultam, ac sapientem; quis, inquam, hæc cum ratione conciliet?

Illud hic consideremus, quod ait, affectus, non jam imperio arbitrii, rationesque regere nos ac moderari, sed imbecilliorem vehementiori ac potentiori parere semper. Ut si ira ac metus contendant, metus ac metus, superbia & metus, amor & ira, aut duo diversi amores, si avaritia, & ambitio; is alteri concedat necesse est, qui debilior est; alterque concitatior ferventiorque late dominetur. Hanc hominis doctrinam copiose sibi explicandam esse, ac defendendam suscepit Mandevillius, libelli jam pridem famosi Auctor, quem *Apum Apologum* inscripsit (1), tam in hoc opere, quam in aliis sæpe opusculis. Describam heic locum ex ejus dissertatione *De natura & causis societatis* (2), quem ego ex omnibus apertiorem duco; sed describam tamen latine, ut potero: nam me quoque interdum pudet pœnitetque hujusmodi versiculorum orationum. *Quam*, inquit, *severi rigidique Catonis mores! Fuit tamen profecto aliquid internæ voluptatis, affectus alter vehementior, qui eam rigiditatem imperaret, austeritatemque compensaret, quoque sese suasque libidines Romanæ libertatis adsertor edomaret. Quid autem? Id diu occultum, celatumque omnes fuit: quin forte ipsum quoque latuit; quousque is rerum articulus adventaret, qui ostenderet, Catonem non egisse Heroem, nisi (quantum paradoxum!) animi quadam abjectione & naturæ fragilitate. Alter certe vehementior affectus, ac dominans, cæteras hominis libidines compescebat, regieque iis imperitabat. Is tum emicuit, cum ultima ejus vitæ scena acta est, seque ipse trucidavit: tum enim vero intellectum cognitumque est, superbiam, qua reliquos despectabat; tum invidentiam, odiumque, quo ille Cæsarem, egregiasque ejus virtutes, animique dotes, persequebatur, causas fuisse, quibus enascentes in se huma-*

(1) *The fable of The Bees, or private vices, publik benefits.*

(2) Titulus est, *A Search in to the nature of society.*

humanitatis imbecillitatisque motus, velut in cunabulis, enecaverat, & ad omnia agenda & patienda fortia, induruerat. Quæ superbia coegit eum & in se esse immanem, & in amicos patriamque crudelem, affectatæ virtutis Stoicæque prætextu. Ne igitur Cæsari, quem æquare nequibat, quidquam concessisse videretur, aut aliquid meriti deberet, audax incœptavit facinus, seque transverberavit. Non igitur animi virtute metum mortis superavit, sed superbia, idest impotentia, atque imbecillitate, animique potius abjectione. Nam quid eo imbecillius, abjectiusque, qui se beatiorem esse putet extinctum, quam aut superiorem, aut parem ferre? Quosdam pudor cogit esse animosos (pergit ille), metusque major (est enim pudor famæ metus) minorem vincit. Is Alexandrum fecit magnum. Alios ambitio, quod in Cicerone cernere possumus. Avaritia mites: amor liberales. Infinita ejuscemodi prostant in historia vitaque humana exempla: ex quibus licet scire, eam esse hominis naturam, ut major affectus perpetuo imperet, edicatque omnia, quæ aut agere ultro videmur, aut pati. Itaque Cato, Persa Macedonum Rege victo, cum de Rhodiensibus, qui adversus populum Romanum Regi magis cupierint, faverintque, statuere vellet senatus; ita disserit, ut ob luxuriosam lætitiam, neget quidquam jure recteque decerni posse. *Adversæ res*, inquit, *se domant, & docent quid opus sit facto: secundæ res lætitia transversum trudere solent a recte consulendo atque intelligendo. Quo majore opere edico, suadeoque, uti hæc res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus* (a).

Quæ ego non nego: nec tamen illud affirmo, nullo ea arbitrio, sed necessitate fieri. Quo modo Romani Afros, Macedonas, Etolos, Gallos vicerunt: armis ergo usi sunt: iis & pugnarunt, & devicerunt: nec tamen arma, sed Romani pugnarunt, debellaruntque. Ita rationis imperio cum animo decertamus: affectus instrumenta sunt rationis arbitriique. Hominem Stoicum, istosque apathiæ sectatores valere jubeamus. Affectus igitur, quamvis omnes in arbitrii potestate, sunt tamen ejus quasi nervi, musculi, vectesque, quibus naturam seu promovere, seu retinere, frænareque licet. Majori utimur ad frænum mi-

(a) *Cato apud Gellium lib.* VII. 3.

nori inhibendum, eumque moderandum. Eget in nobis his instrumentis libertas, quo promptior agendo sit expeditiorque. Quin tota virtus hoc consistit, ut amor justi honestique turpes cupiditates, aut metus detineat, officiique voluptas erumpentes vitiorum flammulas aut extinguat, suffocetque, aut reprimat. Qua ex re illud intelligi potest, quid sibi voluerit Aurelius Augustinus, qui divinæ gratiæ vim in delectatione quadam posuerit, nec eam tamen extra arbitrii ambitum. Nam cum Dei divinarumque rerum in nobis amor, delectatio, voluptas, divina adspirante aura, progenitus est; efficitur hoc, ut magno validoque instrumento præditi simus ad scelerum libidines comprimendas. Quæ si delectatio minor fuerit, minus eo pollentes sumus, tamquam si viminea vecte manus instructa magnum aliquod pondus promovere velit.

Quod si elementa (nam illuc redeo, unde Spinoza nos revocavit) sint materia illa prima atque æterna: aut Epicuri ac Democriti atomi, aut quævis aliæ insecabiles innumerabilesque particulæ; quæ esse potest illa substantiæ primæ, æternæque, omniumque fontis, unitas? In alia igitur delabimur, nec primum illud systema tuemur: Illud enim nos hic quærimus, systemate hoc ac positione unius substantiæ naturæque ita ne a præsente malorum quæstione extricari possimus, ut nihil nec in positione ipsa, nec in consequentiis supersit obscuri, incerti, absurdi, pugnantis? Id nego; quum nihil nec absurdius sit, nec pugnantius, seu principia spectemus, seu consequentia. Sed hoc aliud dogma, primam substantiam nec esse unicam, nec paucas, sed ne numero quidem ullo comprehensibiles, esseque tot, quot insecabiles corporum partes, & superiori positioni adversum est, & quam sit absurdum, minimeque ad hanc rem, de qua agimus, idoneum, neminem esse puto, qui ipse per se non videat: nisi si mundum non ab ulla mente, sed casu factum contendat, quod & item quæstionem migrat, & absurdum perridiculumque in antecedente dissertatione ostendimus.

Altera positio discutitur: materia per se est & æterna: Deus mens incorporea, optima, potentissima, qui ex ea materia mundum fabricatus sit: mala ex obstipa, refractariaque esse materiæ natura brutaque anima.

SEd vix ego ratione impetraverim, ut Ægyptii, aut vetus ullus agrestis imperitusque populus, talia de Deo ac natura senserit, qualia eis attribuunt Plutarchus, Jamblicus, novellique Platonici, quæ subtilem Græcarum Scholarum dialecticam, metaphysicamque ultro præseferunt, atque vel cæcis ingerunt in oculos. Nam hoc Deum esse το εν nemo veterum non dixit: sed & esse την φυσιν pari concordia prædicabant. Est id hodie quoque in barbararum silvestriumque nationum ore. Christianis etiam ipsis Deus & *natura* esse dicitur, & *omnia*, & διηκειν δια παντα των οντων *ire per omnia*; nec tamen id quum enunciant, ita intellectum iri se volunt, ut ii, qui Pantheistæ dicuntur. Quocumque gentium Dei ulla pervasit cognitio, eam certum fixumque habuere, nihil nisi ejus imperio aut primum factum, aut unquam fieri: qui igitur omnia efficere ac moderari Deum sentiebant, per omnia ire ac permeare sentire oportuit, dicereque. Ita factum ut & *ubique esse* prædicarent, & emphatice *omnia*. Sed hæc modo mittamus; illudque pervestigemus, an ii qui Deum quidem χωριςον, εξηρημενον, μετεωρον, και καθ' εαυτον υμερηπλωμενον των εν τω κοσμω δυναμεων, και ςοιχειων, ut loquitur Jamblicus (*a*), fecere, *separatum*, scilicet, *exemtum*, *sublimem*, *ac per se longe explicatum super mundanas potestates & elementa*, sed materiam illi hanc mundanam coævam posuere; melius, inquam, faciliusque ex hoc originis malorum nodo sese extricaverint. Nam huc vetus ferme tota Pagana philosophia inclinavit: huc vulgus interdum ipsum scriptorum theologorumque. Scribit Justinus Martyr, hanc fuisse Platoni causam æternam materiam constituendi, ne Deum videlicet mali auctorem faceret, tantamque illi improbitatem adscriberet. Itaque ea res perbella & Manichæis visa est; quo nomine hic totam illa Manetis, Basilidis, Valentini, idque genus aliorum colluviem accipio, & Semichristianis quibusdam Alexandrinæ

(a) *De mysteriis Ægyptiorum Sect. VII. cap. 2.*

drinæ Scholæ (1). Eſt igitur, ſi his credimus, materia æterna, Deoque contemporanea. Hanc Timæus Locri, atque Plato *ανανκην*, *neceſſitatem* vocant; quia inde prima eſt fatalitas, quam ne Deus quidem pervincere queat. Quum & turbata eſſet incompoſitaque, & nihil niſi horrorem præſeferret, in ordinem cogere, digerereque, pulcherrimumque hoc univerſi opus inde exprimere ſummæ eſſe & bonitatis & ſapientiæ præpotens illa optimaque mens ſtatuit. Nec tamen ita ſubdere ſibi potuit, ut non interdum, inſito pervicacique ingenio eluctaretur. Mala igitur omnia univerſi ab hujuſmodi ſunt materia, inſuperabilique fato: bona a Deo.

Sed quo ad eam rem modo Demiurgon adgreſſum ajunt? Nempe erat bonus, bonique appetentiſſimus; placere igitur ei non potuit tanta materiæ fœditas ac perverſitas. Genuit igitur ex ſe *λογον*, *mentem rationemque*, haud admodum ſui diſſimilem: hic *ψυχην*, *animum*, qua mundum informaret. Ad hæc, *ϑεους*, ſeu mentes minores alia infinito prope numero. Hos omnes intelligentiæ conſiliique ſui participes fecit, eoſque juſſit magnum generoſumque opus ſuſcipere (2). Tum vero ſingulæ mentes

(1) In primis Clementi Alexandrino; nam Photius diſerte ſcribit lectum a ſe in libris hypotypoſεων *ὑλην αχρονον* materiam æternam ab eo traditam.

(2) Vide Timæum, & ex recentioribus Platonicis Plotinum. Originem mundi Deo tribuiſſe Platonem omnes ejus libri teſtantur. Deum mentem eſſe ſupremam, perfectiſſimam, optimam; ac ſeipſa contentam, ab omnique *σχησει*, *reſpectu relatione*, liberam: nihil igitur ipſum eorum, quæ in univerſo ſunt, *αμεσως* per ſe feciſſe, ſed *νυν mentem* alteram, atque a ſe ſecundam, genuiſſe, ſe aliquanto licet inferiorem. Ab hac *ſecunda mente* animam gigni videtur opinatus, quam *ποιημα*, *creatam* aut *creaturam* vocant Platonici juniores. Ab hac eſſe cetera facta. Hæc longe duabus illis inferior eſt. Numenius tres hos deos *παππον*, *εγγονον*, *αποyονον*, *avum*, *filium*, *nepotem* vocat. Audiamus hic Macrobium lib. 1. in ſomn. Scipion. cap. 4. *Deus, qui prima cauſa &c. eſt & vocatur, unus omnium quæque ſunt, quæque videntur, princeps & origo eſt. Hic ſuperabundanti majeſtatis fœcunditate de ſe mentem creavit. Hæc mens, quæ νυς vocatur, qua patrem inſpicit, plenam ſimilitudinem ſervat auctoris: animam vero de ſe creat, poſteriora reſpiciens. Rurſus anima partem* (ſecundæ ſcilicet mentis) *quam intuetur, induitur, ac paullatim regrediente reſpectu in fabricam corporum, in corpora ipſa degenerat*. Videri poteſt, ut hæc copioſe explicat Plotinus Enn. v. lib. 1. cap. 6. & 7. Origenes ſubtilius philoſophandi amore, fontemque bonorum ac malorum expediendi, in hunc ſcopulum impegit, ut Chriſtianis Trinitatem doctrinamque pene

tes singulas materiæ particulas concerpserunt, in iisque fingendis atque ad æterna exemplaria componendis limandisque adlaborarunt. Omnibus λογος, alter ille platonicus & minor Deus, præerat, pensumque exigebat. Ita præclarum, pulcherrimumque mundi opus extitit, quod anima illa, tertius platonicæ trinitatis genius, informavit, animavitque. Sed illud est in hac schola præcipue animadvertendum, hujusmodi mentes, genios, dæmonas sæpe a sua dignitate degenerare, atque impuros malignosque evadere. Qua re fit, ut pro cujusque crimine in crassiora corpora, velut in carceres, detrudantur. Qui nisi vetera scelera flagitiaque eluant, in tetriora adhuc, primum hominum, deinde reliquorum terrestrium animantium; postremo in pisces rapiantur. Itaque postquam purgari sordibus cœpere, adscendunt paullatim, quousque vetera ex puroque lumine constantia corpora resumant: metempsychosim vocant. Ita fit, ut mala quidem prima materia, velut pellex quædam, alliciendo, faciat: reliqua criminum præteritorum pœnas punitionesque habent Platonici. Atque hæ sunt mentes materiæ fictrices, ac formatrices, quas forte platonicas ideas dixere, quasque & vehementer sæpeque vexat, & interdum false ridet Aristoteles: quippe rerum formas cum reliquarum, tum brutorum hominumque, nec præexsistentes materiæ esse arbitratur, nec separabiles; sed e materia ipsa eductas, eique infixas, ut nullo pacto sine illa esse queant: qua præsertim re a Platone Stagirita dissentit.

Qua sententia adeo sibi quidam plauserunt, ut & omnem eradi eâ scrupulum certi sint, & nisi id statuatur, nihil superesse reliquum, quo absoluta Dei bonitas cum reliqua sua natura concilietur. Brevi: aut æterna est materia ac ingenita, brutâque sui anima prima malorum causa; aut non bonus neque sapiens est Deus: est autem Deus & optimus, & sapientissimus, & maximus; non igitur ab illo malum ullum prodire potuit: sed totum est ab ardua indomabilique materiæ natura.

Dubito ego, utrum qui ita sentiunt (nam sunt etiamnum) rem totam pro sui dignitate contente subtiliterque intro-

pene omnem Platonicam in opere περι αρχων obtrudera vellet, idque scripturarum auctoritate. Hinc illæ fuere veteris Ecclesiæ turbæ; qua de re infra dicemus.

introſpexerint. Quam ut via & ratione pertractemus, illud principio interrogabo, an qui ita præcipiunt, dicere ſciant, qua re hæc ab antecedente altera pantheiſtarum ſententia diſtet? Nam ſi, ut putant, æterna ac ingenita eſt materia, æterna item & ingenita mens prima, jam hoc pares ſunt. Tum immenſa utraque: hæcque pervadit illam, agit, rapit, vitam ſenſumque ei indit, ſaltem meliorem, divinamque, in eamque poſtremo ψυχη divina degenerat, & quidem a tota æternitate: nec libero utens arbitrio (nam hoc recentius eſt platonica ac peripatetica ætate), ſed naturæ ſuæ neceſſitate: poſtremo ne libero quidem nutu ac voluntate pervadit, animatque, ſed emanatione, aut neceſſaria attractione. Nec alio modo intelligi poteſt, quod illi ajunt, mundum totum ingens eſſe animal mente & corpore conſtans. Itaque ſi hæc Pythagoræi, Platonici, & Peripatetici docent; ſi eadem Eleatici ac Stoici; mihi verbo tenus, non ſententia differre videntur. At Eleatici, Stoicique unitatem primæ ſubſtantiæ docuerunt. Res ergo redit ad ſuperiorem diſceptationem, ſit mundus Deus, nec ne? legeſne mundi atque neceſſariæ evolutiones ſint mala; an diverſam a prima æternaque natura originem habeant? De qua nihil habeo quod dictis addam.

Sed longe hæ differant ſententiæ. Nihil habeat cum materia communis Deus, niſi quod utraque res æterna eſt, ingenitaque; nihil ab eo manet defluatque neceſſario. Libere plenoque jure illi imperet, velut in rem omni modo ſibi ſubjectam. Ut jam nobis inducamus in animum ab ejuſmodi materia ita proficiſci mala, ut nihil habeant cum Dei natura, ac ratione humana adverſi, conſtituendum eſt, aut non potuiſſe Deum plene ſibi materiam ſubjicere; aut id æquum juſtumque non fuiſſe in rem alienam imperium: aut neſciiſſe; aut temere noluiſſe. Poſteriora duo ſi quis tueatur, is præſentis controverſiæ ſtatum nondum totum comprehendit. Nam idcirco hanc cauſam diſputamus, quo Dei & ſapientia & bonitas in tuto ſit; quæ evertuntur, ſi aut neſciit infinita mens, quo modo bona faceret, aut efficere ſtulte noluit. Quorum illud inſcientiæ eſt, hoc malignitatis.

Supereſt ut duorum alterum iſtiuſmodi opinionis fautores doceant: ut aut Deum non decuiſſe in alienam rem majus uſurpare imperium dicant; quapropter eſſe mala

per-

permiserit: aut non potuisse; quippe cum re coæva exsistentiæque necessariæ decertantem. Primum si quis inter nos artifex, quo artificii labem excuset, dicat, jure, non æquus justusque, sed ignavissimus & imperitissimus habeatur. Estne etiam nullum materiæ adversus artificem jus, ut si amphora cœperit, exeat vero urceus, rite, plausuque æquorum judicum errorem ita tueatur, quod cretam violare nefas habuerit? Id si carnifex, qui ictu exciderit, commiseratione, ne hominis cervicem obtruncaret, commotum se vociferetur, aliquos, puto, humanos habeat assensores. Si vero Statuarius, Faber, Sutor ea tibi arte rem perdiderit, non in jus vocabis?

Illuc igitur inclinare plurimos video, non potuisse. Id plausibiliter disserunt. Per se ac necessario exsistit materia: nulla igitur potentia fieri potest, ut non sit. Sunt enim pugnantia, per se ac necessitate naturæ suæ exsistere, & posse non esse. Sed qua necessitate est, eadem id est, quod est. Ut si cubus necessario exsistat, tam necessario erit cubus, quam est. Fieri igitur nulla vi potest, ut nec sit materia, nec id sit, quod est. Quum autem natura sua iners sit, obstipa, refractaria, antitypa, partibilis, mobilis; fieri nulla potentia potest, ut plenæ perfectæque bonitatis sit capax. Ars ergo parentis atque opificis mundi intulit in eam non quantum voluit, potuitque, sed quantum illa excipere complectique poterat. Deficere ergo plurimis illa debuit a summi architecti arte. Qua in re nihil ille peccavit. Quid faceret? quietam intactamque esse sineret? Caruisset mundus iis bonis, quorum ditissimus est, atque affluentissimus. Nihil turbare permitteret? Ne dubitemus id & præcepisse, & quoad per materiam licuit, studuisse: sed parere illa ultra noluit, nec potuit. Ita nihil habent mala, quod cum Dei aut sapientia, aut bonitate pugnant. Sed ne imbecillitas quidem tribui ei ulla potest: quo minus enim mala omnia averruncaret non defectu divinæ potentiæ factum est, sed ejus subjecti ingenio, in quo adlaborandum ei fuit. Ac quemadmodum receptum probatumque est, non posse Deum facere pugnantia, veluti ut & globus sit eadem figura & cubus, quin idcirco imbecillem eum liceat habere: eodem modo esse possunt illa mala, necessitate scilicet materiæ, nec tamen minus omnipotens mundi parens. Quid quod ne nos quidem ab hujusmodi philosophia admodum abhorremus? Nam &

infinitæ potentiæ Deum habemus, credimusque; nec tamen fieri ab illo posse arbitramur rem ullam infinitæ & naturæ & perfectionis. Hoc metaphysicum malum vocant Leibnitiani. Quum igitur metaphysicum malum consistere cum Dei natura possit, qui, rogant, pugnabunt reliqua, si tam sint, quam illud, necessaria?

Hæc interea quum dicunt, oculos a toto mundo avertant necesse est. Nam quis alioquin ignorare potest, ejusmodi sæpe esse in terra mala, quæ non vindice Deo egent, sed vel ab homine ignavissimo extirpari possint, & aliquando soleant? Ut ecce: Sicarius impie Henrico IV. Gallorum Regi jugulum petit. Tantane est hæc materiæ protervitas, ut divina potentia cohiberi nequeat? At illa vel unius homunculi brachio potest. Potuit Chærea uno ictu imperium Romanorum a metu atque strage liberare, non potuit Jupiter optimus maximus? Quot sunt hujus generis? Iratus, invidus, latro, proditor expavescet Catonem, aut Fabium: satellitibus exturbatur, aut carcere: divino nutu ac potentia nequeat? Hæc docebunt Platonici, mentemque præpotentissimam mundi architectricem pleno ore prædicabunt? Jam quid illa? Satorum mala depellit sæpe agricultor: incendia coercet: ab illuvione, aut gelu plantas tutatur: sterilitatem stercoratione prævertit. Pastor a feris, aut præcipitiis animantia defendit, Medicus sectione venæ, aut purgatione labantem incertamque alteri vitam restituet: chirurgus intrepida manu cæcitate, calculo, ulcere, fractione artus, ejulantem liberabit; hisque in rebus materiæ pervicacitas obsequentissima parebit: Deus optimus maximus nequibit? Quæ est ista hujuscemodi platonici Dei potentia, qua nulla non in tellure major?

Hisce igitur phantasiis nodus non modo non solvitur, sed intricatur. Dicent, opinor, hujus sententiæ patroni, non hæc Deum avertere non posse, sed non temere velle: nam quoniam perpetua felicitate corrumpimur; miseriam aut permittit, aut facit, quo æquiores, humaniores, virtutisque frequentiores cultores simus. Quæ si quis in causam adducat, jam tota quæstione dilabitur. Non igitur, si ita est, a materia sunt mala, sed a Deo: quod & Platonici verentur dicere; & quale sit mox videbimus. Illud enim hic disceptamus, partem ne ullam habeat Deus in iis malis pluribus, quibus homines excruciantur, præci-

pue

pae peccatis sceleribusque, ac quam, & quam ob caussam. Nullam habere Plato jubet nos credere: a materia esse omnia: esse illam æternam ingenitamque, protervi arduique ingenii: flecti idcirco ducique ad omnia non posse: non Dei peccare neque artem, neque bonitatem: sed eo illius non pertendi potentiam, ut ne materia pravos nos faciat & miseros. Hæc falsa esse vel ignorantissimi sentiant. Una Xenocratis oratio impurum vanissimumque adolescentem, ac flagitia olentem, ad bonam frugem convertet: unus Menenii apologus seditionem compescet: minax satellitis vultus ferrum parricidæ excutiet, minime reluctante materia; hæc Deus Platonicus non queat? Præterquamquod si dolores ita accidere sinit, aut imperat, ut virtutis amantes simus, caussa est certe honestissima, licet non hujus sententiæ: sed an in eodem genere esse possunt peccata?

Illud jam videamus quale sit, quod & olim Ægyptii sensisse videntur, & Plato Platonicique tradiderunt; animum videlicet humanum ex gemina constare natura, altera cælesti, ætherea, puræque lucis; terrena altera atque tenebricosa: repugnare alteram alteri adversarique continenter. Ex ætherea animæ parte recta esse consilia, bonosque ac beneficos animi motus: ex terrestri pravas, impuras, astutas, subdolas, iniquasque cogitationes; scelera demum omnia & flagitia. Postremo alteram invitare allicereque ad virtutem: alteram voluptates ac vitia suadere. Vix dixerim, quot quantique veteres scriptores hujuscemodi fabulam pervulgaverint, crediderintve. Sed quum in ceteris mundi rebus, tum in iis præsertim, quæ ad hominis pertinent naturam, physicos, quam metaphysicos sæpius audire præstat. Itaque ego facile adducor, ut Morgagnum, Ruischium, Hallerum potius auscultem, quam aut Platonem, aut Malebranchium, aut Leibnitium. Hi nihil me docent, quod non aut extra rationis pomœria veluti projectum sit, tenebrisque obsitum; aut ab humano ingenio confictum fabricatumque ipsum sese prodat. In illis nativa, sunt omnia præclara, constantia, cohærentia naturæque ipsi affixa atque ab ea minime separabilia: nam a natura rerum nemo umquam physiologus discesserit, quin statim

sibi

sibi ipse inexplicabilem labyrinthum commoliatur. Sed eo redeamus, unde defl
eximus.

Ajunt igitur duplici constare animum parte: ex materia prodire alteram, fuligine adspersam nigra, atque iniquæ mentis: alteram ab æthere decidere optimi, lucidissimique parentis sobolem, In quam rem, cogitationum, affectuum, sensationum varietate inducti videntur. Tot cum bonis mala permixta in una eademque natura intelligere desperabant. Igitur, quo toto conquisitionis labore levarentur, nihil promptius ac expeditius fore arbitrati sunt, quam de phantasiæ penore expromere, quo expedirent, qui illud fieret, quod ait apud Plutarchum Euripides (*a*)

Ουκ αν γινοιτο χωρις εσϑλα και κακα,
Αλλ' εστι τις συγκρασις· ὡς' εχειν καλως.
Haud exsistunt bona a malis sejuncta;
Est enim eorum quædam permistio; itaque præclare sese res habent.

Quæ ab illis dici credique possunt, qui nihil corporis humani resciverunt, mirificæque, ac ubique consentientis ejus structuræ, ex qua, tamquam ex instrumento, sunt tam varii multiplicesque animi motus, ac sensus. Itaque illud sciamus oportet, geminum esse corporis nostri quasi semen ac radicem, ex quo totum proficiscitur, explicaturque, *cor* videlicet, & *cerebrum*: est enim ex utraque continuata quædam machinatio atque contagio. Nam a corde quidem arteriæ exoriuntur, quæ per totum corpus serpunt, ita structiles, ut perpetuo consensu cordis vibratione obscillent: ab harum extremitatibus minimæ capiunt initium venæ, quæ item in cor satis amplo canali defluunt. Jam a cerebro exsistunt nervi, cujus medulla spinam pervadens, perque spinæ foramina a dextero sinistroque latere erumpens ac in chordulas & filamenta distributa totum pervagans corpus, primam ejus telam contexit, alacrem, irritabilemque. Sed est cerebrum velut alterum cor a priori illo propagatum magna arteriarum copia, ut Ruyschio placet: nam & binæ carotides, & vertebrales eo pertingunt. Certe tam consentit alterum alteri, ut & nulla in cerebro motio aut sensationis,

(*a*) *Plutarchus de Iside & Osiride*; *Synesius de provid. lib.* 1.

nis, aut imaginationis excitetur umquam, quin & cor persentiscat: & multiplices ac vario & celeres in mente motus singulæ cordis progignant perturbationes. Ita amice inter sese conspirant. Alterum ergo nervosa tela toto interius exteriusque corpore fusa ad omnia vigilat: nihil ejuscemodi chordulas aut percutit, aut pungit, aut perstringit acute, aut quoquo modo irritat, incitatque, quin statim ad cerebrum deferatur. Alterum viribus sanguinis pollens præsto est sicubi aut expedienda sit acies, aut castris copiæ continendæ. Præsidio est igitur alterum alteri. Sed utrique adjectæ sunt munitiones artuum, hisque sunt velut in custodia musculi, summi duci obsecundare imperiis parati.

Jam præest cerebro mens, velut in arce princeps, vitæque custodiæ intenta, hæc ei, quoad hic agimus, demandata videtur. Igitur si aut oculi, aut aures, naresque, aut tactus, aut ulla interna incitatio, imminere aliquid periculi denunciaverint, statim evocato concilio deliberat, ejusque decreto cordis copiæ dicto citius aut expediuntur, aut colliguntur. Hinc discurritur ad munitiones: citantur excubiæ; si qua aut valendum sit in hostem, acieque decertandum, aut retro abeundum. Hic consilia varia, sæpeque, pro re nata, dubia: repentini variique motus, admirationis, stuporis, iræ, audaciæ, spei, amoris, odii, metus, ceterorum. Quæ exardescunt, aut tepescunt frigentque, prout novi nuntii aliquid aut boni, aut mali attulerint. Qua re, licet tam varia atque adeo a diversis causis pendente, nihil tamen nec pulchrius, nec cohærentius, nec constantius excogitari potest. Unus perpetuo dux, mens ratioque: una arx, cerebrum: unus legatus, cor: eædem perpetuo copiæ, si quid aut agendum est aliquid, aut omittendum, nervi, sanguis; eadem veluti bellica instrumenta, musculi, atque artus: eædem vigiliæ, sensuum nervuli. Nihil umquam discors: omnia sibi mutuo præstant opem. Trepidatur sæpe in arce: incerta ibi interdum consilia, aut consiliorum pœnitentia, vel pudor: eadem est tota in imperio pertubatio. Si ibi secura omnia, nihil hic nutat, nihil discrepat, rebellatque: omnia pari & constantia, & facilitate, celeriterque obediunt.

Quæ est igitur illa duplicati animi pugna? Aut ubi est ille e materia tartaroque animus æthereo obluctans? Hæ sunt scilicet puerorum næniæ, quibus verecundi oris Plato Academiam personare docebat?

Hic

Hic dicet aliquis, hæc & Christianos docere. Sunt enim in homine tres voluntates, ut auctor operis *de vocatione gentium* acute, cumque omnium theologorum assensu disputat (*a*), quas ille *sensualem*, *animalem*, *spiritalem* vocat. *Sensualis* est a sensuum irritatione, qua tantum prædit sunt pueri, & adulti ii, quos excordes & fatuos dicimus; velut cum cibum potumve appetimus; voluptatem vel dolorem sentimus: cum quæ auribus placent, aut oculis, aut tactui, oblectamur, aversamurque contraria. *Animalis* supra sensum attollitur, ac a naturæ ratione est, sed in solis *terrenis rebus occiduisque versatur. In hac humana etiam ingenia, si corporea voluptati non turpiter serviant, & cupiditates suas justitiæ atque honestatis legibus temperent, nihil supra mercedem gloriæ temporalis acquirunt: & quum præsentem viam decenter exornent, æternæ tamen beatitudinis præmium non habent*. Hic homo finitur ac circumscribitur naturalis. Accidit jam tertia voluntas, quæ *bona voluntas* in divinis libris, ut is quidem censet, appellatur. Hæc voluntas *spiritalis* est, & a Deo, estque Dei gratia. Sed est voluntas nihil aliud, nisi appetitus, qui sine ulla ratione nec esse, nec concipi potest; itaque & ratio est aliqua divina in iis, in quibus *voluntas* est *bona*: congruit enim altera alteri. At quemadmodum sine perceptione sensuum nulla est *sensualis voluntas*: nec sine ratione *animalis*, ita non sine divina ratione ac intelligentia *spiritalis*. Ita fit ut in iis hominibus, quibus Deus large beneficus est, quosque sua gratia muneratur, tres sint rationes, tresque voluntates: nam perceptionem sensuum sequitur *sensualis voluntas*: naturæ rationem ac intelligentiam *voluntas animalis*: postremo divinam rationem comprehensionemque divinorum bonorum *voluntas spiritalis*. Nonne hæc platonica sunt? Quæ si sunt vera, ac veneranda, cur confutamus platonica? aut si illa sunt fabulæ, quid christiani faciemus dogmatibus? Quin sunt qui conjiciunt hæc ab Ægyptiis, quibus aperte tribuunt veteres (*b*), Arabibusque, & Persis accepisse Pythagoram: a Pythagora Platonem: hinc Alexandrinas scholas, Judæasque, ex quibus in nos manaverint: concedendum scilicet erat Dualistis, ut vocant, ali-

(a) *Lib.* 1. 2.
(b) *Sinesius de providentia lib.* 1.

aliquid, sed aliis vocabulis (*a*): transigenda tam ardua erat quæstio, ac minus, quoad fieri poterat, iniquis conditionibus.

Sed est hoc sophismatis genus, quod dialectici *απο του απλως προς κατα τι*, *a simpliciter ad secundum quid*, ac vicissim; ductum structumque docent. Nam in Platonico, ut in Manichæo, dogmate, quæ menti partes, ætherea & terrena, veluti duarum substantiarum concretio quædam, ac mistura, statuuntur. Hic una est anima: diversi doctores, *Natura*, eaque arbitrio depravata, & *Deus*. Quid igitur est altera alteri doctrina similis? Quod si Plato Platonicique hoc illis vocabulorum ambagibus contendunt, quod christiani, nobis quoque religio erit, quicquam ex iis movere. Quod autem suspicati Deistarum quidam sunt, e Pythagoricis hæc dogmata Platonicisque fontibus in christianismum manasse, id speciem nimirum nancisci aliquam apud eos, opinor, potest, qui Judæos piscatores, ac idiotas, qui primi christianam doctrinam prædicavere, atque in humanis mentibus inculcaverunt, græcarum scholarum fuisse auditores inducat in animum: ab iis enim auctoribus hæc didicimus accepimusque. Quod quis est tam aut vetustatis imperitus, aut impudens qui evulgare audeat? At enim Christianæ doctrinæ auctor fuit in Ægypto eductus & institutus, ait Celsus (*b*). Fuit hercle vero. Sed cui fiet probabile, cum, qui toti Ægyptiæ, reliquarumque gentium, ac philosophorum superstitioni bellum indixit apertum, Ægyptiorum ac Persarum Manichæismo concessisse aliquid? Quis præterea, qui legat in Evangelio traditum sæpeque præceptum, unum esse bonorum malorumque patrem: unum omnium opificem ac moderatorem: bonos ipsos malosque dæmones sub ejusdem Dei imperio esse? Hæc velle accurate serioque refellere, est, ait Origenes, operam oleumque perdere. Sed ea postea.

Et

(a) *Bolingbroke Essay* IV. *sect.* XVI. *tom.* III. *oper. philosoph.*

(b) *Apud Origenem lib.* I.

Et Empedoclis Agrigentini ac Aristotelis Stagiritæ super origine mali opiniones. Esse in natura tota legem quamdam contentionis oppositionisque; ea stare universitatem. Inde esse mala, eaque necessaria esse mundo.

HUic veteri Pytagoricæ, ac, ut arbitror, Ægyptiacæ opinationi Empedocleam & Aristoteleam nunc jungo philosophiam: habent enim, quod ad hujuscemodi rem attinet, inter sese similia multa; nisi illud verius sit, quod semper suspicatus sum, Græculos scriptores hanc Atheniensium scholarum subtilitatem vetustis simplicibusque populis solito more affricuisse. Empedocles Agrigentinus, vetus physicus, qui versibus ut omnes ferme primi mortales, de natura rerum scripsit, ab *amicitia* bona esse, *a lite*, *contentione*, *oppositione*, mala. Vetustissimi poetæ, ac in primis Hesiodus. Ἐρωτι, *amori* mundi originem tribuerant. Hoc qui cum mundo ipso consentiret Agrigentinus philosophus non satis comprehendere potuisse videtur: nam ab amore non possunt esse, nisi bona, & pulchra, & cohærentia: at sunt in mundo non modo *perturbatio* & *turpitudo multa*, sed *plura mala quam bona*, *multoque plura turpia*, *quam pulchra* (*a*). Itaque non solum φιλιαν, *amicitiam*, sed το νεικος *contentionem* oportere primas mundi esse causas efficientes, aut primævas ejus leges, opinatus est. Quum hisce in rebus poetæ theologica lingua abuterentur, easque res personatas exhiberent, quas nude exhibuisse oportebat, quid hic *amicitiæ*, & *litis* vocabulis intellexerit, haud facile dictu est. Aristoteles ita cepit, ut ea non pro primis rerum *principiis* (αρχαις) adhibuisse Empedoclem putaret, sed pro eorum ποιοτησι *affectionibus*, in eoque lapsum esse a veritate. Quum tamen forte fortuna prope verum contigerit, nec interea viderit clare totumque, nec satis aperte cogitationes suas explicaverit, ψελλιζεσθαι Εμπεδοκλην *balbutire Empedoclem* vir Macedo acerbe scribit. Sed, quo quid ipse Aristoteles mente volveret hinc præscire possimus, in eo nihilominus recte secum rationes iniisse ait Agrigentinum physicum, quod amicitiam bonorum causam

(*a*) *Aristoteles Metaphysicor. l. XIV. 10.*

ſam eſſe exiſtimaverit, malorum vero contentionem ac diſcrepantiam: ſunt enim mala omnia a contrarietate aliqua atque oppoſitione. Poſtremo veluti oracula fundens binis verbis jubet nos credere, & litem & amicitiam malorum bonorumque tum demum eſſe cauſas, quum non pro principiorum affectionibus; ſed pro principiis ipſis capiuntur, *ipſum enim bonum eſt bonorum omnium cauſa*, *ipſum vero malum*, *malorum* (1).

Sed quid ſibi hiſce vocabulis ſtatuendum eſſe voluit vaferrimus homo? Quid illud eſt ταγαθον, *ipſum bonum* bonorum omnium fontem primum? Quid porro το κακον *ipſum malum* omnium malorum peſtiferam ſcaturiginem? Vix ab homine plus æquo breviloquentiæ amatore impetratum iri arbitror, ut liquido ſciamus. En Metaphyſicorum libros direxiſſe omnes mihi videor jam nunc, quum diligentius verſo, ſentire, ſublimes in primis, rerumque magnarum, & tamen incomprehenſibilium, ſcatentes. Tentemus igitur, utrum exculpamus. Tribus, ut is quidem putat, tota rerum natura conſtat, materia, forma, privatione. Materia ὑλη, una eſt, eademque ſemper, omniumque communis rerum. Ea ergo nulli rei contraria eſt. ἡ γαρ ὑλη (inquit Metaphyſicorum XIV. 10.) ἡ μια ὑδενι ἐναντιον *materia enim una nulli rei contraria eſt*; ab ea igitur nullum eſt malum, ἁπαντα τε φαυλυ μετεχει, ἐξω τυ ἑνος, *omnia mali participia*, *ſunt*, *præter* UNUM, materiam ſcilicet. Cur autem ita? Quia malum a *contrarietate* eſt, nec tamen ποιοτητι *qualitate*, ſed αρχη *principio*; bonum ab altero principio movente efficienteque. το γαρ κακον αυτο θατερον των ςοιχειων; *nam ipſum malum principiorum alterum eſt*: alterum nempe præter *unum*, ſeu materiam. At duo reliqua ſunt ςερησις *privatio*, & μορφη *forma*. Forma bonum: eſt enim *perfectihabia*. Privatio eſt ergo κακον αὐτο *ipſum malum*. Hoc in materia ineſt, quæ principium eſt παςχον *paſſivum*, atque αδιαφορον *indifferens* ad bonum & malum. Æterna autem atque ingenita eſt materia (*a*); ingenitum igitur malorum principium inſitumque materiæ, ſeu τῳ *uni*. Eſt igitur malum nihil aliud niſi *privatio*, eaque neceſſario ex materiæ ipſius natura exſiſtens, non ex effectrice cauſa, a qua

(a) *De Cælo toto lib. II.*

(1) Ariſtotelis verba ſunt. τιον, αυτο ταγαθον εςι, και των Ειπερ το των αγαθων απαντων αι- κακων, το κακον.

qua sunt formæ, quæ sunt bona. Sed sunt possibiles formæ infinities infinitæ: totidem ergo privationes. Possibilia ergo bona malis possibilibus æquantur. Nec tamen hæc mala paris sunt vis potestatisque: nam sunt quædam formæ, quas non, *hic*, ut ajunt scholæ, & *nunc*, materia poscit: *non sunt debitæ*: idest leges mundi non ferunt, ut iis in præsens materia præformetur: aliæ vero, quas rationes ordinis exigunt. Illa remota sunt mala, quæque cum Leibnitio *metaphysica* dicere possis: hæc præsentissima, & *physica* si quidem in corporibus habere illas genitis: *moralia*, si in ratione & animo. Ita Germaniæ genius aristotelea placita novis habitibus personata in scenam, veluti recentia, produxit.

Satis hæc constant. Illud Œdipo natatore eget, quid hoc sit *ταγαθον ipsum bonum*? Metaphysicorum XII. (*a*) generose admodum elateque contendit, id, quod & primum est, & æternum, & sibi sufficientissimum, necessario ipsum bonum esse debere: nam hoc ipso quod *αυταρκεστατον* est, *sibi sufficientissimum*, bonum optimumque est. Hoc bonum optimumque *principio uni*, nullique rei contrario, convenire demonstrat (*b*). Hoc principium Deum in physicis vocat. Itaque Platonem de Deo disserentem audire putes: sed revera & Platonis Deum cum æternis separatisque suis formis, & Anaxagoræ mentem quocumque potest modo vexat, deridetque. Hic interea (*c*) postquam hominem ad severam quæstionem adegi, nihil exculpsi aliud, quam *ὕλην*, *materiam*. Hoc enimvero est *το ἐν*, *unum* illud, quod nulli rei est contrarium, quodque *αυταρκεστον*, *sibi sufficientissimum* habet; aut si non hoc, nullum. Quo magis miror, interpretem latinum ei capiti magnificam, christianamque epigraphem inscripsisse, agi *de summo universi bono, hocce vero esse Deum*; quum id Græcus hujusmodi librorum recensor metatorque veritus sit affirmare, generica inscriptione contentus, *de bono universi, ejusque natura*. Sed ipse Aristoteles nimirum bonum interpretem astute decepit: nam & de suprema mente nemo alio modo loquutus esset; & eorum refellens sententias, qui plura universi

(a) *Cap.* 4. (b) *Ibid. lib. XIV. cap.* 10.
(c) *Iliad. β.*

versi principia constituerunt, in primisque Platonicos, Anaxagoram, Democritum, pro coronide Homericum appinxit epiphonema.

Ουκ ἀγαθὸν πολυκοιρανιη· εἱς κοιρανος (a).

Non est bonus multorum principatus: unus sit princeps.

Quid igitur de summo hoc aristotelico bono dicemus? Certe unum est & æternum ingenitumque, ipsum sibi & ut sit, & ut bene beateque sit sufficientissimum; simplex est, immortale, nulli nec corruptioni, nec alterationi subpositum. Jam vero intelligens: nihil tamen præter seipsum. Totus est *ενεργεια actio*, nec extra se actio. Itaque pura putaque materia non est, quæ *δυναμις*, *potentia*, est. Hæc fallere possunt: sed non eos, quibus totum obscuri hominis systema cognitum probe perspectumque fuerit. Nam hæc Aristotelis intelligens, præpotensque, natura ignea est, eaque *φυσις*, *αιτιος*, *movens*, *efficiensque* causa toti materiæ illi primæ permixta. Ex ea formarum est eductio: at formæ *τελοι* sunt, *perfectum*, & *εντελεχειαι perfectihabiæ*, uti latine appellari vult Hermolaus Barbarus. Itaque quum ea sit causa omnium formarum, mundanique idcirco ordinis, bonorum omnium est causa: *To* igitur *αγαθον* eum in modum constituit Aristoteles.

Sed jam vero *κακον malum* non affectionem qualitatemque esse contendit adversus Empedoclem, veteresque alios theologos, sed *αρχην*, *principium*. Quo vero nomine? Nempe *στερησεως*, *privationis*: quicquid enim forma non est, privatio est, formæque contrarium: est autem forma bonum; malum est igitur privatio. Sed vis expetens est privatio, *appetitus*, *cupiditasque insatiabilis*: non igitur *μη ον*, *non ens*, sed *ens*, atque idcirco *αρχη*. An anima materiæ? Ex natura igitur materiæ tam amplum sit privationum regnum, necesse est, quam formarum: qua ex re fit, ut fataliter tot sint mala, quot bona, etiam ubi ordine omnia fiunt, infinita videlicet. Huic malo *αιτιος*, *efficiens causa* remedium nullum afferre potest, nisi fundo everso, materia nempe, quod esse nullo pacto potest, quippe æterna & immutabilis. Accedit quod ne moveat quidem agendo prima efficiensque causa, sed quasi amore atque cupidine aliquo materiæ excitans formarum appetitum, eoque formas ex ejus sinu eliciens: nam ve-

(a) *Iliad.* β.

tat ratio ut æternæ infinitæque naturæ causæque actio ex illa erumpat extra, serpatque longius. Interea quoniam causæ hujus centrum summum est Cælum, quæ sunt ab ea remotiora minorem ejus amorem sentiant, minusque vehementi cupidine inflammentur oportet, remotissima autem est tellus; est enim centrum veluti e diametro centro causæ adversum; ita fit ut infra Lunam perturbata sint omnia, & imbecillia, atque abortiones; aut quasi a supremo hujus divinitatis imperio rebellia. Nemini igitur mirum esse præterea vult, mala hic multo esse & plura & majora bonis.

Atque hæc nisi fallor, super bonis & malis Peripateticorum principis sententia est, non solum impia, ut quivis perfacile per se animadverterit, sed & incomprehensibilis, ut pleraque ejusdem hominis dogmata: & absurda, minimeque secum cohærens. Quæ cum recogito, illud venit in mentem, genium hujus philosophiæ quum & quæ ferebantur aut pugnantia, aut puerilia videret, & nesciret meliora, ex oraculorum consuetudine voluisse aliquid novi dixisse videri, quum vetera recoqueret. Hæc paucis nunc ostendam, atque ex solis philosophiæ scitis; quorum hac in dissertatione pomœria prætergredi, quoad possum, nolo.

Principio quis non dicam comprehendere, sed vel sola suspicione attingere possit, quæ sit hæc aristotelica materia prima? Ea nec atomi, aut ullæ insecabiles partes sunt: nec ullum vulgarium elementorum, nec corpus denique ullum. Mera extensio, nec partibilis, nec tangibilis, nec ulla reliqua corporum proprietate adornata, non differt ab ea, quam inane & vacuum dixere Democritici; quam ille tamen perpetuo aversatus est, veluti mundo minime consentaneum. Sed & δυναμις, potentia. Nullo ne subjecto inhærens? Passiva, inquit: nihil ipsa agens: omnia tamen excipere parata. Quid igitur est id quod & patitur & excipit? Ego ad pristinum (ut plures alios philosophos, eosque omnium ætatum) adegissem, aut cruci adligassem, compulissemque eo, ut aut ejuraret id monstri, aut se illudere philosophis voluisse aperte planeque fateretur.

Jam illud nec cum natura rerum ipsa, nec cum sua philosophia consentit, causam moventem omnia efficientemque quintæ esse naturæ, subtilioris scilicet ignis puri-

rio-

riorisque; immutabilem interea, impartibilem, inalterabilem, totum actum, nec extra se actum. Quæ postrema satis intelligo; nam actuosus est ignis; & cum totus cæli ambitu contineatur, ut is putat, nec extra pervagetur, haud certe extra se transcurrere potest. Illa rogo, qui ignis immutabilis, immobilisque, quum tota ejus natura perpetuo motu constet, extinguaturque, si vel momentum requieverit? Hæc non physici sunt dictata, sed ejus qui ultra ambitum idearum philosophari amat, atque ignota contexere. Sed dicet forte, ignem esse illum naturæ ac potestatis diversæ. Cujus vero? Certe non incorporeæ, quas res ille ignoravit. At si corporeæ, attenuet ut libuerit, numquam efficiet, ut insecabilis indivisibilisque sit. Tum si eadem immutabilisque atque impartibilis hujuscemodi est semper causa, ubicumque est, eadem est & tota: nunc quæ causa esse potest ut minor frigidaque sit ejus infra Lunam vis? naturæ sunt hæc finitæ, circumscriptæque limitibus. Postremo quum satis hinc appareat Stagyritæ nostro mundanæ substantiæ unitatem haud admodum absurdam visam, etsi imperii philosophici ambitione sæpe eam deridere in Eleaticis videatur; ea omnia cum eo disceptare possum, quæ superius cum pantheistis disputata sunt. Hunc igitur in modum metaphysici Græci, qui populares bonorum, malorumque dæmonum fabellas, ut ii quidem rebantur, elevare confutareque studebant, simplicioresque reddere tam abstrusæ rei causas, insipientius, quam populus, delirabant, non plebe modo, sed philosophia quoque irata.

Quid, inquit aliquis, nihil ne homo peracutus in tota hac causa, quatuordecim libris vestigans, dubitansque, & disputans, vidit? Vidit hercle aliquid, & quod est in hac quæstione præclarum, non posse a nobis mundum ullum, corporum nimirum mentiumque compagem ordinatissimam, concipi intelligique, sine partium discordia mutua ac intestina quadam lite & bello. Principio nulla queunt esse corpora, moverique, nisi antitypæ sint partes, aliæque aliis aversantes: nec globos cælestes in gyrum agi sine virium pugna, quas *centrales* vocant: nec stirpes, & arbores, sine vi quadam nutritii succi attrahente, sibique se conciliante, vicinæ vero insidiante: nec postremo animantes sine & hujuscemodi corporeis viribus trahentibus sese mutuo aut repellentibus; & iis animorum affectibus,

 qui-

quibus statim ac natæ sunt sibi natas sentiant, partimque aliis conjungantur, partim eas aversentur. Homines in primis animantium & nobilissimos & reliquorum dominos, & se amare ac sua oportebat, ut esse possent, & quæ sibi infesta animadverterent, ira, odio, metu, propellere, aut vitare. Quæ si leges sunt mundi, ejusque ordinis, sine totius dissolutione nec coerceri, nec tolli possunt. Quibus ex rebus facile apparet, malorum, tam eorum, quæ physica dicimus, quam, quæ mores spectant, fontes, radicesque naturam ipsam universi sequi comitarique; ut illud nec esse naturaliter, nec intelligi possit sine iis oppositionis, ac malorum legibus causisque. Ac vero in ea quæstione, possit ne ullus esse, aut concipi mundus sine hujusmodi mali fontibus, theologi etiam nostri gravissimi, ac in his de schola primarii, negantem partem tuentur. Nimirum de nostro præjudicamus, inquit aliquis. Unde vero? Nam hinc exornatur instruiturque rationis humanæ theatrum; ut si ex animantibus, liberisque mentibus singuli sint componendi ornandique mundi, ego quoque non temere judicaverim, in unam eamdemque omnibus eundum esse sententiam, nullum concipi sine mali semine posse. Animantia, atque mentes sublata si volumus, nihil equidem habeo, quo illis amplius assentiam; sed valde vereor, ut talem mundum plenum perfectumque habeat ullus. Verum hæc alibi.

Illud jam vero in hac Aristotelis philosophia tamquam divinitus excogitatum dictumque arripuere juniores, mala esse *privationes*; quo *nihil* esse efficiunt. Quum vero *nihili* Deus esse causa nequeat; existimaverunt præclare in hac disputatione, quæ cum illis suscipitur, qui veriti non sunt Deum malorum scaturiginem habere, adversus Dei bonitatem & omnipotentiam agi hanc in philosophiam inducendo sententiam. Nec tamen illud perviderunt, Aristoteli *στέρησιν*, privationem, *appetitum* habitum fuisse, eumque *ἀρχὴν*, *principium*, ut longe ab hac nova opinione fuerit. Cui accedit, quod si *nihil* sit malum, ut Deum habere causam nequit, ita nullam reliquam posse. Atqui aut æternum ingenitumque est, quod causa caret; aut non est; malum igitur aut per se est, ingenitum, æternumque; aut non est: quæ adeo sunt absurda, ut velle refellere esset operam atque tempus abuti. At enim, mala esse *μὴ ὄντα*, *non entia*, nec habere *οὐσίαν*, *substantiam*: totam eorum vim

natu-

naturamque positam esse in *στερησει*, *privatione*; esse *deficientias*, non *efficientias*, veterum theologorum ferme omnium sententiis adstruit vir antiquæ christianæ theologiæ consultissimus Dionysius Petavius (*a*), quibus magno claroque plausu plaudit; iisque, quasi testium nube, hominem ingentis ingenii & animi, alterumque Thomisticæ Scholæ parentem Cajetanum oppressum it, atque e gymnasiis exturbatum (*b*). *Ex hac*, inquit, *constanti & consentiente Patrum de mali ac peccati natura sententia licet concludere, quam longe sit ab usu scholarum ac theologiæ finibus arcenda proscribendaque opinio illa quorumdam, qui malum, etiam qua malum est, rem esse aliquam &* POSITIVUM *quiddam sentiunt*. Quid? nempe & vera sunt hæc, si ex Patrum mente ingenioque definiantur; nec tamen id monstri efficiunt, ut malum sit omnino nihil, quod improspere inde exculpit Petavius. Veteres illi Patres summique theologi *ον* & *ουσιαν* id in hac causa dixere, quod præcipue eo nomine venire Aristoteles in v. Metaphysicorum, capite 8. docuit, nos *substantiam* appellamus, quamque non solum solidam extantemque rem, sed per se constantem; qualia sunt elementa, animantes, plantæ, ceteraque hujusmodi naturæ res; & præterea animæ, & mentes, quæ illas animant. Hoc significatu malum non habet *ουσιαν*, *substantiam*: *μη ον*, *non ens*, est. Atque idipsum intelligunt, quum *ουδεν* *nihilum* malum vocant, nihil scilicet per se constans, atque subsistens. Dicamus ex schola; neque substantia est malum, neque substantiæ proprietas, aut attributum, sed accidens, idque ex libero mentium arbitrio. *Malum*, inquit sæpe Aurelius Augustinus (*c*), *non est natura, sed nequit esse nisi in natura*. Naturam autem dicit, quod nos *substantiam*. Sed non continuo quod non est hujusmodi *ens*, seu *ουσια*, *natura*, nihilum est antiquis philosophis. Aristoteles ipse, ex quo tota hæc subtilis philosophia deprompta est, *ουσιαν* eodem loco appellari ait non solum *το δ' υποκειμενον εσχατον*, *ultimum rerum subjectum*, quod proprie & præcipue; sed quædam etiam, quæ subjecto accidunt, modo separabilia sint (*d*). Jam vero *ον*, *ens*, *πολλα-*

(a) *Petavius de Deo lib.* VI. *cap.* 4. (b) *Ibidem* §. 9.
(c) *Vide lib.* I. *de Gent. contr. Manich.*
(d) *Metaph.* v. *cap.* 8.

πολλαχῶς *multipliciter* accipi scribit: in iisque acceptionibus omnes categorias enumerat, *quid*, *quale*, *quantum*, *ubi*, *quando*, ac reliquas (*a*). Norunt autem vel pueri, in categoriis actiones quoque & passiones habitas a philosophis. Potest igitur esse aliquid non ens, licet substantia non sit. Quocirca actiones bonas aut malas nemo physicas substantias dixerit: sed esse tamen aliquid non negabit, si prudens sit, nolitque logomachiam instituere longam. Quid autem sibi volunt illa, peccata esse non *efficientias*, sed *deficientias*? Nimirum non *naturæ* (id est Augustino *efficientiæ*) sunt malæ perversæque, quod placebat Manichæis: sed bonarum naturarum a regula liberæ exorbitantiæ.

Sed utcumque hæc æstimentur, illud haud intelligo, qui quæstionem nostram juvare possint. Sit malum *non ens*; sit *privatio*, *nihilum*; aliud quæsitum est, auctor præclari hujus mundani operis vi ne polleat coercendi ea, aut tollendi, necne? Dicere non ejusmodi vi pollere & cum communi hominum sensu repugnat; idcirco enim Deum precantur homines, ut & mala avertat, & beneficia largiatur: & pugnat cum Christiana præsertim religione, ex qua Deum oramus, *libera nos a malo*: & philosophicum non est, ut ea vi destitui Deum dicamus, qua minores potestates pollent. Ac si quidem pollet, velit ne tollere? Aut si nolit, imbecillitatis est, an sapientiæ? Nec vero de iis malis nunc quæro, quæ remotis privationibus continentur, quæque *metaphysica* appellari posse diximus: nihil illa habent profecto, quæ ad Deum attinent: sed ea dico, quæ aut *physica* sunt, aut *moralia*; aut naturæ scilicet vitia, aut rationis atque appetitus. Sunt, ais, *deficientiæ*: sunt hercle vero: sunt *privationes*: sunt *nihila*: esto. Tollere hasce deficientias, ac privationes Aristotelis, hæc *nihila* Deus possit quærunt, easque vacuitates formis explere. Nam si non potest, id nimirum fit, quia ἀνάγκῃ ὑλικῇ *materiæ fato* subest, an quia non licet, vel non vult? Si non vult, aut illa non sunt mala, nec propterea privationes debitarum formarum; qua ratione ne mala quidem sunt in mundo ulla, extraque quæstionem vagamur, nec in quo præsens causa consistat videmus: aut si sunt, exiguam sane operis suscipit curam. Quod

(a) *Metaph.* VII. *cap.* 2.

Quod si non licet, bona esse illa debent, nam hæc solum pervertere non licet Deo. Quod si dixerit Stagyrita philosophus; duorum alterum fateatur necesse est; aut eas privationes videri quidem nobis mala, nec tamen esse si cum universo contendas; aut bonis multo majoribus posthac compensari. Quorum illud inutile totum privationum, oppositionumque systema reddit: hoc in Christianorum castra deducit.

Eorum expenditur opinio, qui materiam animatam, ipsamque per se efficientem posuere, velut malum Deum adversus bonum pugnantem, malorumque geniorum fontem, quibuscum boni digladientur.

HÆC, arbitror, fecere, ut Zoroastriani ac Manichæi quidam non inertem passivamque materiam malorum causam prætenderent, sed efficientem, sensu, menteque præditam, paris cum bono Deo & intelligentiæ & potentiæ, & auctoritatis. Si quæ igitur sunt mala, ab hac sunt æterna atque æque omnipotente causa: nam bona omnia a Deo sunt. Invidæ, pravæque est illa indolis, ut bona, nec velit unquam, nec si velit, possit: bonæ hic amabilisque, ut nulla mala non solum facere, sed nec velle possit. Itaque æternum fuit atroxque inter utrumque Deum bellum; quousque longa contentione defatigati, initoque ex æquo fœdere, paribus auspiciis mundum conderent, regerentque. Æque sunt utrique bonorum, malorumque partes. Si quæ peccamus, aut doleamus malo illi genio infensoque accepta debemus: si virtute distinguimur, aut felicitate, ab hoc est totum (1).

Has ut fabellas moremur? quas constat rei difficultate ac desperatione excogitatas. Haud illud negabo, minus esse in hac hypothesi absurda consequentia, quam in Platonis Platonicorumque dogmate. Apud hos manifestæ impotentiæ Deus revincitur, aut inscitiæ; atque ignaviæ. In illa vero fabula contraria potestate, æquatisque viribus distinetur. Nihil in ea Deus peccat: nam & omnium est guarus consultusque, quæ fiunt: & mala aversatur & odit: & infinita vi decertat, ne sint. Sed æquali & intel-

 ligen-

(1) Scio hæc aliter ab aliis narrari, in primis a *Beausobre* viro sane eruditissimo: sed satis sum certus, extitisse qui traderent.

ligentia atque arte, æqualique omnipotentia refrænatur. Quis igitur illi vertat crimini? De principiis ergo magna lis est. Quæ duo habet capita. Primum, consentit ne ratio, ut duo summa atque prima, pari & intelligentia, & potentia, & ceteris proprietatibus, una bonitate exempta, statuamus? Alterum, permittit credere, id quod æternum est, absolutumque, ut inique perversæque sit & mentis & indolis? Utrumque repugnare dico (1). Primum non modo comprehendere animo, sed ne suspicione quidem possum attingere. Nam quod æternum infinitumque est, nullis naturæ limitibus, nullis formis, modisque, nulloque nec habitu, nec situ limitari, circumscribique potest. Id nisi sit unum atque simplex, facilius cogitaverim non esse, quam ei æqualem per omnia socium perhibuerim. Qua illos nota secernam animo? Nam & æternus ingenitusque uterque; & uterque immensus, ut alter alterum permeet necesse est: & infinita uterque intelligentia, ut non solum alter alterum latere nequeat, sed ut altera in altera sit, velut infinita lux luci infinitæ itidem permista, nec tamen aggregatione aut latior, aut lucidior. Et cum uterque totus actio, & alterius in altero tota, mista item, confusaque: nec tamen aut diversæ variæque naturæ, nec virtutis majoris. Tum permistæ quoque atque individuæ amborum potentiæ, ut neutra sit extra alteram, aut in ampliori campo, diversoque spatietur, dominetur que. Hæc quo magis mente animoque verso, quo subtilius vestigo, pensitatiusque, eo minus intelligo. Fortasse igitur in indoctorum hominum phantasia rustica atque involuta tenebris locum habebunt aliquem: in mente & ratione, rationisque dogmatibus, certe non obtinent. Ne in natura igitur quidem esse possunt.

At alterum ne in phantasia quidem, puto, agrestium erit, ut eandem rem & infinitæ mentis, virtutis, proprietatis esse putent, & ingenii subdoli, pravi, iniqui, invidi, maligni: nam tanto nos animos æquiores, generosiores, infimarum rerum amantiores, atque ab omni malignitate alieniores existimamus esse, quanto sunt illi loco securiori positi, extraque miseræ nostræ for-

(1) Cotta. *Omnis igitur talis a philosophia pellatur error, ut cum de Dis immortalibus disputemus, dicamus digna Dis immortalibus.* De nat. Deor. III. 25.

fortunæ tela collocati, ut nec cupiendi noſtra cauſas habeant ullas, nec metuendi. Quum autem in eminentiſſimo tutiſſimoque ſit eorum uterque loco ſitus, ejuſque & naturæ amplitudinis, & auctoritatis, ut nec percupere quidquam externum poſſit, nec reformidare, quam alter cauſam nactus eſt, ut improbus eſſet malignuſque? Non vident hæc tota natura pugnare? Itaque ſi qui hæc dixere unquam, certus ſum nulli examini, nullique rationis trutinæ ſubjeciſſe: nec ſolum non veſtigabilia dico, neque comprehenſibilia, ſed *ἀδυνατα impoſſibilia*.

Quid ſi quis non perfectiſſimæ atque abſolutiſſimæ naturæ alteram ac malignam illam divinitatem animo concipiat? Nam & Perſas, & Manichæos, totamque adeo eam peſtem fanaticorum hominum, hæc non ſuſpicatos tantum ſcimus, ſed faſſos interdum (*a*), ut ſunt plures, qui quid dicant, haud ſui eſſe penſi ducunt, modo ne taceant, obſtupeſcantque. Non enim vident, ſi vel hilum invidæ deitatis vis naturaque ab infinitate removeatur, totam hanc improbitatem, malorumque colluviem in bonum Deum recidere? Infinita namque niſi ſit illius & intelligentia & potentia, finita eſt: nihil eſt medii. Vim vero potentiamque finitam infinita Dei boni virtute comprimi coercerique non poſſe fatebimur? Nemo id dixerit, niſi ſtultiſſimus. Supereſt igitur ut aut neſciverit, aut noluerit. Ita ne illud dicant, parem eſſe alterum alteri, cauſam totam malorum in Deum rejiciunt. Qui enim, ſi hic aut potuiſſet ſciviſſetque, aut voluiſſet, tam nefariam nobis peſtem potuit alter machinari? Qui adverſus infinitas boni vires tranſverſa mente hanc nobis perniciem creare, pergereque impetrare? An Homericas Deorum, dearumque adverſus Jovem pugnas recinemus? Poetarum iſta ſunt: nos autem philoſophi eſſe volumus, rerum auctores, non fabularum.

Quem-

(a) *Vide Hyde* de veteri Perſarum religione, & *Beauſoubre* hiſtoire du Manicheiſme.

Quemadmodum Manichæi quidam in divinis Scripturis Manichæismum reperire confidant: Divinique Auctores ab hujuscemodi fœditate defensi vindicatique.

ILlud incredibile, planeque paradoxum videri potest, quod Manichæi quidam confisi fuerint in divinis se Judæorum Christianorumque libris suam fœditatem reperisse. Quid illi egerint cum vetustis Judæorum scripturis, aut quemadmodum illas a tam atroci calumnia defendi oporteat, non ego hic demonstrandum in me suscipiam: satis id copioseque factum & pluries ab Augustino (a). Quemadmodum Apostolorum tractaverint scripta tum ii, tum eorum præsertim fautores, heic exponam, breviterque refellam.

Ajunt igitur primo, quod cum Christianæ doctrinæ auctor, fundatorque apud Æpyptios fuerit educatus, diuque versatus, quorum ejuscemodi dualitatis dogma fuit proprium ac præcipuum; fieri non potuit, ut ejus fuerit insciens: nam omnes illud Ægyptiæ scholæ personabant, eratque tum antiquum, tum moribus ipsis, totoque religioso cultu propagatum (b). Numquid autem ullibi id arguit, ac refutavit, aut ullo modo aversatus est? Quem, quum ad errores dispellendos venerit, ecquis credat aut imprudenter, aut data opera præteriisse? Nec vero ignorare poterat, tam fuisse eam absurditatem per gentes sparsam, quam reliquam idololatriam; quam quum tota prædicatione eradicandam studuerit, hanc materiæ, tenebrarum, & malorum geniorum e materia ac tenebris progenitorum doctrinam intactam omisit. Non igitur falsam habuit: quod illi primum vibrant argumentum. Quid quod & sæpe recordando confirmare videtur, & ad hoc cum iis bellum bellandum venisse fatetur aperte? Hoc secundum: quod quemadmodum ingerant videamus. Deum esse *vitam & lucem* hominum docet Jesus (c), hanc lucem *lucere in tenebris*. Quibus vero? *Et tene-*

(a) *Vide libros duos de Genesi contra Manichæos, &* XXXII. *contra Faustum.*

(b) *Vide Plutarchum, & Synesium locis supra laudatis.*

(c) *Joan.* I.

tenebræ eum non comprehenderunt. Quum Deus sit non corporea, sed spiritalis lux: ex tenebræ, quibus illuxit, quæque lucem aversatæ sunt, spiritales item sint necesse est. Quæ quid aliud esse possunt, nisi materiæ propagines? Itaque illud, *qui credit in me, in tenebris non manet* (a), huc, quemadmodum iis videtur, pertinet, ut in regno tenebrarum non sit, neque tenebrarum socius, idest malignorum dæmonum. Porro tenebras illas non a Deo natas ait (hi enim, qui scilicet a Deo nati sunt, sunt filii Dei, idest lucis) sed ἐξ αἱματων, ἐκ θεληματος σαρκος, *ex sanguine, & appetitu carnis* (b); quandoquidem id antithesis poscit, At *sanguis*, & *caro* pro hominum corpore positum est, hoc pro materia, re inani, videlicet, ac fragili, vili, tenebricosa, quæ a Deo non est. Esse quod *ex carne nascatur*: esse quod *nascatur ex spiritu* inculcat (c) paullo post. Quid jam illa? *Vos de deorsum estis: ego de supernis sum: vos de mundo hoc estis; ego non sum de hoc mundo* (d). Tum vero aperte (e): *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio .... quum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus*: Græca: ὁτι ψευϛης ἐϛι, και ὁ πατηρ αυτȣ. Pater ergo diaboli mendax est: Deus mendax esse nequit; ab altero est igitur, quam a Deo, diabolus. A quo vero, nisi a materia, aut a malo Deo? Jam quid est illud? *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt .... & sequuntur me ..... & non rapiet eas quisquam de manu mea* (f). Duo igitur existimavit esse mentium animarumque genera. Unum ex Deo est: ex quo alterum? a diabolo nimirum, a tenebris, a materia. Porro Jesus mortuus est, *ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum* (g). Diligebat suos, *qui erant in mundo* (h).

Non

(a) *Joan.* XII. 46.
(b) *Ibid. v.* 13.
(c) *Ibid. cap.* III. 6.
(d) *Ibid. cap.* VIII. 23.
(e) *vers.* 44.
(f) *Joan. cap.* X.
(g) *Ibid. cap.* XI. 52.
(h) *Ibid.* XIII. 1.

Non ergo omnes homines sunt filii Dei; materiæ ergo. Nam cujus alterius? Quo spectant illa ad Deum patrem: *Manifestavi nomen tuum hominibus*, non omnibus, sed *quos dedisti mihi de mundo:* &, *non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi* (*a*). Qui *de mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo*. Unde ergo ii, mundusque? non certe a Deo bono, a quo Jesus. Sed illa manifestissima. *Nunc judicium est mundi: nunc ὁ ἀρχων τυ κοσμυ τυτυ, princeps hujus mundi ejicietur foras* (*b*). Est ergo alter a Deo mundi Archon, princeps; isque, ut apparet, malus. Eumdem memorat & *cap.* XVI. XI. *judicatumque* jam dicit. Hunc imperium habuisse *in omnia mundi regna* tradit Matthæus (*c*): itaque illa Christo obtulit. Is *Deus hujus sæculi* (Θεος τυ αιωνος τυτυ) vocatur a Paullo (*d*) & *princeps potestatis aeris hujus* (*e*): Ab hujus tyrannide nos liberatum venit Christus; *qui eripuit nos de potestate* TENEBRARUM & *transtulit in regnum dilectionis* (*f*). Ita victus fugatusque, mundique imperio exutus est *Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas, qui seducit universum orbem: & projectus est in terram* (qui est ταρταρος, *infernus*) & *Angeli ejus cum illo missi sunt* (*g*). In omnibus igitur novi fœderis libris tenebræ luci adversæ repugnantesque traduntur, nec per ambages, sed clare ac manifeste: malæ bonis mentibus contrariæ ac invidentes; tenebrarum filii filiis lucis: filii mundi filiis Dei: princeps mundi Deo optimo maximo: inter quos atrox perpetuumque bellum ac nefarium. Quis autem opinetur aut id accidere posse, si omnes æque tam boni, quam mali dæmones, ex Deo sint creati; aut iis formulis sententiisque dici ac scribi a divinis auctoribus, nisi ii in ea fuissent sententia, nec materiam ac tenebras, nec malos genios, eorumque regem & dominatorem a Deo esse? Atque hæc & alia permulta hujusce sectæ propugnatores, quo tan-

(a) *Joan.* XVII.
(b) *Ibid.* XII. 31.
(c) IV. 9.
(d) *Ad Corinth. ep.* II. *cap.* IV. 4.
(e) *Ad Ephes. cap.* II. 2.
(f) *Ad Coloss.* I.
(g) *Apocalyps.* XII. 9.

tantam suam absurditatem honestis auctoribus tegant; imperite, imprudenterque scribunt atque declamant. (*a*)

Quibus ego paucis responsum volo: nam cum tota hæc accusatio magna constet & vocabulorum perversitate, & falsatis intercisisque sententiis; ut illud appareat manifestum, quod sæpe Augustinus cum istiuscemodi hominibus disputans ait, nihil esse tam facile non piis, neque æquis lectoribus, quam prave, quæ bene scripta sunt, interpretari; pluribus consutari necesse non est. Principio igitur Evangelica doctrina apertissima, nec uno in loco, sed pene infinitis, tradit diserte, universitatem rerum, ac quicquid ea comprehenditur, unius Dei summique esse opus, ut incredibilis fuerit vel stupiditatis, vel malitiæ aliorsus trahere. Deus enim *cælum & terram* creavit (*b*). Is omnia sua voluntate & arbitrio regit moderaturque (*c*): Ab eo sunt boni pravique Angeli; boni pravique homines (*d*). Quæ est igitur isthæc *tenebrarum* fabella? Quid enim plenius, quid apertius dici oportuit? Quidnam igitur, roget aliquis, sunt illi, *diabolus*, *angeli ejus*, *filii tenebrarum*? Nimirum qui suopte arduo ingenio & turbido arbitrio a Deo rebellarunt: qui in *veritate non steterunt* (*e*): quo ex loco vel plane stupidis constat, in veritate omnique adeo probitate procreatos fuisse: jam qui Dei favori atque amori, quem lucis nomine divini auctores vocant, præcluserunt oculos, patremque vocantem atque allicientem adspernati sunt. Qui porro *filii Dei*? Qui videlicet sub Dei imperio manserunt: quique nihil de amore & obsequio in patrem opificemque detraxerunt: aut qui, si descivere, gratiæ parent obtemperantque, Deoque revocanti credunt, ac eum sequuntur. At enim pro illis non rogat Christus. Rogat enimvero: nam oravit & pro mundo, ut resipisceret, & veniam acciperet peccatorum (*f*): *Sed hæc, quæ nunc orat*, ait

---

(a) *Vide S. Epiphanium in Hæresi Manichæa*.

(b) *Matth.* XI. 25. *Joan.* I. 3. *Act.* IV. 24. I. *ad Corinth.* VIII. 6. *Apocal.* IV. 11. *&c.*

(c) *Matth.* VI. 33. *Lucæ* XII. 31. *Joan.* V. 17. *ad Romanos* IX. 15. *ad Corinth.* I. III. I. *&c.*

(d) *Ad Coloss.* VII. 16.

(e) *Joan.* VIII.

(f) *Lucæ* XXIII. 34.

ait ad hunc locum Grotius, *de protectione paterna, de spiritu, de concordia, nonnisi ad credentes pertinent*. Alioquin sine omni discrimine pronunciat, *qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet*. Et, *qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam* (a): neminem ergo excipit. Hæc satis superque ostendunt, hanc bonorum malorumque dæmonum discretionem; item filiorum Dei, & diaboli; non a natura esse tradi a Christo & Apostolis, ut Persidis, istiusmodi atque Arabiæ fanatici præcalidi, ut apparet, ingenii ac deflagrantis, imaginantur: sed abs rationis, arbitriique usu, abusuve. Illud vero integrum prætereibo, velut prorsus inane ac puerile, Jesum ægyptias doctrinas & scivisse, & non refutasse. Quisquam ne divinare potest, quid istuc Manichæis sit refellere, ac confutare falsa, quod desiderari ajunt in Evangelio? Verum implicata isthæc eorum inscitia impudentia est: nec errorem dediscere volunt; & honestos ejus auctores prætendunt. Qui enim poterat refutari manifestius, postquam & unum esse cœli terræque conditorem ac moderatorem docuerat, & eos ipsos dæmones, quos tenebrarum incolas habet, a Deo ortos, esseque adhuc sub ejus imperio? Sed nimis multa de nugis, ad majora veniamus.

Judæorum Christianorumque super origine mali sententiæ generatim; utque neque a materia, neque a Deo, sed a malis geniis sui arbitrii libertate, permittente Deo, non efficiente, mala derivata sint; atque unde cacodæmones.

QUemadmodum mala a materia traherentur, ejusque aut fatali vi, aut privatione, aut inde natis pravis diis, quidve super ea re Ethnici senserint, satis, opinor, superius demonstratum est. Sed & illud ibidem ostendimus, plurima in illis esse sententiis, aut commentitia, aut secum pugnantia, aut cum Dei natura ac magnitudine parum congruentia; aut obscura demum & incomprehensibilia. Illud nunc pervestigemus, quid his de rebus Judæi olim crediderint, atque Christiani, & quomodo cum hujusce hominum vitæ pravitatibus, miseriaque, Dei optimi maximi & bonitatem, & providentiam in

(a) *Joan.* XII., 25.

in concordiam adducere studuerint, atque exemerint, necne, obscuritatem omnem atque scrupulos, remque, ut dicitur, hanc acu tetigerint. Quod ita efficiemus, ut primum κατα γενη *generatim*, paucisque verbis systema totum exponamus: tum quæ ex eo enascantur dubitationes quæstionesque: postremo qui insignes & probitate & doctrina theologi philosophique eas persolvere enixi sint, quantumque ea in re profecerint. Longa, ut facile quivis per se viderit, atque implicita res: quam tamen per summa capita expendere cogimur: non enim librum, sed dissertationem perscribimus.

Itaque doctrina Judæorum, Christianorumque est vulgaris, ac communis, quicquid cælo terraque comprehenditur, ex nihilo fuisse a Deo creatum, non modo corpora corporumque materiam, totumque adeo spectabilem hunc mundum; sed mentes quoque infinito pene numero ac varietate. Mentium duo esse genera: nam aut solutæ sunt segregatæque ab hisce crassis organicisque corporibus, eosque *Spiritus* atque *Angelos* vocant: aut conjunctæ, corporaque informantes, appellantque animantia. Prioris generis mentes, Angelos nempe, longe prius creatos, quam corporum, animantiumque terrestrium universitatem, major pars tuentur. Quum primum autem geniti procreatique fuere, eminenti & scientia ac sapientia, & virtute, Deique parentis & principis amore illustres, fuere, atque præfulgidi. Nec ratio in illis insciens ac perversa, nec stultus pravusque animus. Sed haud longo post tempore bona eorum pars a Dei Patris ac Regis amicitia atque imperio, reliquorumque societate petulanter & ambitiose descivit, bellumque Deo bonisque Angelis indixit. Qui e cælitum ac beatarum mentium cœtu, supremisque sedibus idcirco dejecti, atque ab iis, qui supremo Imperatori fidi carique perseveraverant, fusi fugatique, in tartarum detrusi sunt. Eam ob rem animi ægritudine, odio, invidentia, livore, rabie perciti nihil non commoliuntur, quo reliqua divini imperii fœdent, nihilque sinant Deo esse fidum & intactum. Ut ecce, quo terra habitaretur, cæleste hoc animal, quem hominem dicimus, præclaro, erectoque ad sidera vultu, menteque divina præditum, Deus optimus maximus in ea progenuit. Nihil in primis hisce hominibus non perfectum & absolutum erat. Corpus haud morti obnoxium, neque morbis,

bis, vitiisque ullis: perpetua futura fuerat juventus: æternum corporis robur ac indomabile senio, viresque atque sensuum membrorumque alacritas ætate intactæ. Jam animus nulla inscientia fœdus, nulla libidine, nulla intemperantia, nullo vitio. Sedes, quas dæmones vacuas reliquerant, velut terrestris quædam colonia occupare designati. Id quum malis illis geniis doleret, hos primos homines astutiis pravisque calliditatibus adorti, eos statim a genitura abalienaverunt, secumque in rebellionem pertraxerunt. Quibus iratus Deus & morti, & ceteris miseriis dedidit, pravosque esse, quo gravius dolerent, sivit. Atque hunc in modum quum animorum mala, omnium & prima & maxima, tum corporum, prorepsere, cumque hominum genere pervagari cœperunt. At cur id permisit Deus? Rescire nefas.

Hæc si per ingenium humanum justo sæpe curiosius, aut adrogantius, ita dici, credique licuisset perpetuò, quemadmodum divini vates tradiderant, tristi hoc penso soluti essent philosophi, ut, quo Dei facta, permissaque tuerentur, subtiles rationes exquirerent, ac ubi deficiunt, hypotheses fabricarentur atque commolirentur. Ac ita quidem, uti dicebantur, accepere, servaveruntque Judæi, prius quam cum Græcis miscerentur, simplicemque, eoque angustiorem Dei legem, Græcanicæ Dialecticæ & Metaphysicæ cote exacuerent. Sed inde a captivitate ita, ut Platonici, Peripatetici, Stoici, metaphysico enthusiasmo furentes, omnia tenuibus ac incomprehensibilibus quæstionibus, rixisque molestissimis perverterunt; veritique historiæ simplicitatem, item ut illi poeticas fabulas, sic Synagogæ magistri commentitiis allegoriis sacros libros conspurcaverunt. Fuere christianis hæretici, quod philosophi Judæis; hoc discriminis, quod Judæi verecundati majores velut rusticos ac ineruditos ultro in Græcorum castra transirent: Christiani ab hæreticis aut velut imperiti contemti deridiculoque habiti; aut tamquam injurii Deo ac impii lacessiti, vulgoque traducti velut nefariæ conspirationis auctores; se suaque dogmata, quasi vim vi repellendo, edisserere copiosius, interpretari, ac defendere adacti sunt. Ita igitur & primæ quæstiones natæ, & alias ex aliis serendo, in immensum adauctæ sunt. Quumque novi semper scriptores aut recentibus pugnis exciti, atque inde alacriores; aut ingenio ac eloquentia

fisi,

fisi, hincque præfidentes, aliquid se seu verius, seu præclarius allaturos sperarent; non modo tam multa disputatio extitit, ut nemo amplius totam queat addiscere, sed adeo variæ multiplicesque sententiæ, ut & molestum sit enumerare, & plusquam herculeum opus perpendere singulas. Quod si quis ita firmis lateribus pectoreque sit, qui adgredi non reformidet, is ne dubitet, lectore se cariturum. Hæc igitur efficiunt, ut quo fieri potest brevius ex his me abducam dumetis.

Sed quæstiones primum percenseamus, quas cum philosophi, præsertim Epicurei, Academicique, ac Pyrrhonici provocassent, vociferatique essent Manichæi, Bælius adeo (1) & subtiliter, & astute exacuit, ut multis in αθειτητος suspicionem veniret. Constat Deum tam esse & sapientem, & bonum, ut & rationes atque vias omnes arcendi ab operibus suis mali præsciat, & arcere velit; siquidem non modo bonus est, sed optimus: infandum enim & impium est Judæis Christianisque, Deum mali ullius primum esse auctorem, ac propagatorem. Jam omnipotens est, cui idcirco sat est velle, quod id fiat, quod vult. Unde igitur, quave via & arte mala invaluerunt? Aut igitur fato ac materia fiunt omnia, aut casu: aut hæc, quæ mala sunt, talia non sunt: aut si sunt, demonstrandum est, qui cum illis Dei conditionibus stare possint. Hæc ita Judæi, Christianique doctores evadunt, ut doceant, & Deum esse omnium præscientem, nihilque fieri, quod eum lateat: & adeo omnium esse causam, ut nihil mundo contingere possit, nisi ejus nutu ac imperio. Præterea absolutæ esse inclytæque efficientiæ, ac potentiæ. Itaque ea mala, si velit, nullo negotio auferre posse, quum illa, quæ ceterorum sunt scaturigo, peccata; tum hæc, quæ inde conrivantur, calamitates, miseriasque: sed nolle tamen. Nec vero temere ac sine ulla ratione nolle, (quandoquidem in nihilo prorsus distat a malignitate) sed summa eminentissimaque: esseque adeo suæ & sapientiæ, & bonitatis cælestium mentium, hominumque arbitrio ea permittere, ut nec sapiens esset, nec bonus, si, qua potentia prævalet, intercederet. At quærunt alteri, ut hujusmodi rationes expromantur; quibus in-

(1) *Dictionaire historique & critique* Art. *Manicheens*, Origene, aliisque.

telligi comprehendique a nobis possit, qui hæc, quæ pugnantia videntur, stare simul possint. Nam quum ab eo hanc, qua pollemus, rationem cogitationemque habuerimus, indeque sint ea intelligentiæ & scientiæ semina, quibus animalibus ceteris longe præstamus; qui fieri potest, ut hæc ipsa se destruant? In illis enim cælestis rationis seminibus nihil certius præclariusque elucet, quam Deum & bonum esse, & sanctum, nullique invidentem; providentem idcirco omnibus, suaque opera, singula pro sui conditione ac dignitate, diligere; ut nulla in mundi parte nec fœditatem, nec vitium, nec miseriam velle possit, quin statim in illis rationis nostræ seminibus, quæ commemoravi, omnino alius videatur. Porro in eadem ratione insitum est, tantæ esse eum potentiæ, ut nihil ejus voluntati obsistere possit, impedireque, quominus, quod vult, fiat. Hæc constant, ut potius quis conceperit nullumque esse Deum, quam his dotibus carentem. At ex altera parte quis in dubium vocare audeat pravi ne simus ac miseri? Itaque, ajunt, hoc intestino bello distrahitur ratio, quousque illud non appareat, quo possimus modo hæc in concordiam adducere.

Quo igitur hujusmodi vociferationes compescerent viri docti, egregiique, disputando, disceptandoque in diversa ac varia abierunt. Quos prius quam audiamus, illud prævertamus, quod longa experientia didicimus, non tam esse facile vera constituere, quam falsa refellere. Nam ad falsa depellenda, humanæ illa semina rationis satis sæpe superque sunt: sed pauca atque angusta ad verum constabiliendum. Plura in ipsa humana vita, ac quotidiana consuetudine accidunt, quæ quid non sint, aut quomodo accidere nequeant, vel vulgus viderit: sed ne sapientes quidem acutissimique dixerint, aut, quid sint, aut unde, quave ratione contigerint. Quid igitur mirum, si in tam ampla, atque cum universo (1), ejusque causa copu-

(1) Chrysippus apud Plutarchum, de Stoicorum repugnantiis: ου γαρ εςιν αλλως, ουδε οικειοτερον επελθειν επι τον των αγαθων και κακων λογον, ουδ' επι τας αρετας, ουδ' επι ευδαιμονιαν, αλλ' η απο της κοινης φυσεως, και απο της του κοσμου διοικησεως, I. *Non enim licet aut alio modo, aut propriori pervenire ad bonorum malorumque rationem, virtutesque ac felicitatem adipiscendam, quam exordiendo a communi rerum natura, mundique procuratione.*

copulata quæstione itidem hæreamus? Ecquis est qui mente animoque ultra universi fines pervagari possit? Qui totum, singulasque partes pectore condere? Triginta prope sæculis de stellis, planetis, cælo, eorumque & ordine & motibus disputavimus. Quæ vero? Quæ hodie rideant pueri. Sed enim enatavimus haud pridem ab illo veterum astronomorum cœno. Quatenus autem? Nimirum humeris tenus. Cetera quid non sint haud admodum difficile decernimus: quid sint nondum audemus dicere. Nec ultra historiam præstantiora in physica edocti sumus. Qua via ac ratione plantæ, atque animantes gignantur, & perpetuentur tam hodie scimus, quam Thaletis & Pythagoræ ævo. Sed Metaphysicos hic jam appello, omnium mortalium præsidentissimo, fabularisque philosophiæ Achilles: quo vinculo animi corporibus vinciuntur? Quibus meatibus externarum rerum simulacra ad animam permanant? Quumque constet apud omnes, & omnia Deum agere, & liberi nos esse arbitrii, qua lege ea sancitur concordia? Quæ satis demonstrant, nos præ natura, qua præditi sumus, ac loco, in quo rerum sumus, faciliores esse & promtiores quæstionibus excitandis, serendisque, mutuis dubitationibus nos opprimendo, quam in omnibus verum videre, tricasque, quas nexuimus, dissolvere. Quod si in infinitis aliis rebus & fit continenter, & minus impotenter fertur: summæ fuerit adrogantiæ in hac tam gravi, tamque vasta debacchari. Verum ea, quæ cœperamus, instituamus enarrare. Sed Deum omnium primum ab omnis mali suspicione defendamus.

Deum nullo modo malorum esse causam extra dubitationis aleam ponimus, contraque impios defendimus.

DEum ipsum per se peccatorum, pœnarumque, quibus in facinorosos animadvertit, esse auctorem causamque, quamquam dictu horrendum, dixisse tamen videntur Calviniani quidam (*a*): ac quod non auferunt Ethnici, ne poetæ quidem (*b*), perfricta fronte Christiani scripserunt.

(a) *Calvin. lib.* 1. *Instit. cap.* 18. §. 1. *Zanchius de nat. Dei cap.* 2. *Gridlovius, aliique.*

(b) *Homerus odyss. A. v.* 33. *& seqq. Eurip. Iphig. in Taur. v.* 387.

runt. Quæ si sunt vera, aut ille non est Deus, qui tanti sceleris est machinator, ac in eos animadvertit, quos suasu impulsuque suo reos facit: aut nec peccata sunt ulla, nec alia mala: *nullius enim rei*, cujus Deus ille optimus ac maximus *est auctor*, *ultro esse potest* (*a*): qua igitur de re disceptamus? Et vero non satis intelligo quid intersit dicere, nullum esse Deum, aut esse quidem illum, nec tamen sapientem, bonum, justum. Præclare S. Basilius (*b*). *Stultus est*, inquit, *ac revera mente privatus & prudentia, qui dicit non esse Deum: sed similis huic est, nihilque ab eo stoliditatem differt, qui malorum causa ait esse Deum: par enim esse & æquale utriusque crimen arbitror: quoniam ambo similiter bonum esse Deum negant: ille quidem dum omnino non esse affirmat: hic vero quum non esse bonum ipsum asserit. Nam si malorum auctor est Deus, non est utique bonus. Quare utrimque Dei est negatio* (1).

Quid,

(a) *S. August. lib. 83. qq.*
(b) Hom. *quod Deus non sit mali auctor est causa.*

(1) Ne Stoici quidem, quamquam fato fieri omnia docebant, tantum sunt nefas dicere ausi. Gellius lib. VI. cap. 2. Chrisippum sic disputantem inducit. *Quamquam ita sit*, inquit, *ut ratione quadam principali necessario, coacta atque connexa sint fato omnia: ingenia tamen ipsa mentium nostrarum perinde sunt fato obnoxia, ut proprietas eorum est ipsa & qualitas. Nam si sunt per naturam primitus salubriter utiliterque ficta: omnem illam vim, quæ de fato extrinsecus ingruit, inoffensius, tractabiliusque transmittunt. Sin vero sunt aspera, & inscita, & rudia, nullisque artium bonarum adminiculis fulta, etiamsi parvo, sive nullo fatalis incommodi conflictu urgeantur: sua tamen sævitate, & voluntario impetu, in assidua delicta, & in errores ruunt. Idque ipsum ut ea ratione fiat, naturalis illa & necessaria rerum consequentia efficit, quæ fatum vocatur. Est enim genere ipso quasi fatale, & consequens, ut mala ingenia peccatis, & erroribus non vacent. Hujus deinde rei exemplo non hercle nimis alienæ, neque illepidæ utitur. Sicut, inquit, lapidem cylindrum si per spatia terræ prona, atque deruta jacias, causam quidem ei & initium præcipitantiæ feceris: mox tamen ille præceps volvitur, non quia tu id jam facis, sed quoniam ita sese modus ejus, & formæ volubilitas habet: sic ordo, & ratio, & necessitas fati genera ipsa, & principia causarum movet: impetus vero consiliorum, mentiumque nostrarum, actionesque ipsas voluntas cujusque propria, & animorum ingenia moderantur. Infert deinde verba hæc quæ dixi, congruentia.*

Ω διο υπο των πυθαγορειων ουτως ειρηται·
Γνωση δ' ανθρωπους αυθαιρετα πηματ' εχοντας·

ως

Quid, inquit aliquis, si ea quæ dicuntur, non sunt tamen mala? Difficile, credo, non dicam aliis, sed ipsi sibi persuadebunt. Sed si ita placet, rationem & causam ostendant necesse est, cur ne tantum paradoxum aut vereamur, aut rideamus. Quæ non potest esse nisi duplex: altera ut leges sint materiæ corporeique fati: altera ut divina providentia mundum architectans & moliens non potuerit eum plene perfecteque pulchrum, omnibusque numeris absolutum sine malis efficere. Quorum prima ad præsentem quæstionem non pertinet, aversaque est & refutata superius. Altera generalior est, quam ut huic controversiæ satisfacere possit; disputabiturque ea de re paullo post.

At enim: actionem peccati esse a Deo extra omnem controversiam esse jubent quidam e schola theologi, nec vero ii de trivio, sed graves in primis & docti, inque metaphysicis hisce disciplinis versatissimi. Instar omnium sit Thomas Aquinas: is enim in iis quæstionibus, quas *de malo* præscripsit, quasque acutissime excogitavit egitque, quum hoc in disceptationem adduxisset, *estne actio peccati a Deo?* (a) atque, ex scholæ more in utramque partem disputasset, præclara voce atque distincta in eorum discedit sententiam, qui ajunt: *actionem*, inquit, *peccati oportet a Deo esse ponere*, idque *duplici ex ratione*. Principio hæc actio est profecto aliquid; est *ens*: suam *essentiam* habet:

(a) *Quæst.* III. *art.* 2.

εἰς των βλαβων εκαστοις παρ' αυτοις γινομενων, και καθ' ορμην αυτων αμαρτανοντων τε και βλαπτομενων, και κατα την αυτων διανοιαν και προθεσιν.

Quamobrem a Pithagoreis sic dicitur,

Nosces homines spontaneas haurire calamitates.

Quasi detrimenta singulis a seipsis fiant, & suo impetu delinquant, & in incommoda ruant sua, & ex sua electione & intentione.

Propterea negat, oportere ferri audirique homines aut nequam, aut ignavos, & nocentes, & audaces: qui cum in culpa & in maleficio revicti sunt, perfugium ad fati necessitatem, tamquam in altum quod fani asylum: & quæ pessime fecerunt, ea non suæ temeritati, sed fato esse tribuenda dicunt. Primus autem Homerus sapientissimus & antiquissimus poetarum dixit in hisce versibus:

Ω ποποι, οιον δη νυ θεους βροτοι αιτιοωνται!
Εξ ημεων γαρ φασι κακ' εμμεναι, οι δε και αυτοι
Σφησιν ατασθαλιησιν υπερ μορον, αλγε, εχουσιν.

Hei mihi, quid damnant mortales numina cæli?
Esse ajunt etenim per non mala, cum tamen ipsis
Vecordi præter fatum sint mente dolores.

at receptum constitutumque est apud omnes, nihil, quod subsistentiam habeat, sitque *το ον*, *ens*, esse posse nisi a *primo Ente*, Deo videlicet: siquidem nihil quod est, quodque factum est, non ab illo est (*a*).

Deinde quia quidquid actionis motionisque est, a prima mundi causa est, & fictrice omnium, & servatrice, & motrice atque moderatrice; perabsurdum enim est, actionem ac motionem esse in universo aliquam, quæ extra sit vim illam ac infinitam Dei efficientiam: est autem peccatum actio agitatioque voluntatis; a Deo est igitur hujuscemodi actio. Ecquam ergo aliam mali causam expetimus?

Quæ si tam crude, quam dicuntur, accipiantur, quemadmodum ii accepere sæpe, qui & fatalitatem, quo crimina excusarent, tueri voluerunt, & in Deum omnem hominum improbitatem impie stulteque conjicere; haud ego negaverim nefarie dicta atque excogitata fuisse. Sed nec necesse est, & a tantorum virorum animo longissime absunt. Habet hæc res sublimem quamdam subtilemque adeo intelligentiam, iisque imperviam, qui hujuscemodi præcisis ac incomprehensibilibus formis contemplandis minus sunt sueti: quam ego, si potero, exemplo magis, quam longa ratione expediam. Deus est procul omni dubio prima cunctorum rerum & fictrix & creatrix causa; nihil igitur est, nisi quia ut esset, illi placuit. Sed & ordinata sunt omnia, quæcumque sunt; finem spectant igitur aliquem, quem vero nisi summe bonum? Eo itaque tendunt. Sed qui tenderent pergerentque, nisi agerent? agunt ergo, seque ad eum finem ciunt ac impellunt. Hanc & agendi potestatem, & generalem, qua pollent, actionem, a Deo & suscepere, quum primum extiterunt, & perpetuo excipiunt. Sed meminerimus, hanc a prima causa, recta ut pergat, accipere impulsionem atque inductionem. Porro cum sint in rerum natura sui arbitrii ac libertatis causæ plurimæ, quæ generalem illam ad bonum inductionem ac propulsionem huc, illuc, pro arbitratu flectere atque inclinare possunt; fit interdum, ut ultro, qua pergit, sequantur, eique conspirent; id plene bonum est & pulchrum. Sed non raro oblique aliorsum inflectunt. Illa igitur actio, ac generalis impulsio ea ipsa

(a) *Joan.* 1.

ipsa perpetuo est eademque, seu in scopum collimet directe, seu deflectat, aberretque. At qua generica actio est & inductio, ac a Deo, & bona est, & summe bonum spectat, idque consequitur, nisi illa arbitrii perversitas revocet & distrahat: qua deflectit, & oblique serpit, abit a bono summo; quod & error est, & peccatum. Ceterum ut in physicis nulla est motus mutatio ac nulla nova directio sine actione quadam, qua prima retunditur; ita ne in moralibus quidem. Agit igitur libertas in eam genericam Dei actionem, qua illius a fine abstractio fit. Atque hæc actio peccatum est. Quo modo (nam hæc exemplis magis, quam subtili conquisitione, fiunt intelligibilia) si globum recta jecerim ad metam, eam illi vim imprimo atque indo, eaque induco, impelloque, ut contingat: tota igitur globi, quæ a me est, actio, atque inductio, ejus metæ causa est indita: eo ut pertingat impero: id specto. Quicquid præter acciderit, præter conatum ac voluntatem est, etiamsi id præscierim, ac providerim. Quare si aut lapilli offensione, aut ulla soli iniquitate repellitur ab illa linea, ac, oblique licet, ire tamen pergat, & a me est tota ea, qua pergit, vis atque motio; & nihilominus ejus non sum causa obliquitatis. Sed quoniam nulla motus directio nisi actione aliqua mutatur, ut docent physici; intelligendum est, egisse in globum lapidem. Hæc lapilli in globum actio non motionis, qua fertur globus, est causa, sed obliquitatis. Nihil habet illa motio nec in sese, nec in animo, quo impulli, quod rectum atque ordinatum non sit. Sed hæc altera, qua illa abrumpitur, quaque illa declinatio exsistit, perturbata est, perversa, mala, iniqua: sed a lapillo est.

Sed audiamus hic physicum, novum istiusce paradoxi, impietatisque patronum (1). Is in materiam mala rejicit; & quia a Deo materia, consequenter in Deum. Dæmones, inquit, valere cum Platone præcipiamus: physico neque injuria, neque beneficio cogniti sunt. De hominum igitur malis dicamus. Quis potest illa omnia esse a materia negare, nisi si in hominis physiologia plane sit hospes? Si igitur a materia; a Deo sunt, qui illam aut creavit, aut cælestibus animis junxit copula-

(1) Mandeville. Item l' Ametrie, alii.

vitque tam arcte atque contexte. Principio hæc mala aut intellectus sunt, aut appetitus. Illa sunt stupiditas, inscientia, error, discendi difficultas, ac labor: obscuritas confusioque atque magna cognitionum perturbatio: ingenii aut tarditas, aut inconstantia: memoriæ aut durities quædam, aut labilitas: & si quæ sunt alia, quæ intellectum rationemque afficiunt. Sed nec minus mala quandoque sunt nimia rationis calliditas, ingeniumque penetrabile, ac versutum: indé enim exsistunt doli, dolorumque ars: inde nihil tam aut incredibile, aut iniquum pravumque, cui retiunculas, satis sæpe probabiles, non suggeramus. Inde postremo semina quædam injustitiæ, turpitudinisque omnis; impietas, ejusque patrocinium. Interea constat hæc a corpore esse omnia. Nam quum cerebrum instrumentum sit & memoriæ, idearumque nostrarum, & cogitationum adeo; ab eo est, tardi ne simus, stupidique an alacres facilesque intelligendo: prævalida expromptaque memoria, an tarda, difficili, dura, labili. Quemadmodum quod oculi videndi, aures audiendi sunt organa; si quæ in oculis suffusio fiat, si obstruantur optici nervi, si humores justo crassiores, aut sicciores quacumque de causa evadant; necesse est; aut non videre omnino, aut prave. Accidit idem auribus, ut aut surdi simus, aut male audiamus, ubi tam implexum organum aliquid labis accipiat. At videre audireque tam est cogitare, quam percepta aut theoremata geometrica versare animo. Idem contingit in tactu, qui totus est a nervulorum fibrillis: quæ si aut rigescant nimium, aut collabascant, totus repente perit; quorum hoc paralyses ostendunt: illud satis nobis quoque certum est, postquam ipsi vidimus hic in Nosocomio feminam tota cute rigentem, omnique illius sensu destitutam (1). Quare si cerebrum aut crassius sit, aut humidius, quam par est: si lentæ oscillationis, tardique motus; aut nimis facileque irritabile: si justo volumine minus: si pressum obstructumque; aut alio vitio laboret; consequens est ut aut tardi simus stupidique: aut accensi ac fanatici: aut amentes, vel furiosi. Nihil hoc in physica exploratius, iique sunt in ea plumbei, qui alias hujus rei causas physicas vesti-

(1) Vide Caroli Curcii Medici perceelebris ejus morbi historiam.

vestigant. In his omnibus non mens peccat, sed corpus: ob hoc tota ea est labes. Mala igitur mentis rationisque a corpore sunt, idest a materia, cujus est corpus unumquodlibet effecta structaque portio.

Nec est illud minus perspicuum, a corpore ac materia, ea quoque esse mala, quæ animi vitia, peccata, scelera, flagitia, crimina vocamus: sunt enim omnia aut peccata, aut delicta: illa efficiendo vetita patrantur: hæc præcepta negligendo, contemnendoque. Utrorumque prima struens causa est aut prava animi ratio, aut iners: quæ vitia sunt, ut ostendimus, ab organo, corpore nimirum. Sed vero est & alia impellens urgensque causa, eaque aut cupiditas, aut metus. Ita fames, sitis, amor, gloriæ appetitus, superbia, ambitio, odium, vindicta, spes, ac id genus alia, ad cupiditatem pertinent: diffidentia, desperatioque, ignavia, timor, pudor, formido, ceteraque complura ad metum. Quædam sunt mixta, veluti avaritia, invidentia, crudelitas, inhumanitas, ac sexcenta alia. Cupiditate ergo aut metu peccamus, aut delinquimus. At hæc ab irritatione sunt corporis; quod si quis ignorat, næ ille hospes, ait, exoticusque sibi est. Principio temperamento fit corporis, ut alacres alii sint, prompti, audaces, infatigabiles, imperterriti: alii ignavi, molles, timidi! Hæc ne corporis vitia animo tribuemus? Non magis quam paralysim, quartanam tertianamve febrem, phthisim, tabemque, podagram, ophtalmiam, stranguriam, dysuriamque. Quæ si sunt a corpore, erunt & illa. Tum fames, sitisque, ex quibus ea sunt in homine, quæ in brutis, gulæ vitia, ut furta, rapinæ, crudelitas, nonne eæ corporis sunt affectiones? Cujus generis & libido quoque est venerea, quæ tota ab earum partium irritatione fit, quas natura generationi præformavit. Has exime revelleque de corpore, quem tu helluonem, bibacem, paratum habebis? quem alienis ferculis bonisque insidiantem? Qua ex re fiet, ut magna pars furtorum, rapinarum, dolorum sublata sit, quorum constat gulam esse structorem machinatoremque. Jam extincta veneris libidine, nulla erunt adulteria, nulli incestus, nulli raptus, nullæ ejuscemodi aliæ fœditates: sed ne zelotypiæ quidem ullæ, fallaciæ, pellaciæ, subtiles amantium doli, iræ, excandescentiæ, injuriæ, homicidia, bella, eorum dico, quæ inde sunt. Ad hæc superbia,

am-

ambitio, gloriæ appetitus, ira, vindicta, omnisque adeo cupiditas, perturbatis corporis motibus excitantur: itaque ii, quorum crassa stupidaque est natura, quique parum affectuum vi commoventur, vix ea persentiscunt: at accenduntur illis atque deflagrant, qui irritabiliori sunt ingenio. Id in brutis quoque videre licet, quæ aut timida sunt, aut iracunda & audacia, sola corporis temperatione. At affectus omnes irritatione cerebri atque cordis exsistunt. Hinc stupidi parvorum imbecillorumque affectuum, velut Claudius: magnorum contra ac violentissimorum, qui promto sunt ingenio, acresque concipiendo, judicandoque, ut Julius Cæsar. Idem dicamus de metu, iisque perturbationibus, quæ metum consequuntur. Fac igitur, injuria, contemptus, damnum, nec cerebrum irritet, nec cor; tam excandescet ira, quam si quis crudum laterem baculo percutiat: ut enim mollia corpora, nulliusque elasticitatis acceptas plagas non reddunt; ita nisi illæ exsisterent in cerebro atque corde vibrationes, oscillationesque, ne ullus quidem nos incesseret affectus. Quæ ego de tota cupiditate, deque omni metu dicta volo. Nihil est inter physiologos exploratius quam affectus omnes hisce acceptos esse referendos, quas diximus, corporis irritationibus, atque elasticitati, ejusque motus celeritati, aut tarditati. At ab ejuscemodi cupiditatibus, timoribusve crimina sunt & delicta; eandem ergo habent scatebram; a corpore igitur sunt omnia. Quid igitur potest esse magis perspicuum, quam omnia hominum mala a corpore esse & materia?

Atque hæc quidem, inquit, de iis malis, quæ sola Stoici mala vocant, peccatis. Quid vero? An non exploratius est illa alia, quæ illi non in malis, sed in asperis habent, molestis, injucundis, naturæque contrariis, dolores nempe, morbos, cæcitatem, mortem, a corpore esse? Nam nec moriuntur animi; nec cæci sunt, aut surdi; ne nascuntur igitur quidem, infantesque trepidant, nec adolescunt, senescuntque: tum nec aurium, aut oculorum; nec manuum, crurumque morbo laborant; nec ulla febri exardescunt. Dolemus enimvero animo, ægrescimusque: unde tandem? nempe si ulla nervulorum fibra læsa sit: si cerebrum, atque cor ab ulla adversa cogitatione compulsum aut perculsum. Est ergo tota hæc seges malorum plene a corpore. A quo si sunt & peccata

atque delicta; hinc arcessenda est tota hæc labes, quæ misere miseros animos efficit. Ab hoc molesto, arduo, indomabili comite animus & pravus est, & ærumnosus. Quod si a Deo est, cur cælestes animos hic ille in latumiis esse voluit? Aut igitur (pergunt nostri dialectici) peccavere aliquid, quo huc deportari in vinculisque haberi meruerunt: aut imprudenter insciteque iis copulavit; aut inique plectit. Sed nec imprudens insciensque esse Deus potest; nec injustus; peccavere igitur; fuere igitur alibi antequam huc descenderent, puri, incorporeique. Quod si peccaverunt, innocentes fuisse antequam peccarent, necesse est. Quid? Sapientes ne etiam, an stulti ac insipientes? bonæ ne, an pravæ cupiditatis? Si hoc; ita igitur & insipientes & pravi procreati fuere; quo quid magis Deo indignum, impiumque dici potest? At si prudentes bonique geniti sunt, quæ causa illos stultos, pravosque efficere potuit? Nulla illi materia in devia pertrahebantur; nullæ erant contrariæ invidæque *potestates*. Videntes, inquiunt, prudentesque, peccavere: sui erant juris, liberique arbitrii: quo animus incitabat, alliciebatque, ire poterant. At qui alio incitari, allicique poterant, quam ut beati essent? Aut igitur alia in re, quam in patris amore obsequioque beatos sese fore crediderunt; aut hoc, quod dicitur, videntes prudentesque peccasse, nihili est. Hoc nemo potest: si quidem nemo peccat sine aliqua aut cupiditate, aut metu. Illud si accidit, nec videntes fuere, nec scientes, sed stulti potius, atque incredibilis inscientiæ, stupiditatisque; nec boni, perfectique, sed natura ipsa obstipi, protervi, petulci, rebelles. Quæ quis audeat dicere? Ab aliis ergo caussis in crimen illecti atque inducti fuere. Nec vero aut a Deo, aut ab aliis æque & sapientibus & bonis; a pravis ergo, malignis, invidis, Deoque hostibus, Hi autem summi illius parentis opificisque filii esse non potuerunt. Cujus ergo? materiæ scilicet. Quæ ut id efficere posset, ab Dei imperio subducta esse debuit: fuit igitur illa per sese. Quæ si aut fabulosa sunt, aut impia, dictuque nefaria; dicamus necesse est, ne animos quidem humanos corporibus esse vetustiores. Quo cum ventum est, qui illo superiori argumento extricare nos valeamus? Nam constat a corpore esse mala omnia: quid igitur adtinebat cum eo jungi animum? Aut si mun-

dani

dani operis ratio poſcebat, eum comitem dediſſet, qui inlicere pertrahereque in crimina non poſſet: qui tot dolores ægritudineſque inferre neſciret: quo cum beatos denique nos eſſe liceret. Quæ (perorant jam impuri homines) ſi ſummus ille imperator abnuit; ſequitur ut mala voluerit: ab eo ſunt igitur.

Qui ita diſputant, ſatis illi quidem ſibi cogniti perſpectique eſſe videntur, qui tot de corpore animoque, eorumque ſodalitate, tanta orationis copia ac vi, exprompſerunt. Præclare habet. Cum hominibus igitur diſceptamus, & bonæ, ut apparet, frugis, & haud obtuſi difficiliſque ingenii. Liceat ergo hic cum phyſicis agere phyſicum. Nam quid hiſce reponat theologus, paullo poſt. Ab his itaque confidenter quæram primum, an ea, quæ congeſſerunt, omnia, famem, ſitim, frigus, calorem; infantiam, ſenectutem, mortem; tum amorem, iram, metum, cetera, ipſa per ſe in malis habeant. Nam ſi phyſici ſunt, haud ii habebunt (1). Qui malam dicam famem, aut ſitim, quam conquiſitis remediis acui videam? Itaque erit malum carere cibo, potuque: eſurire vero & ſitire adeo mala non ſunt, ut nullum huic æquale malum habeant homines, nihil appetere, nihil ſitire. At illud a corpore ne eſt etiam? Sed nec frigus, nec calorem, ut nec tenebras, nec nimiam lucem, nec ingratos odores, nec amaros, acreſque ſapores, & ejuſmodi alias ſenſationes; quæ præterquam quod nihil tale ſunt in iis cauſis, unde in nobis progignuntur; pro cujuſque ſenſus temperie ſunt variæ, ſæpeque utiles, ac neceſſariæ, tam hominibus, quam frugibus, ceteriſque animantibus (2). Quid enim vero eſſemus, ſi nec calore tangi, nec frigore, nec odore, ſaporeque, nec lumen cernere poſſemus? In quibus ſentire aliquid, jucundum: vehementer irritari, quod eſt moleſtum, mille modis vitare poſſumus: eoque ipſo, quod eſt vehemens, uti ad voluptates, veluti gelu, igne, ceteris. Quis vero mala ducat, quæ non natura, ſed uſu ſunt talia? Infantiam autem, ſenectutem, mortem denique ſi phyſicus in malis reputet, næ ille magnus eſt inſtructuſque phyſiologus! Nam hæc & plan-

(1) Auguſt. lib. 1. de libero arbitr. cap. 9. *Certe enim bonum cupit, qui cupit vitam ſine metu liberam; & idcirco iſta cupiditas culpanda non eſt.*

(2) Vide S. Baſ. hom. *Quod Deus non ſit Auctor malorum.*

& plantis, & animantibus accidunt: isque est totius naturæ cursus. Hæc ipsi excogitando, cumulandoque mala facimus. Ut qui theatrum est ingressus, scit & singulis Scenis peragi sensim, finirique spectaculum, & se exire tandem oportere: ita qui vitæ in auram venere singulos annos pro Scenis habeant necesse est: ætates pro Actibus: quorum postremus quum advenit, stultus est, si actam comœdiam indigetur, nec plausum potius clarum faciat. Si naturam igitur inspiciamus, (nam physicum, ut dixi, hic cum physicis ago tantisper) senectutem, ac mortem, mala habere non possumus, nisi imperite: nec si scio, pœnas esse malorum, de natura rescivi, sed de sacris libris; qua de re cum theologis disceptabo: hic cum physico contendo, naturæque contemplatore. Ad affectus accedo, quos hic primos habet magnosque & vehementes scelerum omnium magistros; nec minus tamen imperite insciteque. Oportet in affectibus duo secernere: instrumenti irritationem, qua amor exsistit, ira, metus; atque animi motus diversos, ac voluntarios, quibus ille oblata aut sectatur appetenter, aut aversatur. De his postmodo. Illa nunc, rogo, quid habent mali? Non magis quam aurium & osculorum a sono & lumine vibrationes, crispationes, oscillationes, totiusque nervosæ compagis titillationes. Quæ si vitæ necessariæ sunt, non modo mala non sunt, sed bona. Ac vero qui voluptatum veluti summi boni vociferatores hujusmodi cerebri, cordisque, ac totius nervosæ propaginis compressiunculas in malis ducent? Sæpe, inquiunt, ægritudinem, sæpe dolores ingerunt acutos. Vitassetis, inquam, molestas caussas, atque furentes. Sæpius animi vitium est, quam naturæ. Ac si quando naturæ est, meminissetis, ea lege & plantas, & animantia reliqua nata. Quid vero iis faciemus, qui ignorantiam ac stupiditatem, tum amentiam, & furorem, quæ interdum a corporis sunt temperie, lamentantur? Virum hic mihi divinum, incorruptumque judicem dari velim, qui hanc inter stupidos ingeniososque litem dirimat, uter beatior, aut miserior sit: me id ignorare fateor, noloque tot titivillitia doctus pars esse & judex. Non igitur de malis & bonis æqua est superior physici nostri disputatio, quod esse oportuit inter bonos viros.

Jam vero & illud quæro, secernant ne cupiditatem, me-

metumque, ceterosque animi affectus ab earum rerum libera electione, aut fuga, ad quam illi incitant illiciuntque? Bona fide, ut inter viros bonos oportet, agamus. Ac si secernunt, intelligunt ii profecto, sæpe fieri, ut cupiditatem, aut metum, amorem, aut iram inviti persentiamus perpetiamurque: sed an inviti semper sequimur, quo vocant? Nemo id dixerit. Quo modo (nam eorum exemplis utar libenter) oculi instrumenta sunt, quibus videmus? iique sæpe lumine, aut colore aut figura aliqua & forma egregia, non revocant: an idcirco quo spectemus intueamurque cogunt? Injuria afficimur: excandescit ira: ea lentius, aut celerius, pro cujusque corporis temperie. Sed quo arma expediam: quo in inimicum insiliam: quo percutiam, aut feriam: quo fugientem insecter; id electionis est, liberique cujusque arbitrii. Itaque frænamus nos sæpe, cohibemusque. Adspicit Helenam Paris: exsuscitatur amor: uritur infelix. Hæc corpori tribuamus, si libet. An etiam ut dolos Menelao, hospitum optimo, struat? an ut rapiat, secumque abducat Troadem? Hæc electionis sunt, animique: nihil horum machinatur corpus. Jam incessit fames, ventriculumque exurit. Hæc animanti concedam. Exsistit, inquis, multa animi motio cogitatioque, qua ea exquiram, quibus dolorem leniam. Fateor: hujus quoque causam in corpus rejicio. Sed ut furer? ut alienas fores effringam? ut nocturna instrumenta commoliar, paremque? Hæc, inquam, tu corpori, non animi arbitrio tribuas? Instat opus, officiumque. Ire in hostem oportet: solvere fidem: reddere depositum: prohibere scelera. Piget scilicet: temperies premit: inertem efficit, ac laboris impatientem. Nullane animi electione? Id si ita sit, nihil fiet unquam ægro invitoque animo: nihil reluctante ingenio. Quæ si quis dicat, fatendum ei est, nullum esse laborem nec arare evertereque agros: nec terram excolere: fabriles artes, aut lignarias exercere: adversa tempestate navigare: pugnare: inter saxa, tela, ignitosque glandes muros scandere. Qui si sunt labores, ita fiunt, ut nemo sit, qui, si optio detur, nolit potius, quam velit. Animus igitur hæc omnia eligit, suoque arbitratu moderatur. Cur, inquis, nullus affectus, nisi validiori, coercetur? Quia nempe quilibet ultro, callidaque animi ratione minora mala ferre paratus est, ut majora arceat, idque e re sua esse putat. Ut ut illiciat igitur corpus, animo certe

vim

vim non semper infert. Ejus pellacie quum videns sciensque suoque arbitrio assentitur animus, peccata sunt & delicta, si quidem ea aut fugere oportuit, aut facere. Quare non corporis hæc sunt, sed mentis: nec fato fiunt ullo, sed libere; quippe quæ peccata non sunt, ubi nullo modo caveri, vitarique possunt. Hæc mala si alia aut item scelera, aut dolores, ægritudines, morbi, occisiones, mutilationes, incendia, vastationes, circumventiones sequantur, arbitrio debentur omnia mentis, non materiæ. Servet igitur in corpore mens principatum: ea moderetur regnetque: pareant ei, ut par est, instrumenta: nulla erunt ejuscemodi mala (a).

Quid, inquis, illa? Infantia? naturæ morbi? corporis membrorumque vitia? senectus? mors denique? Horum, ajo, sunt in natura causæ: has fatales ut dicas non admodum adversabor. Illud tamen perspiciendum physico superest, utrum æquum fuit, divinæque sapientiæ consentaneum, hominem naturæ partem totius legibus subtrahi. Nam si fuit, aut non sapiens æquusque est Deus, qui illis subdidit; aut aliqua ex causa factum est, qua, quominus id fieret, nos promeruerimus. At sapiens æquusque Deus; ergo aut mundi rationes poscebant, ut naturæ legibus subjecti essemus: aut, quum subjecti primum non essemus, nostrique adeo essemus juris corpore animoque, aliquo crimine factum est, quo ab ea immunitate exciderenus. Quorum si primum verum est, nec injustus nec malignus est Deus; quo modo, quod horologii leges exigant, ut elater prematur, curveturque, id fieri necesse est a sapiente diligenteque artifice, nisi totam machinam turbare velit. Si alterum, quid pœnam renuimus, qui crimen fatemur?

Atque hoc postremum docet theologia. Valeat nunc physica. Ita nos procreatos docent divini vates, ut si in nobis rationis principatus regnumque viguisset, si Dei amor, plenumque in eum obsequium; tota hac malorum clade carituri fuissemus. Sensuum corporisque voluptatibus perfrueremur, sed æquabilibus, innoxiis, menti animoque subjectis: illa enim in homine dominaretur delectatio, quæ ex amicitia, ac copulatione cum Deo exsistit. Ita illæ cupiditatis metusque perturbationes, quibus ad peccandum illi-

(a) *Vide Aug. de libero arb. lib. 1. cap. 18.*

illicimur, nullæ extitissent: tum abscessissent tot ærumnæ, quibus cruciamur. Infantia læta esset ac sine noxia: sine affectuum æstu adolescentia ac juventus: sine ambitione virilitas. Æqua postremo, placida, beata senectus, si quidem ulla fuisset. Sed cessit stultæ libidini rationis imperium. Ita tota perversa ac turbata natura, & pravi stultorum filii, & ærumnosi exstitimus. Hoc igitur quum Christiani doceant, primorum nempe hominum crimine factum esse, ut hæc pateremur inviti dolentesque; omnem a Deo malignitatem inscitiamque facillime amoliuntur. Nulla igitur hic æqua disceptatio esse potest. Hæc theologus.

Id si expostulant, cur ne primi homines peccarent cautum? cur non impeditum? nonne præstabat hæc non accidere, quam postquam facta essent, in ea constitui Deum necessitate, ut aut esse sineret sine ulla pœna, quod ei æquum non est; aut puniret æternum, quod nobis atrox crudeleque? Hoc, inquam, & abditum est obscurumque (1), & haud scitu necessarium: nec conficere ulla ratione potest, jure nos Deum aut inscitiæ expostulare, aut malignitatis. Totam ne rerum naturam emensi sumus, animoque comprehensam habemus? in omnia Dei consilia penetravimus? nihil superest quod nec de mundo, nec de Deo sciamus? Id iis, quibuscum disputo, non dixerint: boni enim videri volunt, prudentesque. Quod si quæ de mundo scimus, ignorantia potius dicenda sunt, quam scientia: si remota est a nobis Dei natura, ac incomprehensibilis: ecquis est tam temerarius stolidusque, ut audeat affirmare, nullas adfuisse Deo rationes, cur hæc ita esse sineret? esseque eum idcirco invidum malorumque auctorem, quia non ei curæ sit felicitas nostra, sit miseria? Nam aut negandum est ullum esse Deum, quod isti etsi audaces non audent; aut si est, quoniam sapiens, præstantique bonitate est; agnoscendum justas eum habuisse rationes, cur hæc ita esse permitteret. Quæ, ut sæpe dixi, ad hanc finiendam causam, satis superque esse possent. Interim quum bonitatis divinæ hostes hæc

(1) Meminerimus sæpe egregii illius S. Thomæ Aquinatis principii, præclari, magnique in hisce quæstionibus usus, *ea, quæ simplici voluntate divina subsistunt, demonstrative probari non possunt; quia ut dicitur* 1. *ad Corinth.* II. 11. quæ sunt Dei nemo novit, nisi spiritus Dei. Quodl. III. art. 31.

hæc perpetuo vociferarentur; alii non justi defensores æmulam Dei materiam, aut malum genium in scenam continenter producerent; veteres illi Christiani patres doctoresque pensi esse sui existimaverunt, aliquot admodum verisimilibus rationibus Dei causam tueri. Hæc quales sint postmodo dispiciemus.

Rationem maximum esse & præclarissimum, quod a Deo accepimus, donum. Ut hæc revellere Cotta, novellique alii Sceptici aggressi sint; iique confutati.

SED ecce, nova hinc nobis super rationis principatu exoritur disceptatio. Liberæ electionis, προαιρέσεως sunt peccata: electio rationem sequitur; rationis sunt igitur pravæ, subdolæ, iniquæ, scelera omnia. Quam si a Deo accepimus, malorum omnium fomitem ab illo accepimus. Sed quoniam egit hoc Cotta (a) apud Ciceronem, præstat illum audire. Nulla scelera esse ait, quæ ratio non machinetur. E theatro uberrima exempla petit. Post ubi ea enarrata, *nec vero scena solum*, inquit, *referta est his sceleribus, sed multo vita communis pene majoribus. Sentit domus uniuscujusque, sentit forum, sentit curia, campus, socii, provinciæ, ut, quemadmodum ratione recte fiat, sic ratione peccetur: alterumque & a paucis, & raro, alterum & sæpe & a plurimis ut satius fuerit, nullam omnino nobis a dis immortalibus datam, esse rationem, quam tanta cum pernicie datam. Ut vinum ægrotis, quia prodest raro, nocet sæpissime, melius est non adhibere omnino, quam spe dubiæ salutis in apertam perniciem incurrere; sic haud scio, an melius fuerit humano generi motum istum celerem cogitationis, acumen, solertiam, quam rationem vocamus, quoniam pestifera sit multis, admodum paucis salutaris, non dari omnino, quam tam munifice & tam large dari. Quamobrem si mens, voluntasque divina idcirco consuluit hominibus, quod iis est largita rationem; iis solis consuluit, quos bona ratione donavit, quos videmus, si modo ulli sint, esse perpaucos..... Huic loco sic soletis occurrere* (Stoicos interpellat), *non idcirco non optume nobis a dis esse provisum, quod multi eorum beneficio perverse uterentur: etiam patrimoniis multos male uti; nec ob eam*

(a) *Lib. III. de nat. deor. cap. 26. & seqq.*

ob eam causam, eos beneficium a partibus nullum habere. Quisquam istuc negat? aut quæ est ista similitudo? Nec enim Herculi nocere Deianira voluit, cum ei tunicam sanguine Centauri tinctam dedit: nec prodesse Pheræo Jasoni (a) is, qui gladio vomicam ejus aperuit, quam sanare medici non potuerant. Multi enim & cum obesse vellent, profuerunt; quum prodesse, obfuerunt. Ita non fit ex eo quod datur, ut voluntas ejus, qui dederit, appareat: nec, si is, qui accepit, bene utitur, idcirco is, qui dedit, amice dedit. Quæ enim libido, quæ avaritia, quod facinus aut suscipitur, nisi consilio capto; aut sine animi motu & cogitatione, idest ratione, perficitur? Nam omnis opinio ratio est; & quidem bona ratio, si vera; mala autem, si falsa est opinio. Sed a Deo tantum rationem habemus, si modo habemus: bonam autem rationem, aut non bonam, a nobis: non enim, ut patrimonium relinquitur, sic ratio homini est beneficio deorum data. Quid enim potius dedissent, si homini nocere voluissent? Injustitiæ autem, intemperantiæ, timiditatis, quæ semina essent, si his vitiis ratio non subesset?.... Hanc igitur tantam a dis immortalibus arbitramur malorum sementem esse factam? Si enim rationem hominibus di dederunt; malitiam dederunt: est enim malitia, versuta & fallax ratio nocendi. Iidem etiam di fraudem dederunt, facinus, ceteraque, quorum nihil nec suscipi sine ratione, nec effici potest. Utinam igitur, ut illa anus optat

ne in nemore Pelio securibus
Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes;

sic istam calliditatem hominibus di ne dedissent! qua perpauci bene utuntur; qui tamen ipsi sæpe a male utentibus opprimuntur: innumerabiles autem improbe utuntur: ut donum hoc divinum rationis & consilii, ad fraudem hominibus, non ad bonitatem impertitum esse videatur. Sed urgetis identidem, hominum esse istam culpam, non deorum.... Eam dedissent hominibus rationem, quæ vitia culpamque excluderet.... Deus falli qui potuit?.... Ut si medicus sciat, eum ægrotum, qui jussus sit vinum sumere, meracius sumturum, statimque periturum, magna sit in culpa: sic vestra ista providentia reprehendenda, quæ rationem dederit iis, quos scierit, ea perverse & improbe usuros. Atque ita efficere sibi videntur, Deum ipsum malorum omnium esse auctorem.

Diffi-

(a) *Historiam narrant Valerius Maximus lib.* I. *cap.* VII. *Seneca de benef.* II. 19. *Plin. H. N.* VII. 51.

Difficile est, dicet aliquis, etiam in bona causa, cum Cicerone disceptare. Difficile haud dubium, si non ratione refutandus, sed orationis impetu permovendus sit. Quare agamus & pacate, & particulatim. Itaque id hic primum rogo, quid sit ratione peccari omnia, quæ peccantur, qua ille notione ad providentiam accusandam abutitur, quamque inscite cum incitantibus ad peccatum causis perturbat. Nam hæc, quæ dicitur, ratio, primum comprehensis sensuum constat: tum iis, quæ in cujusque phantasia progignuntur rerum imaginibus: postremo inquisitione, coagitatione, subductione, ratiocinatione, argumentatione. Ac peccare quidem in his ignorantia possumus, aut errore: nam & plura multo sunt, quæ nobis rerum offert natura, quam ut clare semper evidenterque percipere copulareque valeamus: & sæpe obscuritas, minusque plena cognitio formarum ignorantiam gignit, erroremque. Quæ si vitari nequeunt, quis crimini aut peccato tribuat? Si potuere, non jam ratio peccat, sed animus arbitriumque. Nam peccata, quæ vere proprieque peccata dicimus, crimina, ac delicta, non ratio infert, sed cupiditas, aut metus, quæ quid habent cum ratione negotium? Sed ratio, inquit, cupiditates aut accendit, aut acuit: eadem metum suggerit, aut auget. Non equidem negaverim. At si quis subtiliter ac scrutando totum hoc pensitaverit: non ut alteri noceat, juraque lædat; sed ut sibi quisque caveat, prospiciatque, id a ratione fieri necessarium est. Nimirum indigemus plurimis ut simus, beateque simus: & cavere a noxiis oportuit; cupiditate ergo, aut metu, incitandi, retrahendive eramus. Ita, quoniam freno agendus, gubernandusque est equus, illud sentiat necesse est, quo sive incitetur, sive compescatur. Cui usui fuerit ratio, si nec cupere, quæ desunt, ex illa possimus; nec metuere, quæ lædunt? At semel commota natura, electionis est justa honestaque complecti, aversari contraria. Quod cum perverse præpostereque fit, non ratio peccat, sed arbitrii libertas, recta ratione repugnante. Non ergo naturæ rationique, neque Dei maleficio tribuenda sunt peccata, sed arbitrio. Ac vero aut libere peccamus, aut fataliter: si fataliter, peccata non sunt; siquidem nemo peccat in eo, quod nullo modo præcavere potest: at si libere, cum ratione quidem peccamus, sed non a ratione, quin aver-

 sante

sante ratione. Quid est enim aliud peccatum, nisi quod aut rectam rationem migrat, aut cum ea pugnat? *Eam*, inquit, *dedisset rationem, qua nemo abuti posset*. Hoc triplicem habet intellectum. Unum, eam dedisset rationem, qua naturaliter ad appetitum, metumve nemo posset concitari. Alterum, eam dedisset rationem, quam nulla arbitrii libertas comitaretur. Tertium, eam dedisset rationem, quam ea libertas sequeretur, quæ perpetuo ac constanter bona complecteretur, si vellet. Quis duo priora, nisi stultus, optet? Velut si quis dicat, eos dedisset oculos, quorum pulchris lætisque visis non hilarescamus: aut non exhorrescamus truculentis, noxiisque. Tum ut nec illa pulchra & bona persequi possimus, neque hæc perniciosa aversari. Postremum quod adtinet est item duplex: unum, ut nulla in cognitione bonorum decipi posset: alterum ut numquam deflecteret a persequendis, etiamsi vellet. Quorum illud mentem poscit infinitam; quod esse nequit. Hoc vero si cum suscepti mundani operis rationibus pugnet, quis ab illo expostulet? Nam si hoc universi, quod moliebatur, natura expetit, ut in utramque partem ipsi per nos flectere possimus (1), simusque ut virtutis, ita vitii capaces; desipit, qui in unam pronos, perpetuoque proclinatos creari efflagitat. Quamqam ut axioma, sive perceptum, quo minus sit verum, una facit exceptio; ut si uno casu verum non sit, totum esse majus sua parte: sic omnis positio falsa est, quam excipiendo limitare possis. Fallimur sæpe, ajunt, ratione: in pravas libidines accendimur: male scelesteque eligimus. Id ut faceremus, naturam faciendi patientem accipere debuimus. A Deo accepimus; in Deum ergo rejicienda culpa. Inepte. Ajunt dialectici, si una sit rima, qua hinc elabi liceat, falsam esse conclusiunculam. Nunc qua ratione probent, nullam esse? Quin esse possunt infinitæ, cum infinitæ naturæ sit mundi opifex. Ajo e mundo ipso accipi posse. Quid enim, si stare totum non potuit sine ejusmodi mentibus, quæ & falli

(1) Semel hic lectorem moneo, me, quum hujusmodi loquendi modos adhibeo, non de hominibus depravatæ jam naturæ loqui, sed de primis ac integris. Ne igitur tam sæpe [illegible] legentium auribus, *Adam, Eva, primi parentes, primi homines*, quod & fastidium creat, & parum commodum est, plenius dicis generaliusque arbitratus sum, quo modo dico, dicuntque sæpe Patres, ac mihi quoque auctores [illegible]

falli possent, & de recta semita labi? Quid si aliud et secretius altiusque fuit consilium? Sed ea de re dicemus alibi: nam eo imus.

Deinde ne illud quidem probo, quod ait, paucos, raroque ratione bene uti, quod invidiæ conciliandæ causa, magisque declamatorium in modum quam philosophicum dictum est. Hoc est adrogantissimum, si ad totam universitatem referamus. Quantula enim est mundi portio tellus hæc nostra? Redeamus ad christianæ theologiæ caput; hanc enim hi tuemur. Mentium a Deo progenitarum infinitum esse pene numerum divini vates, theologique tradunt. Earum partem satis exiguam a virtute descivisse: reliquas & sapientes esse & beatas, idque constanter ac æternum. Hoc si ethnicus elevet, poetarum, philosophorumque testimoniis opprimere possum. Si fieri non potuisse dicat, rationem quæram; quem certus sum nullam redditurum probabilem. Opinio est novorum philosophorum, non terram modo, planetasque, sed solem, ac sidera omnia totumque adeo universi spatium animatis mentibus expleri. Id ut non adfirmem, certe pugnans non est. Sinamus modo tantisper esse verum: qui Cicero dicat audacius, in tanto animorum numero paucos esse, qui recte ratione utantur, eosque raro; sæpeque opprimi ab iis, qui male utuntur? Quasi scilicet, ut Momus Homericus, deorum concilio interfuerit! Quamquam ut in hac rerum humanarum fœditate, ac veteri noxa homines boni non sunt, illud probare non possum, maximam partem iniquos esse, sceleratos, truces, fallaces: quæ nulla animi ratione, sed potius aut male dicendi usu, aut ut vitia nostra defendamus, omnes effutimus magis, quam dicimus. Possem enim demonstrare, si id ita esset, brevi totum hominum genus intercasurum. Ut fac omnes esse homicidas, omnes officii desertores; quæ intra paucos dies erunt vitæ, quas recidamus; Quæ jam familiæ, quæ civitates, qui ordines, quæ imperia? Jam aliud est disputare, *boni ne homines, an mali plures sint*: atque *virtutes ne, an vitia majora sint & graviora*. Nemo non aliquando peccat: eo igitur omnes mali. Sed peccat ne perpetuo, qui peccat? Tum non sunt peccata æqualia. Omnis igitur qui peccat sceleratus est? nemo, opinor, dixerit. Sed hæc paullo post copiosius.

An progigni a Deo creariqve possit mens ulla, quæ adeo ei sit similis, ut nulla re differat, nisi hac, quod non per se sit, atque idcirco omnium in suo genere possibilium optima sit & maxima.

SEd priusquam ultra progrediamur, incidentem hic, & molestam quæstionem, quæ identidem in ejuscemodi disputatione recurrit, amoveamus, si fieri potest. Solent enim hic quidam dicere eorum, qui aut Dei providentiam accusant, aut cum Manichæis faciunt, vitari malum potuisse, si quæ mentes finitæ circumscriptæque creatæ sunt infinita natura ac proprietate fuissent progenitæ. Iis enim nec ignorantia, nec error accidere potuisset: quibus peccati seminibus avulsis, unde extitissent mala moralia? At his sublatis, locus non est physicis ægritudini videlicet & dolori. Jam rogant, efficere ne id prima causa potuit, an non potuit? Hoc imbecillam arguit; pugnatque cum omnipotentia: illud, non fuisse, esseque plene bonam; siquidem quo pacto plene bonum dicas, qui cum possit malum cavere, negligit contemnitque? Atque hi congerrones novæ illi longeque controversæ quæstioni causam dedere, progigni ne a Deo & creari possit mens ulla *specifice*, ut ajunt infinita, eique æqualis hoc excepto, quod per se non sit? Nam ut undequaque infinita sit, ac etiam necessitate exsistentiæ, id vero ipsum per se pugnat, debetque vacare controversia.

Qua in quæstione acute ac perdiligenter videntur veterum scholarum philosophi versati, diuque exerciti, nec tamen pari sententiarum concordia. Majori gravíorique parti placuit, non posse; Scotistis tamen, viris acerrimis, contra tendentibus, totoque nisu eam adstruentibus. Quam, quoniam nonnihil cum superiori disputatione copulata est, atque ad totam hanc controversiam pertinet, percensebimus accuratius. Ac illi quidem, qui negant, duobus præcipue argumentis suam positionem præfulciunt; quorum alterum non incallide conquisitum videri possit; alterum frigidum ego inaneque super putavi. Illud est, pugnare quod ab alio est, id adeo esse absolutum perfectumque, ut par sit Dei infinitati; nam quoniam factum creatumque est, principio naturæ initium habeat necesse est: tum precario exsistat, ita videlicet, ut & potuerit pri-

primum non esse possitque postea, si causa effectrix voluerit, cessare esse, abireque in nihilum. Quibus ex rebus sequitur, ut nequeat ipsum sibi & cur sit, & cur ejuscemodi sit, esse causa: non est igitur, ajunt, *suum esse*, infinitoque intervallo distat a θεαρχια, *Dei principatu*, naturæque immensitate. Ita fit ut & mutationi subesse possit & interitui. Quæ autem sunt talia pugnat esse infinita; *ανυπαρκτα*, *exsistendi incapacia* igitur sunt. Sed alterum argumentum oppido est improtectum: quod est hoc. Creet igitur hujusmodi mentem optimam & maximam Deus; nihil ei tum facere amplius potest meliusque: sed ne ea quidem majorem aliam creare potest: ita exhausta fuerit Dei virtus ac potestas; quod quoniam pugnat esse; ne illam quidem tantæ præcellentiæ mentem ab eo procreari posse fateamur. Quare hujuscemodi optima & maxima creatura, & per se est *ανυπαρκτος*, *subsistendi incapax*; & causam habere nequit. Quibus accedit tertium, quod ea esset & creata, & *αναρκτος*, *nulli subiecta*, utpote infinitæ virtutis; quod est tertium pugnans.

Hæc interea alios non admodum permovent. Nam secundum illud argumentum ego quoque vix pueros perterrefacere posse existimaverim. Neque enim video, si id a Deo factum sit, continuo sequi, exhaustam ejus esse potentiam; quippe qui, qua potentia priorem illam mentem fecit, efficere perpetuo alias ejusdem infinitionis possit. Ac vero infinitate naturæ, atque omnipotentia sit Deus præditus necesse est, ut infinitam hanc mentem procreet: dum igitur creat, omnipotentiam adhibet, non exhaurit. At nequit omnipotentia se esse major; ita majorem infinitioremque rem procreare nequit; non sane quia id esse cessat, quod est, nimirum omnipotens; sed quia minor esse quam est, nequit. Porro quum idem omniscius, omnipotensque esse perpetuo pergat; si unam infinitam rem progignere potest, potest & alteram, atque ita alteram perpetuo. Qui igitur conficiat quis, ejus vim ac potentiam esse exhaustam? Nam ea & eadem est semper, & ejusdem efficientiæ. Quo modo quod Apelles Alexandrum pinxit, non fit ut nequeat alios eadem artis excellentia depingere; nisi si aut mente, aut membris capiatur; quod nunc in Deo ne fingere quidem possumus. Accedit eodem, quod nulla ferme sit ex iis causis, quæ universitate comprehenduntur, quæ nequeant tota esse,

ut ajunt, in actu, nec tamen exhauriri. Quid ergo vetat, cur totam aliquando Deus suam exserat omnipotentiam? Sed finitur, ajunt, hujusmodi actione Dei potentia. Utique si res, quam toto conatu, ut ita dicam, efficit, finita sit: nunc & infinita est, quæ progignitur, res; & infinita, qua progignitur, efficientia. Quo plane modo si infinita mensura infinitam extensionem dimetiatur, neutra finita est. Est igitur hoc argumentum satis frigide inaniterque excogitatum sophisticisque sollertiis contextum: enimvero est abuti vocabulis, id dicere exhaustum, quod idem infinitumque perpetuo est. Ecquis Dei intelligentiam dixerit exhaustam, quod totam rerum infinitatem comprehendat, nequeatque se major esse?

Sed aliud ac primum magnam, fateor, veritatis vim præsefert. Etenim etiamsi statuamus ab æterno a Deo ejuscemodi mentem creari; adhuc tamen ille & causa est, & natura anterior, hancque magno hoc privilegio antestat, quod ipse per se, ac necessitate naturæ suæ sit, nullaque in eo, aut extra eum, cur aut desinat esse, aut illud esse possit, excogitarique possit causa. Sed hæc naturæ circumscriptio ac finitio ad eam, de qua agimus, quæstionem minime pertinet, ajunt repugnantes: non enim, inquiunt, disceptamus, par ne in omnibus esse possit Deo hæc creata mens, nec ei subjecta: sed iis tantum viribus, quibus ab illo instrui potest, intelligentia, potentia, bonitate, felicitate, maxima ac beatissima. Hoc fieri non posse illa ratio nondum docet; necdum, ajunt, circumspicimus cur fieri nequeat. Aut enim omnipotens est Deus, aut non est. Ac si est, ut profecto est, quid vetat tota alicubi sua omnipotentia agere? Id in ceteris naturæ, ut dixi, rebus exemplum non habet; quarum nulla est, quæ tota potentia agere nequeat. Liber, ajunt, est; nec esset, si tota potentia ageret. Quod illi argumentum illo altero frigidius habent: nam si quia vult, agit, eoque libere; tam sane libere aget ex tota, quam ex parte potentiæ. Ac si tota alibi agat, rem profecto potentiæ, quam adhibet, parem, idest infinitam, perficiat, oportet. Itaque sunt, qui cum istis, qui creaturam omnium maximam optimamque possibilium inficiantur opinari non audent, ne Dei potentiam circumscribant nimirum. Sed subjicietur ne Deo, dicet aliquis, hujusmodi creatura? Quid prohibet, ajunt illi, quando

& ab eo est, servaturque; fierique ab eo possit, ut ne amplius sit? Finita est, inquiunt. Finita profecto, si cum Deo conferas: omnium maxima, si cum reliquis possibilibus finitis.

Sed hæc quo velit cumque loco habeat lector (haud enim hujuscemodi abstractis longeque a rebus nostris sepositis quæstionibus capi philosophum interest) illud verum est, nullam rem, quæ hujusce universitatis pars sit, aliqua, infinitæ naturæ ne in *linea* quidem, ut ajunt, *specifica* esse posse: non quod eam efficere Deus nequeat; id enim definire nihil refert: sed quod pugnans est, rem, quæ naturæ sit infinitæ, mundi hujus partem esse ullam. Itaque etiam si illud concesserimus, effici a Deo creaturam posse infinitæ & intelligentiæ, & bonitatis, pleneque idcirco beatam: ea ad nostram quæstionem non pertinebit. Siquidem de iis mentibus, mentiumque malis, hic disceptamus, quæ mentes & in hoc sunt universo, & ejus partes; quarum idcirco esse debet ratio & congruentia aliqua cum toto, totiusque partibus reliquis. Nemo igitur a Deo hoc, puto, efflagitabit, ut & ad mundum pertineat, & substantiæ sit infinitæ, etiam si illud sibi persuadere potest talem effici potuisse. Illam vero alteram quæstionem iis relinquo intactam, quibus & majus est otium, & sublimior intelligentia: nos humi reptamus, religionique ducimus tantis in rebus intercedere.

Ori-

Origenis Adamantii hypothesis: ea quidem peracutè structa sed fabulosa, absurda, nec cum christiana philosophia congruens.

CUM Ægyptii magno semper acutoque ad subtilia excogitandum fuere ingenio, tum ex eo præsertim tempore, quo Græcis mixti, græcas & habuere scholas, & perdidicere philosophias acutissimi (1). In primis percelebres fuere Alexandrinæ scholæ, unde illi extitere Geometræ, Astronomique, quorum etiamnum excogitatis atque inventis & subtiliter detectis spartas nostras adornamus. Sed ex quo ibidem gentium Potamo Electivum philosophandi genus instituit, ii, qui physicas, ethicasque disciplinas tradidere, quique de hujuscemodi rebus, quæ μετα τα φυσικα sunt, sublimibus, supraque corporeas res positis, disputarunt, Eclectici ferme fuere omnes. Qui quum Christianismus elucesceret, spargique ejus lumen late occiperet, vetera plurima dedocti, christiana ferme iis supposuere, ac nescio quam Pythagoreorum, Platonicorum, Christianorumque dogmatum mixturam fecere; qua nec antiqua clariora ac certiora reddiderunt; & nova miris inconditisque imaginibus fœdavere. Ita illi extiterunt semichristiani philosophantes, quorum magnum est apud nos quoque nomen, Proclus, Alcinous, Amelius, Plotinus, Porphyrius, Jamblicus; quamquam & philosophi titulum, velut magis ambitiosum, Christiano anteferrent; & Christianismo velut simpliciori rudique sectæ sæpe insultarent, bellumque indicerent. Ex hac schola prodierunt Pantænus, Clemens Alexandrinus, Origenes Adamantius, ac plusculi alii summi Alexandrinæ Ecclesiæ theologi atque eclecticæ philosophiæ buccinato-

(1) Nullibi subtilia ac metaphysica studia felicius radices mittunt, opimiusque veniunt, quam in calidis adustisque climatibus, nimirum velut in proprio solo: quippe ubi homines contemplando magis, quam agendo nati esse videntur. Siquidem exhaustis nimio calore corporis viribus, fractisque, telaque nervosa expansa, ac evoluta, atque idcirco irritabiliori, corpora imbecillia, animi peracuti, excogitandoque aperti fiunt. Sed quibus ex caussis ingeniosiores sunt homines, eo sunt præcalidioris, ac vividioris phantasiæ; ut quod experiendo intelligendoque minus consequuntur, id subito imaginatione effingant. Hinc Arabes & mente subtilissimi, & omnium mortalium fanaticissimi. Quibus ex regionibus quum ad nos Metaphysica devecta fuerit, cui mirum esse potest, tandiu nos in Europa, ægyptias, arabesque φαντασιας in deliciis habuisse? Sed repugnavit tandem clima, plantæque exoticæ minus fuit benignum; quo tandem, primo illo Arabum furore defervente, pene tota elanguere.

natores (1): inde quoque emersit Arius, ejusque prima factio. Ex his fuere, qui parcius modestiusque Platonica philosophia uterentur, cogerentque eam christianæ theologiæ ancillari, ministrareque: sed nonnulli ingenii vela laxavere prolixius, ancillam dominæ præposuerunt, ac Platonicum Christianismum obtruserunt, tanto periculosius, quanto doctiores atque ingeniosiores, solertioresque. Quo ex numero fuit procul omni dubio Origenes Adamantius, quem Hieronymus *immortalis virum ingenii* appellare non dubitat (*a*), Sixtus Senensis: *Vir tantæ fuit eruditionis & ingenii, ut ei parem doctissima Græcia, felicissimorum alioqui parens, numquam habuerit* (*b*). Cardinalis Bona, *verum sapientiæ sidus*, vocat. Certe nemo veterum ejusce ætatis nec in profanis literis fuit doctior, nec in divinis Prophetarum Apostolorumque libris versatior, instructiorque. Sed Platonica plusculum, quam Christianum hominem addeceret, adamavit; eoque magno fuit Christianis incitamento, pravoque exemplo. *Ego ita arbitror*, inquit Vincentius Lirinensis (*c*), *quod cum multos in hoc tentandi genere proferre valeamus, nemo pene sit, qui Origenis tentantioni valeat comparari; in quo plura adeo præclara, adeo singularia, adeo mira extiterunt, ut inter initia habendam cunctis adsertionibus ejus fidem quivis ille facile judicaret*.

Hic igitur talis tantusque homo, quo tam implicitam atque obscuram super origine malorum quæstionem expediret, Manetisque tumultuantes manipulos funderet fugaretque, altius exordiendum esse, atque ab ipsis universi principiis arbitratus est. Itaque περι αρχων, veterum philosophorum ex more, illud opus perscripsit, quo in opere enixe contenteque hoc adversus impios bellum instituit, gessitque. Principio duplicem esse christianam philosophiam docuit, vulgarem unam, planam, ac plebejam; alteram subtiliorem, secretam, doctorumque ingeniis adcommodatam,

(a) *De Script. Eccl. in Origene*. (b) *Sixt. Sen. in Biblioth.*
(c) *In Commonit. cap.* XVII.

(1) Clem. Alex. in I. stromate quum philosophiam laudasset, *philosophiam autem dico*, inquit, *nec Stoicam, nec Platonicam, nec Epicuream, nec Aristotelicam; sed quæcumque præclare apud singulas hæreses dicta sunt, quæque tradunt justitiam, ac pietatis scientiam, id totum selectum adscitumque, philosophiam dico*. Eam rationalem habet: nam ει γαρ, addit μη λογῳ πραχτοιμεν, αλογως ποιοισιμεν αν, *si quid sine ratione agimus, belluinum in morem faciamus necesse est*. Sic enim vertendum est το, αλογως.

tam, quæ allegoriis quasi velo in divinis vatum libris obtegatur. Adeo videlicet Ægyptia dedicere non potuit. Illam satis in vulgus sparsam cognitamque; ad hanc igitur demonstrandam, quæ sublimis sit, magnisque ingeniis congruens, sese aggredi. Tum universitatem ita procreatam, uti κατα λεξιν, *ad litteram*, enarrat Moses: itaque ab homine peccatum, ut simpliciter divini auctores scribunt: eas postremo esse pœnarum, præmiorumque rationes mensurasque, quas docent nostri Catechistæ; atque alia ejuscemodi, plebeja esse putat, & ad vulgi captum dicta. Sed reconditam illam, ac penitissimam, vereque divinam theologiam, prorsus esse aliam decernit. Totam igitur ejuscemodi fabulam sic ille agit.

Mundum, seu rerum universitatem, το παν, divina intelligentia ac sapientia contineri, gerique, idque ab æterno, & sacri docent libri, & naturæ ratio persuadet, & præcipuum est in platonica philosophia dogma. Eam autem æternam Dei intelligentiam & sapientiam λογον *verbum* esse scripturarum nemini jubet esse ignotum. Æternus igitur est logos, æternamque in Deo habet & γενεσιν, *genituram*, & ὑπαρξιν, *subsistentiam*. Gignitur vero manatque ab ὀσια *substantia* ipsa Dei. Est igitur quædam æterna constans, perpetua, των απαντων *universitatis* creatio; sed interna tamen insitaque æterno Numini, ejusque quasi sinu comprehensa. Hucusque nihil habet cum christiana philosophia adversi. Incipiunt vero hic ægyptia & pythagorica ac platonica mysteria. Logos ergo ab æterno genitus est: seu potius est æterna ac perpetua αποῤῥοια *effluxio* & *emanatio* Dei: Deus igitur & ipse: sed si cum Patre contendas conferasque, aliquanto minor, instar minoris statuæ ad maximam comparatæ, ex qua sit tamen plene expressa (*a*). Is est & *vita* omnium, & *veritas*, & *via*.

Ac vita quidem, tum quia per eum facta sunt omnia, vivuntque; tum quia quæ descivere, ac a Dei amore exciderunt mentes, peccatoque sunt immortuæ (est enim peccatum quædam animi mortalitas) ejus beneficio auxilioque vitam primævam indipiscuntur. Veritas autem, quod ejus tantum sapientiâ redeunt ad vitam: qua ex re efficitur ut & via quoque sit. Atque hic logos Dei est primogenitus atque δευτερος θεος alter a Patre Deus. Sed jam altera extitit supremi ejusdem patris αποῤῥοια, *emanatio*, alteraque

(a) *Vide de Principiis l. II. & Hieron. epist. ad Avitum.*

que mens, ejusdemque essentiæ, quam πνεῦμα *Spiritum Sanctum* dicimus. Hic & Patre minor est, & Logo (*a*). Platonis ψυχὴν audire putes. Pater rerum οὐσίας *exsistentiæ*, *entitatis*, ut ajunt, auctor est Logos vitæ & sapientiæ: Pneuma sanctimoniæ. Ita ille platonicam trinitatem invexit: indeque potissimum veteres fuere primum Ægypti, mox totius orientis turbæ, discidia, vasticies, quæ mari hinc terrisque superatis nos quoque invasere.

Alteram nunc exorditur fabulam. Fieri non potest ut Deus numquam otietur: est enim illius natura & actuosa, & semper eadem, ut perpetuo constanterque agere necesse sit. Ab æterno igitur mundum procreavit. Fac heri aut nudius tertius procreasse, de otioso repente actuosus factus est; quod est μεταβάλλειν, immutari (*b*), idque Dei naturæ adversum. Ecquem vero mundum? Mentium scilicet ac luminis: hoc forsitan, ut aliquod Manichæis concedere videretur, qui acerbe rogabant, in tenebris ne æternum fuerit Judæorum Deus (*c*)? Enimvero nihil in prima illa æternaque creatione nisi pulchrum, perfectumque, & omni ex parte bonum esse fas fuit; quo nimirum Deus & sapientis, & omnipotentis, & optimi parentis proprietatem tueretur. Immensum igitur extitit ac tenuissimum & præfulgidum lumen, quaquaversum a Deo, velut a τῶν ὄντων *entitatis totius* centro manans; cumque hoc lumine infinitæ propemodum myriades ψυχῶν, *animarum* mentiumque (*Angelos* vocamus) pari & sapientia & virtute præditæ ornatæque, Deoque liberorum caritate vinctæ, eoque plene beatæ. Nec natura igitur illæ, nec donis disceptabant: nam & omnes minores fuere ejusdem patris ἀπόρροιαι, *effluxiones*; omnesque eâdem & intelligentia, & potentia, & pulchritudine, & sanctimonia instructæ & ornatæ. Sed quando solus Deus esse plene incorporeus potest (sic enim ille, ac plerique veterum philosophabantur), omnes ejuscemodi mentes præfulgido corpori pleneque igneo copulatæ fuere, quod incorporeum dici oportet, si cum hisce nostris crassis & tenebrosis contendatur. Eæ sunt stellæ. Primus ergo mundus æternusque solis animis, ac sapientibus, tenuissimoque & incorporeo lumine constabat. Illa fuit primo cælitum

(a) *Hieron. ibidem. Vide Origenianas Huetii.*

(b) *De Princip. lib. I. 2. Vide Photium cod. 235.*

(c) *Vide Aug. de Gen. cont. Manich. lib. I.*

litum respublica omni voluptate & beatitate affluens. In ea *divum pater* regnabat: sed amore tamen & gratia regnabat. Nihil in illa tenebrarum: nihil perversi. Nihil cælestibus animis beatisque ignoti, quod sciri oportuit: nihil vitiosum: nulla ægritudo: nullus dolor: nulla miseria. Quin ignota illic & ejuscemodi vocabula, & vocabulorum potestates: non enim, nisi bonorum, Deus est auctor. Quæ si cælitum respublica ita ut erat procreata, perdurasset, quid ea beatius? & quem locum habituræ fuissent Manichæorum querelæ? Hucusque platonica ferme: nam Platonis Timæum legere putes.

Nec tamen Deum futuri præscium atque prudentem latere potuit, haud in fide mansuras. Sed amore illis imperitare, non vi ac metu & potestate statuerat; quod id & mentium, earumque sapientum, natura poscebat; & summa Dei ipsius bonitas ac liberalitas. Illas enim & rationales suique idcirco arbitrii genuerat: & ipse amari, non metui, expetebat. Ne tamen stulte, leviterque desciscerent, ac abalienarentur ab amore & obsequio in talem tantumque parentem, legem statuit, edixitque; nemini se quidem facultatem ademturum peccandi: si peccarent tamen, impieque in se suaque beneficia facerent, fore ut acriter punirentur: id & justitiam efflagitare, ut male facta luerent: & ad parentis amorem pertinere, quo scilicet ad officium, pietatem, beatitudinem, cui destinaverat, revocarentur. At illi ipsis beneficiis luxuriantes, quasique satietate capti, in se versi, ac se suisque parvis imperiis contenti, minus respectare imperatorem; tepescere primum: mox negligere: postremo in apertam rebellionem prorumpere. Alii se duces nefarie offerre: alii adjutores: complusculi novitate regni seducti occupatique. Deus ergo jam ejusce rei præscius, quod æterna lege sanxerat, singulos, qua quisque culpa se fœdasset eo mitius graviusque punire, velutque magis minusque ponderosos factos, per gradus a se repellere, deque cælo dejicere. Inde nata fabricatave crassiora corpora (r), queis velut

(r) Quid de origine materiæ Alexandrinus senserit catechistes non potui ego quantumvis attentus ex his libris expiscari. Est unde suspicor in ea fuisse illum opinione, Angelorum corpora tenuia, pro cujusque crimine, gradibus a Deo remota, ipsa per se graviora, ac densiora, & opaciora fieri; hincque esse terrestrem crassamque materiam. Scio aliter alibi loqui: sed ea, quam is hic tradit, christianæ phi-

velut carceribus occluderentur, variisque mortalium rerum malis torquerentur; ut & pœnas criminum darent, & ad cælestia tandem aliquando regna redire cuperent, studerentque. Qui minus graviter minusque superbe deliquerant, supernis corporibus, velut mitioribus vinculis, constricti: qui fœdius, terrestribus. Sed & ex his humana corpora incolunt minus nefarii: bruta quadrupedia, magis: insecta adhuc sceleſtiores: pisces postremo sceleſtiſſimi, improbiſſimique. Quibus & hæc conditio propoſita est, ut si per gradus reſipiſcant, sint stellæ, qui fuere homines: homines, qui quadrupedia: quadrupedia, qui insecta, aut pisces. Contra si perversiores esse pergant, de stellis clarioribus, minus claræ lucidæque: de his homines: de hominibus, pecudes, ac pisces demum fiant. Hæc Pythagorica; ut videre possimus eclecticum hominem nihil ferme, quod probabile arbitraretur, intactum in ulla schola reliquisse.

Quum autem magna aliqua ejuſcemodi mentium pars hisce pœnis perpurgata est, ut dignæ sint, quæ in beatas sedes remeant, tum hic mundus, igne, aut alia causa, destrueretur, novusque procreabitur; mentesque illæ quæ ad bonam frugem redierunt, pristinas iterum obtinebunt dignitates: reliquæ novum incolent. Hic vero ea sapientia justitiaque structus erit, ut illis, quæ improbæ supersunt, mentibus puniendis aptus congruensque sit. Sed interim aliæ perpetuo ex cælesti republica rebellabunt, deorsumque decident, easdemque peragrabunt periodos, quas primæ. Ita populosus iterum pravorum hic miserrimusque atque ærumnosus erit mundus. Qui item, postquam satis datum pœnarum, perpurgatumque mentium, conflagrabit, exorieturque alius iis, quæ aut obduruere malitia, aut recenter deciderunt, habitandus. Nullius autem quum creatæ mentis sapientia ac virtus constans sit & æterna, propter scilicet liberum arbitrium; ita fit ut & illæ ipsæ, quæ resipuerant, atque ad beatas sedes remeaverant, desipiant iterum, hucque habitatum deportentur. Ita infiniti erunt mundi, quorum alius alium excipiet, æternumque durabunt. *Secula* in scripturis appellari contendit.

Atque hac is ratione pestem illam Manichæorum longe lateque profligari posse censuit. Nihil est æterni

inge-

philosophiæ partitionem, ut alia nos efficere debet in iis, quæ his sit plebea, alia sublimior; tantum de rebus populariter docet.

ingenitique mali: nihil, quod primitus Deus procreavit, nisi bonum: ignorantiam, & peccata a cujusque esse arbitrio. Jam quæ in tellure fœda, quæ noxia, que turbata videntur: tum ægritudines, dolores pene innumerabiles, ac si quæ sunt alia, quæ in malis ducimus, pœnarum, ut apparet, loco sunt. Disputant Manichæi, ac reponunt sæpe, cui bono tot aut plane inutiles, aut noxiæ plantæ? Cui animalcula aut molesta, aut infestissima, aut redundantia, velut ciniphes, culices, cimices, mures, ranæ, muscæ, vermium tot genera, blattæ, araneæ, ac ea, quorum infatigabilis naturæ studiosius quæsitorque Reamurius satis & doctam jucundamque, & copiosam historiam conscripsit? Hæc *ad universi integritatem implendam* efficta ac procreata Augustinus (*a*) arbitratur. Sed vincula esse rebellium mentium docet Adamantius. Quærit adversus Stoicos Cicero, cur cum Deus provideat toti naturæ, nihilque, nisi sapienter faciat, magna pars telluris inhabitabilis sit aut nimio gelu, aut urentibus ac suffocantibus caloribus? cur tanta spatia aut nudi rigidique scopuli, ac lapideæ massæ, aut steriles arenæ occupant? Nec ullam ejus rei probabilem Stoici rationem reddidere. Hæc aperte constant in Adamantii systemate. Jam vero quid illa? Pestes, terræmotus, fames, alluviones, fulmina, siccitates: bella interdum illata mortalibus a locustis, muribus, vermibus, feris: tum hominum inter sese cruenta ac æterna duella, depopulationes, vastationes, incendia: oceani, aut fluminum exundationes: decussiones terrarum aut montium. Si superiora audias philosophorum dogmata; parum hæc principiis congruunt: hic constant, atque alterum alteri consequens est: punitiones scilicet sunt perduellium civium. Si prima illa ut sunt fabulosa, ita vera esse possent; hæc essent necessaria: nam stultum est consequentia reprehendere, cum principia concesseris. Jam in his puniendis nihil Deum efficere nec stulte, nec injuste, nec crudeliter. Nam qui paterna in iis caritate regna vult, pœnis præmiisque trahere ad officium sapientius habet, quam pro vi ac imperio: & non modo æquum est in eos animadvertere, qui peccavere, quo ad obsequium, vitamque beatam redeant, sed magnum paterni amoris beneficium. Postremo & quo resipiscant magnis bonarum mentium auxiliis officiisque juvat; & non punit æternum; & postquam sapientes, vitæque

puræ

(a) *Aug. lib. I. de Gen. ad Manich. 16. & II. 29. extremo.*

puræ evasere, eodem amore, eademque felicitate excipit, qua a principio fruebantur.

Quibus ex rebus intelligi potest facillime, nullos alios Origeni inferos, ac damnatorum sedes agnitos, nullum Orcum, nullas ditis domos, & *inania regna*, ut Poeta ait, præter hunc globum terraqueum; nec alias miseros, tortosque manes, præter homines, quadrupedia, reptilia, pisces, aut, qui hæc animant, dæmones. Itaque istiusmodi quoque & diaboli sunt & furiæ. Nobis igitur, qui tam bene hic esse videmur, quam stulte, si illi fides, illudimus blandimurque? Non enim fortunatorum nemora incolimus, sed apud inferos versamur. Ac vero qui apud inferos exercentur cruciatus, omnia hic regnare existimet aliquis. De illis Virgilius (*a*)

Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus orci
Luctus, & ultrices posuere cubilia curæ,
Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus,
Et metus, & male suada fames, & turpis egestas,
(Terribiles visu formæ!), lethumque, laborque.
Tum consanguineus lethi sopor: & mala mentis
Gaudia, mortiferumque adverso in limine bellum
Ferreique Eumenidum thalami, & discordia demens
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

Quorum quodnam est, quo tellus caret? Sed ne illa alia quidem desunt, quæ idem Poeta addit

Multaque præterea variarum monstra ferarum.
Centauri in foribus stabulant, scyllaque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ.
Horrendum stridens, ac flammis armata Chimæra,
Gorgones, Harpiæque, & forma tricorporis umbræ.

Quarum rerum quædam naturales sunt, veluti ignivomi montes, venenata animantia, amphibia: aliæ sunt in moribus hominum aut astutis ac fraudulentis, aut feris, immanibusque. Tum adsunt & illa

. . . . . . *Stat ferrea turris ad auras,*
Tisiphoneque sedens palla succincta cruenta
Vestibulum in somnis servat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus, & sæva sonare
Verbera, tum stridor ferri, tractæque catenæ.

Ita damnatos ad triremes, ac in vinculis situ squa-

(a) *Æn.* VI. v. 273.

lentibus, horridisque habitos, obæratos, facinorosos, servos, ceterosque sævissime tractatos describere voluisse videatur. Enimvero

Non mihi, si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem,

quæ tellure nimirum comprehenduntur.

Atque hæc quidem in tam gravi abditaque re disputavit Origenes. Haud ego abnuerim, si illud totius hujusce philosophiæ caput extra controversiam poni possit, possimusque paullisper a tellure & physica oculos avertere, cetera reliqua circumspecte, magnaque esse constantia excogitata & structa, ac sublimis & vasti ingenii hominem præseferre. Sed hoc pessimum, quod & tantæ molitionis fundamenta si ex naturæ quidem ratione expromat, imaginaria sunt & fabulosa: si ex divinis libris, absurda & impia: & rerum natura, atque hominum communis sensus consequentiis refragatur, repugnatque. Quicquid cœlo terraque animatum est & spirat, cælesti aliquo animo, ætherea mente vivere, ac sentire docet. Non in homines tantum, sed in bruta, fœdosque vermiculos, e superis sedibus ejectos insinuasse sese Angelos, pro cujusque videlicet improbitate atque malitia, credi vult. Quæ ego ægyptii caloris exhalandi, non ingenii ostendendi causa declamitasse arbitror: quis enim non ea rideat peramare? Sed, puto, indocti sumus, ignarique rerum: in animantium scilicet natura stupemus. Non in seminibus est causa animalium, sed in cælestibus animis. O nos imbecillos! Quamquam quid ego stupiditatem memoro? Immanitatem nostram exhorrescamus totis artubus oportet. *Parcit cognatis maculis similis fera* (a), suæ, credo, naturæ atque conditionis immemor: nos, quo gulam perfricemus, tot animantium & cognatorum, & olim concivium, scienter, intelligenterque saginamur membris. Pythagoræ constantiam laudo

. . . cunctis animalibus abstinuit qui
Tanquam homine, & ventri indulsit non omne legumen (b)

Christiano quid faciam, qui & credit illa cum Pythagora, nec

(a) *Juvenalis satyra* XVI.
(b) *Juvenalis ibidem*.

ra, nec tamen, ut ille, abstinet? Stultum est consequentia declinare cum prima statueris. Atque huc angustiarum ducit philosophia, quæ a natura abludit:

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis (*a*).

Quamquam hæc Origeniana serpit longius: nam ab homine ad inanimem, si est, ulla, materiam est vitæ quædam & sensus gradatio. Vita est in nobis plena perfectaque inter omnia animantia: non enim sensus modo delicatus est ac distinctus, sed perceptio, ratioque, ac intelligentia. Ab homine satis grandi gradu degenerant bruta; ac primum minus quædam perfectiora, simiæ, canes, elephanti, equi, leones, quæ imitationem quamdam rationis habere videntur: magis stupidiora, veluti oves, gallinæ. Tum sequuntur insecta quædam adhuc magis bruta, ac stupida, veluti peticuli, cimices, lumbrici, vermesque ceteri. His inferiori etiam gradu subsunt ostracea. Sequuntur mox gemmæ. His accedunt plantæ, quæ & nascuntur, atque crescunt, & sexum habent, & vix sensibilem gradum sensitivæ irritationis (*b*). Hæc constant. Illa porro conjicere possumus, vivere sub modo lapides: nam gignuntur nutriunturque; & zoophyta, ac coralli, quæ constat esse illa quidem animantia, has plantas; animata sunt. Postremo omnes materiæ atomos animatas esse sunt qui opinati sunt, ac non modo apud veteres, sed aliqui etiam hujus ævi magnique nominis philosophi (*c*). Itaque si illa Origenis ratio est aliqua, ullamque habet probabilitatem, hic cælestium mentium circulus tota absolvitur corporea telluris natura, singulisque ejus partibus. Sed ut infra hominem, in crassiori materia minusque organica, vita degenerat, minuiturque, idque, ut ille quidem putat, pro peccatorum gravitate: ita cum aerea cælestisque materia tenuior sit, lucidiorque, gradum vitæ nobiliorem nacta sit necesse est. Erunt ergo & aerea animantia, & ignea. Quumque ignis si alius alio subtilior, puriorque, pro ea diversitate animantia & intelligentiora erunt & nobiliora, ac summæ propterea menti propinquiora. Quorum pleraque ille quidem aperte docet. Ajunt esse horum quædam, quæ, ut non assentiamur Origeni ejusque phantasiis, theologia christiana non abnuit.

 Nam

(a) *Horat. l.* 1. *ep.* 1. (b) *Vide Duhamel* physique des bois.
(c) *Leibnitius*.

Nam illam animantium catenam & Augustinus ac Thomas Aquinas non admodum aspernari videntur: & scholæ theologi reliqui quamquam hæc non dicerent, haud tamen dubitaverunt quasi per saturam docere, omnia esse elementa, tellurem, aquam, aerem, ignem dæmonibus plena; indeque plura esse hominibus incommoda ac mala. Præterea totum mundanum spatium Angelorum scatere, Deique eos ministerio esse addictos: fuitque veterum patrum communis sententia (*a*) esse omnes mentes dæmonum, Angelorum, hominum natura æthereas, igneasque. Itaque Lactantius (*b*) ita immortales animos humanos efficit, quod & ignei sint, & igne utantur lætenturque. Id respuunt hodie theologi: sed ea fuit illorum temporum philosophia.

Sed hæc ab illis Adamantii phantasiis longissime distant, habentque alias causas & rationes; quare ab illis secernamus; neque enim de his agimus. Sint igitur illa tantisper vera: videat quam liberaliter agamus; expediet tum facilius hanc malorum litem? Quin adeo non expedivit, ut ceterarum ferme omnium acriumque controversiarum, quæ exeunte tertio seculo, totoque quarto ac quinto Ecclesiam & divexarunt misere, & in partes discerpserunt, uberrima fuit scaturigo, pravumque fanaticorum omnium, quorum fertilissima fuit illa ætas, exemplum. Platonica enim somnia, quæ Alexandrinas Potamonis jam pridem scholas pervaserant, subdoloque artificio a christiani nominis hostibus cum evangelica simplicitate fuerant admixta, sensim in semichristianorum libellos irrepserunt, donec incautos plurimos fallerent, ac præcalida nacta ingenia, defenderentur etiam. Inde illæ turbæ, ac tumultus, qui postmodum in atrocia cruentaque bella eruperunt. Sed eo redeamus, unde discessimus. Sapientes, inquit, erant beatæque, quum exsistere inciperent, mentes omnes. Qui igitur peccarunt? qui ab amore summi parentis desciverunt? Hoc enimvero quæritur. Liberi, inquit, erant arbitrii. Nihil verius: nec tamen ad rem. Illud in quæstione est, non qui peccare potuerint; quis enim id non videat? Sed qui eis permissum: qui non aut cælesti amore abstracti, aut metu perterriti; aut alia

(a) *Petavius de Angelis*.
(b) *Lib.* II. *cap.* 9.

sia arte (sunt enim Deo infinitæ) adlecti, in obsequioque habiti? Qui dignum summi principis sapientia ut toties rebellent? Nulline apud eum perpetua constanteque gratia? Cur ita? Hæc non docet Origenes. Omnes, inquit, hæc difficultas premit. Minime id quidem. Esto tamen. At a te (liceat illum interpellare) aliquid novi, certiusque expectabamus. Quod cum non afferas, quid intereat has fabellas recinere? Nihil apud Ægyptios, & Græcos vulgatius. Homerum & Hesiodum legissemus: Platonem platonicosque studiose pervestigassemus. Nihil attinebat περι αρχων scribere. Quanto simplicius is, quem barbarum hodie appellamus, Petrus Lombardus? *Posset*, inquit, *Deus voluntatem eorum vertere in bonum, quia omnipotens? Posset revera. Cur noluit? Ipse novit: non debemus plus sapere, quam oportet sapere* (*a*). Hoc ego maluissem, quam tantam imaginationum segetem.

Sed jam illa attingamus saltem leviter, quæ abundantius dedisse videmur. Platonicam primum trinitatem invehit. De ratione promit? an de Platonis libris? an de Christianis? Eam execrati sunt Christiani. Platonem vero hæc somnia narrantem quisquam ne moretur? Si de ratione promit, non videt quam obscuriori re obscuræ lumen facere velit? Nec is ignorare potuit, hæc dogmata, *non carnis esse, & sanguinis*, sed summi patris arcana. Jam cælestium animorum acies expedit, æque intelligentes, sapientesque: æque beatos: æque crassis corporibus exsolutos. His totum orbis spatium explet. Quid si illi fidi supremo Regi perstitissent? Ecquas habuissemus in planetis animantes? Sed & stellas, seu soles vult ille animatos: ne ii ergo quidem, si nemo peccasset. Quid igitur tanta esset corporea massa, & cui bono? Fac jam ex futuri criminis præscientia creatam. Potuit illis esse ignotum? Dei muneris erat legum pœnas monstrare. Nihil ne eos conterruit? Præsertim quum boni adhuc essent. Hæc non minus dubia sunt, quam id, quod agit. Sed vero peccarunt: ergastulis igitur damnati sunt: pœnas scilicet daturi. Cur vero permissum ut alii aliorum corpora lacerarent, vorarentque? Nimis sunt hæc crudelia Deoque indigna, si rationis est & juris communio inter omnia animalia. Quod si & arbores sunt animantia,

(a) *Sentent.* II. *dist.* 33.

qui liceat jam cognata corpora recidere, urere, secare? Quid si illa, ut Virgilii Polidorus, cruore manent? Hæc ne emendatio est veterum criminum! Sed vero paradoxa omnia illa tam crebra transmigratio vincit. Quo de penore promta? Nihil est nec magis precarium, nec magis deridiculum. Mihi velim postremo ab illo explicari, cur si unus dæmon singulos pisces animet, tot myriades singuli ovulorum progignant? Nisi si Malebranchio, idque genus aliis concedamus, futurorum hominum ac brutorum omnium ovulo uno ab initio extitisse, dæmonibusque prægravida fateamur (1).

Illa vero in homine ac mortali intoleranda, tot peragrare corpora dicere, nec se inspicere excutereque tamen umquam. Tu ne igitur, Origenes, ut jam bonis Tarentinis ac Crotoniatis Pythagoras, olim te piscem, avem, feram, pecudes alias fuisse nobis persuadeas? Cur hæc flagitia? Vetera, inquis, crimina luo. Recordere igitur oportet: quæ enim ignoti criminis ulli utilis punitio? quæ si prodesse vult, ita prodest, si peccati simus memores: alioqui, & velut inique avertit repellitque ab omni justitiæ amore, nosque male adversus judicem animatos efficit. Tu vero quas veteres vitas recordaris? Nullas nos; ne tu igitur quidem; hanc tu nobis fabulam invita natura propinabis? Hoc jam lepidius, ut leones, tigrides, lupi, boves, cantherii, oves, capellæ, gallinæ de cælo se olim cecidisse, hucque relegata meminerint? Quid lumbrici, totumque verniculorum genus? Menta postremo, parietaria, gramina, ulicæ, myrti, regnumque adeo omne plantarum & arbustorum? Hæc Ovidius concinat: quamquam ne tum quidem grata, cum Poeta severe inculcat, inque iis luxuriari videtur. Sed illud lepidissimum, quod acute vidit Lucretius, cum delabuntur de cælo fontes animi, nisi corpora animantium, quæ occupent, præsto sint excipiendis, incertis sedibus vagentur necesse est; ergo inspectare illos attente oportet brutorum hominumque coitus, partus observare, catervatim expectare vehementerque inter se contendere, qui primus ingrediatur,

Deni-

(1) Vide ut hos πυθαγορικους μυθους, *pythagoricas fabulas*, ut ille vocat, irridet Aristoteles in I. de anima, & Arnobius adversus Gentes II. Item Lucretius in III. de nat. rer.

Denique connubia ad Veneris, partusque ferarum
Esse animas praesto, deridiculum esse videtur:
Inspectare immortaleis mortalia membra
Innumero numero, certareque praeproperanter
Inter se, quae prima, potissimaque insinuetur:
Si non forte ita sunt animarum foedera pacta,
Ut quae prima volans advenerit, insinuetur
Prima, neque inter se contendant viribus hilum (a);

Sed mittamus hæc *somnia Pythagorea*, ut vocat Horatius noster; atque hoc concludamus, dogma origenianum poeticum esse ac anile & fabulare: nec, si verum sit, hujusce disceptationis caput satis illud expedire, qui factum, ut tot mentes rebellarint, quove consilio a summo optimoque Deo permissum. *Potentius* quidem *&* *melius esse judicavit, etiam de malis bene facere, quam mala esse non finere*, ut ait Augustinus; sed quæ sint hæc bona, horumque rationes, ac e mundo ne promptæ, an e Dei natura, id ajo negatum mortalibus rescire. Hoc constanter recordemur, ac defendamus: nihil ab illa celsissima ac beatissima majestate mali umquam fieri posse: tam est enim id possibile, quam circulum esse quadratum; aut idem esse simul, ac non; aut si quid est ejuscemodi aliud. Hæc ne moveantur. Cetera nihil vetat disputationi atque inquisitioni subjici. Sed probabilia tamen sint necesse est quæ utcumque affirmantur: sint Deo digna: digna opere, quod ille tanta & sapientia machinatus est, & providentia ac liberalitate moderatur; quæ nunc constat non esse Origeniana.

Eorum recitatur perpenditurque opinio, qui ideo mala Deum permisisse tradunt, ut virtuti locus esset aliquis, adeoque laudi, & praemio. Ea non satis perfiniri quaestionem videri.

MIttamus modo fabulas. Enimvero e mundo sunt mala (nam hoc subinde repetamus oportet); nec tamen eorum ullo pacto qui mundi bona est, causa esse potest: non itaque agit, sed permittit; quin ne permittit quidem, sed tolerat, perpetiturque; idque, ut nobis quidem videtur, quia ea est hujus mundi lex, quemadmodum

(a) *Lucret. lib.* III. *de nat. rer. v.* 777.

modum suo sumus loco explicaturi. At enim, praeclarum laudatumque est illud Jurisconsultorum scitum, & cum natura ipsa consentiens, *qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quae non facit* (a). Haec petulanter disputabant olim Epicurei, ingerunt nunc audacissime qui cum Deo belligerant. Quae ut christiani theologi refellerent, huc aliqua pars flexere, ut quoniam liberi arbitrii sunt, tum Angeli, tum homines; haec eorum electiva potestas hoc poscat, ut non ulla necessitate, sed sua voluntate boni fiant, vel mali. Nequit, inquiunt, ipse secum pugnare Deus; ergo quoniam liberos, suique juris animos creavit, liberos, suique arbitrii esse sinat oportet. Quod si quis quaerat, an non tanta gratia, & favore implere potuerit, ut & liberi essent, & interea perpetuo sapientes, bonique, respondent, id quidem fieri potuisse: sed vix ullum fuisse locum virtuti, si nulla vitia esse sineret. Audiamus Tertullianum sic adversus Marcionem disputantem (*b*).

Sed quoniam ex hoc jam intelligimus eos struentes liberam hominis potestatem arbitrii sui, ut quod ei evenit, non Deo, sed ipsi debeat exprobrari: ne & tu hinc jam opponas, non ita illum institui debuisse, si libertas, & potestas arbitrii exitiosa futura esset: hoc quoque prius defendam, ita instituisse debuisse, quo fortius commendam, & ita institutum, & digne Deo institutum, potiore ostensa ea causa, quae ita fecit institui. Bonitas Dei & ratio ejus huic quoque instituto patrocinabuntur, in omnibus conspirantes apud Deum nostrum. Nec ratio enim sine bonitate ratio est, nec bonitas sine ratione bonitas, nisi forte penes Deum Marcionis, irrationaliter bonum, sicut ostendimus. Oportebat Deum cognosci: bonum hoc utique & rationale. Oportebat dignum aliquid esse, quod Deum cognosceret. Quid tam dignum prospici posset, quam imago Dei & similitudo? Et hoc bonum sine dubio & rationale. Oportebat igitur imaginem & similitudinem Dei, liberi arbitrii & suae potestatis, institui, in qua hoc ipsum imago, & similitudo Dei deputaretur, arbitrii scilicet libertas & potestas: in quam rem ea substantia homini accommodata est, quae hujus esset, adflatus Dei, utique liberi & suae potestatis. Sed & alias quale erat, ut

(a) *Paul. JC. l.* 121. *ff. de regulis juris.*
(b) *Lib.* II. *cap.* 5. *& seq.*

ut totius mundi possidens homo, non in primis animi sui possessione regnaret, aliorum Dominus, sui famulus? Habes igitur & bonitatem Dei agnoscere ex dignatione, & rationem ex dispositione. Sola nunc bonitas deputetur, quæ tantum homini largita sit, id est arbitrii libertatem. Aliud sibi ratio defendat in ejusmodi institutionem. Nam bonus natura Deus solus. Qui enim quod est sine initio habet, non institutione habet illud, sed natura. Homo autem qui totus ex institutione est, habens initium, cum initio sortitus est formam, qua esset: atque ita non natura in bonum dispositus est, sed institutione ... secundum institutorem bonum, scilicet bonorum conditorem. Ut ergo bonum jam suum haberet homo emancipatum sibi a Deo, & fieret proprietas jam boni in homine, & quodammodo natura, de institutione ascripta est illi, quasi libripens emancipati a Deo boni, libertas & potestas arbitrii: quæ efficeret bonum ut proprium jam sponte præstari ab homine, quoniam & hoc ratio bonitatis exigeret voluntarie exercendæ, ex libertate scilicet arbitrii non favente, institutionis non serviente: ut ita demum bonus consisteret homo, si secundum institutionem quidem, sed ex voluntate jam bonus inveniretur, quasi de proprietate naturæ: proinde ut & contra malum (nam & illud utique Deus providebat) fortior homo prætenderet, liber scilicet, & suæ potestatis: quia si caperet hoc jure, ut bonum quoque non voluntate obiret, sed necessitate, usurpabilis etiam malo futurus esset ex infirmitate servitii, proinde & malo sicut homo famulus. Tota ergo libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut sui dominus constanter occurreret, & bono sponte servando, & malo sponte vitando, quoniam & alias positum hominem sub judicio Dei, oportebat justum illud efficere de arbitrii sui meritis, liberi scilicet. Ceterum nec boni nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate. In hoc & lex constituta est, non excludens, sed probans libertatem de obsequio sponte præstando, vel transgressione sponte committenda, ita in utrumque exitum libertas patuit arbitrii. Igitur si & bonitas, & ratio Dei invenitur circa libertatem arbitrii concessam homini, non oportet omissa prima definitione bonitatis atque rationis, quæ ante omnem tractatum constituenda est, post factis præjudicare, non ita Deum instituere debuisse, qui aliter quam Deum deceret evasit, sed dispecto quia ita debuerit instituere, salvo eo quod dispectum est, cetera

ex-

explorare. Ceterum facile est offendentes statim in hominis ruinam, antequam conditionem ejus inspexerint, in auctorem referre quod accidit, quia nec auctoris examinata sit ratio. Denique & bonitas Dei a primordio operum perspecta, persuadebit nihil a Deo mali evenire potuisse, & libertas hominis recogitata se potius ream ostendit, quod ipsa commisit.

Hæc ille. Nec dissimiliter disserit Lactantius, tametsi, ut sæpe ingenio fidit, quam veteri traditioni, aliena misceat. *Dicet aliquis*, inquit (a), *cur ergo Deus hæc fieri patitur, nec tam malis succurrit erroribus? Ut mala cum bonis pugnent: ut vitia sint adversa virtutibus, ut habeat alios, quos puniat, alios, quos honoret.* Disserit uberius apertiusque lib. v. cap. 7. quo in loco contendit, *virtutem aut cerni non posse, nisi habeat vitia contraria, aut non esse perfectam, nisi exerceatur adversis. Hanc enim Deus bonorum ac malorum voluit esse distantiam, ut qualitatem boni ex malo sciamus, item mali ex bono; ne alterius ratio intelligi, sublato altero, potest. Deus ergo non exclusit malum, ut ratio virtutis constare posset. Quomodo enim patientia vim suam nomenque retineret, si nihil esset, quod pati cogeremur? Quomodo laudem mereretur devota Deo suo fides, nisi esset aliquis, qui a Deo vellet avertere? Nam ideo potentiores esse injustos permisit, ut cogere ad malum possent: ideo plures, ut virtus esset pretiosa, quod rara est. Quod quidem ipsum Quintilianus egregie ac breviter ostendit in* capite obvoluto. *Nam quæ, inquit, virtus esset innocentia, nisi laudem raritas dedisset? Verum quia natura sic comparatum est, ut odium, cupiditas, ira, in id, quod incubuerint, agant cæcos; supra hominem videtur culpa vacare. Alioqui si natura pares omnibus affectus dedisset, pietas nihil erat. Hoc quam verum sit docet necessitas ipsa rationis. Si enim virtus est malis ac vitiis fortiter repugnare; apparet, sine malo ac vitio nullam esse virtutem; quam Deus ut absolutam perfectamque redderet, retinuit id, quod erat ei contrarium, cum quo depugnare posset &c.* Id alii quoque veteres scribunt, Cyrillus Hierosolymitanus, S. Basilius, Nazianzenus, aliique plusculi, Græci maxime. Hoc ipsum magno, & ingenio, & eruditionis apparatu egit nuper vir nobis amicissimus F. Pyrus Minimorum monachus in eo opere, quod *Antimanicheismo* inscripsit. Sed

(a) *Lib.* II. *cap.* 17.

Sed movet nonnullos, magnam scelerum partem improtectam esse hic atque impunitam. Id efficit, quominus audeant in hanc ire sententiam. Si Deo curæ est virtus: si ad ejus præmia contendit; ut non eradicaret, inquiunt, vitia; ne punire quidem scelera, suæque apud homines famæ consulere æquum erat? At is adeo non consulit, ut bonos homines, ac virtutis veræ cultores opprimi patitur, atque mille modis vexari: quum pravi facinorosique omnibus voluptatibus affluentem vitam beatamque, sæpe nullo divum metu, protrahant. Hæc ego, ut non subscribam superiori decreto, tamen ex illa eadem sentina manare ajo, ex qua reliquæ sunt hominum stultæ & iniquæ querimoniæ. Singuli sibi tantum nati videntur & abdomini suo: sibi totum procreatum mundum: sibi unis servire oportere apud se edixerunt. Ingentia animi corporisque bona nihili pendent: si vel musca molesta fuerit, irascuntur, furunt, totique naturæ indignantur: omnia perverse ruere: miseriæ se destinatos: nihil rerum esse divum cuiquam cordi. Quibus quid fingi aut adrogantius potest, aut stultius? Rationes ineamus ex æquo oportet, si justi accusatores esse velimus: bonis mala conferamus appendamusque: si quid superest, in causam adducamus. Certus sum multis partibus bona exsuperatura, si boni fuerimus prudentesque. Sed & illud æque erit manifestum, scelestos homines, impios, immanes non ita esse beatos, ut imperitum vulgus, humanarumque rerum ignarum supputat. Primum, extrema cujusque fata videre oportet, & ex tota judicare vita. Œdipus apud Sophoclem (a).

Ωστε, θνητον οντ', εκεινην την τελευταιαν ιδειν
Ημεραν επισκοπουντα, μηδεν' ολβιζειν, πριν αν
Τερμα του βιου περαση, μηδεν αλγεινον παθων.

Quisquis es, mortalis, extremum illum vitæ diem intuere, qui desuper inspectat, quem prius quam peregerit, neque quidquam ærumnarum passus sit, neminem beatum dixeris. Deinde in animum penetrare, nec de externa tantum fortunæ pompa felicitatem metiri. Plerique in ima atque abjecta vita, qui nobis curis, laboribus, calamitatibus confecti videntur, æquiore ac tranquilliore sunt animo, quam Crassus, Lucullus, Pompejus, Cæsar.

Ju-

(a) *In Œdipo, extremo.*

Jupiter Ammon
Pauper adhuc Deus est, nullis violata per ævum
Divitiis delubra tenens, morumque priorum
Numen Romano templum defendit ab auro.

Tum si qui sunt, qui probi publice judicati, miseriis anguntur, aut crudeliter pereunt, tu illos mihi nullo occulto scelere sibi esse conscios persuaseris? Ne igitur sint; nego illos esse tam miseros, quam judicantur, etsi nobis appareant fortasse. Nam qui video nullam esse vel acerrimam calamitatem, nullum vel intolerabilem dolorem, cui interdum homines sponte sua, ac quasi per ludum, non obviam eant, ferantque fortissime; qui in hisce malis ullum plene miserum censere possim? Iidem omnibus sæpe vitæ voluptatibus ac præsidiis sese nec sine jucunditate privant. Tartarorum qui vitam moresque didicerit haud gravate his annuet. Qui ergo his destituti infelices? Enimvero quis spontanea cruciamenta enarret, quibus se Indorum sapientes ostentabundi affligant. Nive sese totos cooperiunt, aut arentibus arenis pensiles deorsum ex arboribus integris diebus pendent: incurvant arcus in modum corpora, eoque se macerant situ (1). Diogenes Cynicus æstate fervida se in arena volutabat: hyeme vero statuas nive perfusas arcte complectebatur (a). Idem viatica vitæ esse dicebat aut λογον, aut βροχον *rationem*, vel *laqueum*, ut si illa non sufficeret, hic esset præsto. Adeo vel vitæ auram contemnebat; Cum aliquot Groelandi in Daniam essent transvecti, blandeque excepti ac molliter habiti, tanto patriæ desiderio emarcuerunt, ut alii ægritudine extinguerentur, alii futili se cymbæ crederent, quo eo reamearent, unde abducti fuerant, patriamque reviserent. Quam vero patriam? perpetuo scilicet gelu rigentem, omnique vitæ præsidio orbatam. Quid jam vero orbitates, exilia, multæ? Plures bona projecerunt, velut animis graves sarcinas: alii tota vita peregre fuere, ultro parentibus orbati & patria. Quos si Dei amor aliquis incendat, quo vera virtus efficitur, aliturque, hos tu hæc magni facere censes? Hæc olim fuit tota Africa, Asia, Europa nostrorum Monachorum vita, estque hodie haud paucorum. Nihil est tam durum, cui non

(a) *Laertius lib.* VI. *cap.* II. *sect.* 3.
(1) Vide Plutarchum in Alexandro, Curtium, Arianum, & recenter plures Indiæ viatores.

non paullatim aſſueſcamus, atque in deliciis habeamus; præſertim ſi, ut dixi, cæleſti aliquo igne flagremus. Sunt quidem hæc mala, ſed uſu quaſi miteſcunt. Nulla ergo certa menſura virtutis præmia vulgus dimetitur; nulla vitiorum pœnas. Quæ ſi ex cujuſque animi habitu æſtimanda ſunt, quid hiſce noſtris umbratilibus declamationibus efficimus? Atque hæc, opinor, his reſponderi ab illius ſententiæ auctoribus poſſunt.

Ac ſunt certe Deo digna, virtutem ſpectare, ejuſque præmium: nec quiſquam negaverit, ſi Dei arcana ſcrutari liceat, magna probabilitate, ſe hanc ſententiam nobis commendare. Interea Auguſtinus, quo nemo nec acutius, nec diuturnius, nec obſtinatius in hanc rem inquiſivit, haud ſatis illa ſibi fecit; qua ex re factum eſt, ut in alias atque alias, ſcilicet pro re nata, iverit, eaque fere numquam uti voluerit. Ac vero gignit ea duas ſatis implexas, ac moleſtas quæſtiones. Prima eſt, potuerit ne ulla in mundo eſſe virtus, ubi etſi inlicerent vitia, non tamen pervincerent, ac dominarentur? Altera, cum multo minores, paucioreſque, ut vulgo videtur, ſint virtutes, quam vitia, fuerit ne Deo dignius, ejuſque ſapientia & bonitate, nullam potius eſſe ejuſmodi virtutem, quam tot Angelos, homineſque ob vitia æternum cruciari? Quas quæſtiones & ferunt impotenter profani, & acerbe expoſtulant. Sed & theologi, qui in aliis militant caſtris, modeſte licet, his adverſus hanc ſententiam pugnant, quo minus veram efficiant. Id, & inſtituti operis ratio, poſcunt a me hoc in loco, ut contentius perpendam.

Virtutes primum concipiamus. Virtutes aut rationis ſunt, aut animi, appetitus, voluntatis. Illas *intellectuales* vocant, has *morales*. Illæ prudentia, ſcientia, ſapientia: hæ pietas, juſtitia, temperantia, fortitudo, ac aliæ complures. Quin virtutem Deus velit, jubeatque, atque ſapientibus legibus procuret, nemo, opinor, ſanus, Deique non plane oblitus, ambiget. Quam illud deſperanti Electræ commemoratum a vetula opportune graviterque apud Sophoclem!

> Θαρσει μοι, θαρσει, τεκνον,
> Εστι μεγας εν ουρανῳ
> Ζευς, ος εφορᾳ παντα, και κρατυνει
> *Confide mihi, confide filia,*

Eſt

Est magnus in cælo
Jupiter, qui inspicit omnia & gubernat.

At illud quæritur, possit ne ulla esse inter homines virtus, sublatis vitiis? Ea autem dico vitia; quæ voluntaria sunt, nostrique arbitrii. Vix crediderim esse qui negent, modo digna Deo sentiant. Nam, ut a primis exordiar, quid vetat, quominus Deus homines intelligentes scientesque efficiat, sapientes, prudentes sine ullo errore? nam ignorantiam, quum nequeamus in vitiis semper habere, sed tum, cum scire opus est, haud ille adimet: quippe negatum finitis mentibus scire omnia; ignorent igitur infinita necesse est. Neque vero est quisquam eam ob rem miser: qui finiti limitatique natura sumus, haud omnia intelligere ac scire indigemus. Sed illuc redeo. Quum a nobis discere habemus, ut sumus, vix errorem vitare possumus; eoque qui vitaverint, egregii & illustres, multaque laude digni existimantur. Sed his conditionibus minime subest præpotens ille & omniscius naturæ auctor. Id non ignorat christiana theologia: primi mortales & scientes fuere, & sapientes sine ulla erroris fœditate; quippe non ullo labore parta sapientia, sed divinitus hausta. Quærunt igitur, si ita servasset Deus, ut nullo mentis errore infici sivisset, minus fuissent illi sapientes? Non puto quemquam ausurum dicere. Concipi ergo potest ac possideri intellectus virtus sine vitiis. Qui igitur ajunt permisisse Deum hæc rationis vitia, ut locus esset intellectus virtuti, nondum non solvunt: quin implicant multo, si statuunt, non potuisse Deum locum suppeditare sapientiæ, nisi errorem irrumpere grassarique permisisset.

Nec aliter de animi morumque vitiis judicandum censeo: omnes dominari, vigereque posse animi virtutes sine vitiis satis aperte intelligo. Quin tanto esse puriores ac præclariores scimus omnes, quanto ab omni vitiorum mixtura alienas. Ac vero, quis dixerit nullam esse posse, ac regnare justitiam sine homicidiis, parricidiis, patriæ proditionibus, rapinis, furtis, fraudibus, dolosisque circumventionibus? Castimoniam sine incestu, adulterio, stupro, raptu, naturæque adversis libidinibus? Temperantiam sine commessationibus, compotationibus, ac ejusmodi flagitiis? Pietatem porro sine atheismo, idololatria, superstitione? Non equidem negaverim, virtutes hujuscemodi eo inter nos haberi & præcellentiores & commendabiliores,

res,

res, quo majoribus, & pestilentioribus vitiis impetuntur. Sed id disceptatur, locum ne haberent ullum, si vitia omnia penitus disterminarentur? Hoc ego neminem dicere audere certus sum: alioquin cur omnes Deum enixe quotidieque precamur, non solum ut vitia, flammasque vitiorum extinguat, sed ut fomitem, stirpemque radicitus revellat? Nam si nullæ futuræ sunt sine vitiis virtutes, id cum oramus, ut virtutes extirpet oramus. Possunt igitur & morales virtutes regnare sine vitiis, regnantque (nam id docet Christiana philosophia) in beatarum mentium civitate. Quare hæc sententia huic controversiæ dissolvendæ, ut mihi quidem videtur, idonea non est.

At enim, quæ esse potest virtus præclara sine ullo certamine cum vitio? Ecquodnam ejus erit præmium, qui non ullo labore, sed natura ipsa bonus est & sapiens? Id ego quoque sentio, ajoque: nec tamen ut pervincant vitia necessarium habeo. Tentent igitur, alliciant; in aciem veniant, pugnam inferant; bellent omni modo. Id satis est, quo sua virtuti & natura & laus constet; eoque erit magis inclyta, quo magnis præliis invicta & indomita perstat. Sed quid adtinet eam pervinci, fugari, debellarique? Egregiam vero laudem! Ipsi, qui istam sententiam defendendam suscepere, magnis eos laudibus extollunt, ac jure recteque, qui vitiis tentati, ea exsuperarunt, domuerunt, fugarunt; quorum scatet divina historia. Quid igitur? minus divinæ cælestisque virtutis Joannem Baptistam habuisse dicemus, quam Davidem? Minus Joannem, quam Petrum? minus Jacobum, quam Paulum? Sed Paulum fortasse ipsum minus virtuosum fatebimur, quum spiritu carnis perculsus pugnavit vicitque, quam cum errore seductus Ecclesiam vastavit? Permittat igitur Deus, dicet aliquis, tentari homines allicique ad vitia: prohibeat tamen vinci & captos in triumphum trahi: exerceat; sed procumbere vetet. Quid huic respondeam? non esse plenam virtutem, nisi vitio concedat? Id cavebo. Non posse id efficere Deum? cur vero? metuit scilicet, ne libertati officiat? Id effugium superius occupatum est, pugnatque cum christiana theologia. Regere nequit, quos procreavit finitos? Nihil magis absurdum. Ergo cur permittat, aliam causam rationemque quæramus, si nodum dissolvere volumus.

Sed enim: quid istuc tentari a vitiis allicique differt

fert a vitio? An sunt aliud hujusmodi pellaciæ, quam prima vitiorum germina & quasi ovula? Sunt igitur vitia; licet nondum adulta. Itaque aut has illecebras penitus extirpet Deus oportet, aut sinat esse vitia, si virtutes esse vult. Quæ non probat Aristoteles, qui omnes affectus homini esse non modo utiles, sed perneceſſarios, disputat in Ethnicis: nihil magnum, virile, generosum fieri sine ira, sed lentescere homines, esseque & pigros, & ignaros. Itaque ingenii cotem vocant Peripatetici. Nec sine cupiditate gloriæ aut æmulatione præclarum quicquam exsistere. Quare Themistocles, cur somnum noctu capere non posset quærentibus, respondebat, *Miltiadis tropæis se e somno suscitari*. Metum vero si qui sustulisset, omnem vitæ societatem securitatemque sublatam fore; quæ tum esse potest aliqua, si leges, magistratus, paupertatem, ignominiam, dolorem, mortem timeamus. Jam vero & ægritudinem, & misericordiam nemo tollet, quin omnem nobis & internum scelerum vindicem adimat, & siccis oculis aliorum calamitates spectare, tamquam in pictura, cogat. Hæc resecanda docent, si modum prætergrediantur: evelli penitus dicunt nec posse, nec opus esse. Sed Peripateticos Stoici, sapientes (videlicet qui iram exsecrantur) magna & vociferatione atque excandescentia refellunt, hæcque illicia inter morbos rejiciunt. At superbe nimis, mendaciterque; velut qui ardentibus ipsi animis ceteros mortales lateres esse crudos imperiose jubent. Quæ enim est natura animalis, quæ talia incitamenta omnino adspernetur tamquam aliena? At at, Senator Romanus suppetias fert (a). Mittamus, inquit, *illa ex Rhetorum pompa, ardores animorum, cotesque virtutum. An vero fortis, nisi stomachari cœpit, non potest fortis esse?* Quasi vero hoc *stomachari* non e Rhetorum officinis sit, sed *prudenter acuteque differentis*. Meminisset, extrema in vitiis haberi a Peripateticis. Sed hæc levia. Illud non intelligit, neminem fortiter agere, sine quadam tensione irritationeque nervorum: hanc vero ab ira effici. Itaque ne rupem quidem, aut vetus robur excidat aliquis fortiter, nisi quodammodo irascatur. Tendit quoque nervos musculosque subtile fluidum, quod cupiditas, aut spes, aut æmulatio rarefacit impellitque. Hoc densat cohibetque ægritudo, efficit-

(a) *Tusc. disp.* IV. 21.

efficitque ut aut nobis temperare velimus, aut aliis succurrere. Postremo frangit vires metus, quo sanguis a minimis in grandia vasa defugit: ita minus nobis confidentes sumus, eoque abstinentiores. Hæc sola abstracta nudaque ratio, nisi hisce adjuta instrumentis, tam faciet, quam sine manu percutiet, aut audiet quicquam sine aure. Quum igitur in animantibus omnibus affectus sint animæ instrumenta, hæc sine illis numquam perficiet. Ne morbi sint, virgulamque excedant, conari, inquiunt illi, debemus: at revulsis, quî a plantis, nisi sola ratione, distamus? Non vident Stoici se hominem, quem emendare suscipiunt, e tellure extirpare; magni vero sæpe ac præclari hominum magistri philosophi! Quam illa igitur mendax gloriatio, *hunc errorem, quasi radicem malorum omnium, stirpitus philosophia se extracturam pollicetur?* (*a*) Utique, si naturam refingat.

Sed ecce: ægritudinem Romanus Consul nullo negotio sanare nos docet. *Verumtamen*, inquit, *hæc est* CERTA *& propria sanatio, si doceas, ipsas perturbationes* PER SE ESSE VITIOSAS, *nec habere quicquam aut* NATURALE, *aut* NECESSARIUM: *ut ipsam ægritudinem leniri videmus, cum objicimus mœrentibus* IMBECILLITATEM ANIMI EFFŒMINATI. Nimirum non potuit paucioribus verbis plura ac graviora absurda dicere. *Hæc est certa sanatio:* quasi alicubi terrarum nascantur ejusmodi homines, in quibus ratio sola, abstracta, nullisque affectibus nec humanis, nec divinis armata, perturbationem ullam ipsa per se compescere possit. Adeo Romanus philosophus se naturamque suam dissimulabat? *Nec habere quicquam naturale;* imo nihil habent, quod non sit naturale, quod videlicet e natura ipsa animali non erumpat; citiusque feceris hominem lapidem, quam ei naturam affectuum patientem, ipsamque per se irritabilem auferas. *Aut necessarium*. Audiat igitur Peripateticos: audiat Platonem; qui nihil magni umquam ac præclari geri ab homine docent sine enthusiasmo. Hominum legisset historiam, ac Romanæ in primis Reipublicæ, Didicisset nihil in illa gestum nec fortiter, nec clementer sine magnis animi motibus. *Cum objicimus mœrentibus &c.* Quî igitur non vidit mœrorem metu infamiæ coerceri? affectum scilicet affectu, minorem majori. Sed ita nempe decla-

(a) *Disp. Tusc.* IV. 38.

mabant Stoici, logici acutissimi quidem; sed Sophistæ tamen (1). Illa vero incredibilis absurditas, ne tum quidem animi commotiones bonas esse ac laudandas, cum ab appetitu virtutis concitantur: *etiam*, inquit, *si virtutis ipsius vehementior appetitus sit, eadem sit omnibus ad deterrendum adhibenda oratio*. Quid igitur is tantopere gloriæ cupidus fuit, ut pro reculis triumphum appetierit? Quid toties suis in orationibus ad virtutis cupiditatem aut senatum, aut populum concitavit? *Odi hominem philosopha sententia, ignava opera*. Quamquam ridet nos homo vafer. Nam cum eodem libro quarto cap. 29. suum de Consolatione librum memorasset, satis indicavit, se declamare, non docere, ac rerum, ut ille sentiebat, naturam pandere. *Etsi ægritudinis*, inquit, *sedatio & hesterna disputatione explicata est, & in consolationis libro, quem in medio* (NON ENIM SAPIENTES ERAMUS) *mærore & dolore conscripsimus*. Scilicet postea Chrysippi, puto, aut Panætii beneficio, sapiens evasit? Enim vero sero sapiunt & Phryges!

Stoicorum dogma, virtutem tantum esse bonum, solum vitium malum; vitam beatam in sola virtute positam.

POtuit igitur esse virtus illiciente quidem appetitu, sed ratione, ac imperio mentis cohibito, velut in primis mortalibus, quum integra adhuc libertate uterentur. Quod si verum est, quid attinuit regnare vitia? Dicet hic forte aliquis, nihil esse bonum, nisi solam virtutem; nihil malum, nisi solum vitium. Quumque beata vita nequeat esse nisi *in bonis, nullo adjuncto malo* (a); in sola confici virtute; miseriam in vitiis. Quæ si a nobis sunt utraque libero mentis usu, vel abusu; iisque parantur instrumentis, quibus a Deo instructi armatique in hanc vitam primum venimus; nobis attribuamus, nisi simus beati. Ad virtutem, natura ipsa, ac propterea Dei voluntate, ex qua est natura, incitamur, repellimurque a vitiis: nam

---

(a) *Cic. disput. Tusc.* v. 10.

(1) Bolingbroke philosophical Works volume v. pag. 37. *The Stoics were great logicians, and pitiful reasoners. Their whole philosophy was little more than a perpetual play with words.*

nam ſtatim ac nati ſumus, felicitatis ſumus appetentes: virtutis ergo eſſe debemus, a qua ſejuncta eſſe nequit felicitas; vitiorum inimici, quæ creant miſeriam. Quare ſi vitia ſectamur, eoque ſumus miſeri, præter naturam eſt, prætérque Dei voluntatem. Quid igitur adtinet tam breviter definitam litem in infinitum protrahere?

Stoicus hæc diſſerit theologus, an chriſtianus? Ab illo primum quæro, quo in loco habeatur turba iſthæc malorum, *paupertas*, *ignobilitas*, *humilitas*, *ſolitudo*, *amiſſio ſuorum*, *graves dolores corporis*, *perdita valetudo*, *debilitas*, *cæcitas*, *interitus patriæ*, *exſilium*, *ſervitus denique* (a). *In aſperis*, inquit, *naturæ moleſtis*. At in his aſperis, naturæque moleſtis poteſt eſſe vir ſapiens, omnique virtutum cumulo præditus. Cum vero plena beatitudo ab iſtis quoque aſperis moleſtiſque longe ſit; erit quis ſapiens, omnique virtute cumulatus, nec tamen plene beatus. Non ergo ſola virtute plena beatitudo conficitur, tametſi illa magna ſit ac ſola ad beatitudinem via. Quo tota ſuperior argumentatio concidit.

Sed vero qui ita diſputant, oculos habeant a tellure averſos oportet. Hæc Stoicorum virtus nullum naneiſcitur locum niſi in ſapiente: ſoli igitur ſapientes beati (b): nemo autem cum naſcitur ſapiens; quin ne puer quidem, atque adoleſcens: longo enim itinere, ut illi ajunt (1), ad ſapientiam, ac ſero pervenitur; nulli igitur nec infantes, nec pueri, nec adoleſcentes beati. Sed viri ipſi, provectæque ætatis homines non niſi ſcholis, & quidem Stoicis, ſapientes eſſe poſſunt: id illi tradunt; quas ſi conſtat cum civitatibus artibuſque cœpiſſe; nulli mortales in naturæ ſtatu ſapientes; ne beati quidem igitur. Stulti ergo omnes natura: adeoque miſeri. Eſt autem natura vis Dei præpotentis res effingens moderanſque; Dei ergo voluntate ſumus miſeri. Quo laqueo ut illi ſe extricent, aut doceant oportet, nos, antequam in hac tellure naſcamur, extitiſſe alicubi, ibique peccaſſe, ut hanc demereremur miſeriam; quod illi Pythagoricum Platonicumque dogma reſpuunt: aut nec providentem,

(a) *Cic. ibidem.*

(b) *Vide Tull. in Paradoxis.*

(1) Vide Lucianum in *Nigrinum*, Quod nequeamus bene vivo, & alibi ſæpe. Item *Plutar.* vere ex Stoicorum dogmatibus.

nec justum esse Deum, qui in insontes animadvertat: quod & impium est, & enixo studio aversantur, repelluntque: aut primorum parentum vitio hæc accidisse. Hæc postremum si dicunt, in christiana transeunt castra, extraque sunt hujuscemodi philosophiæ cancellos.

Jam autem ad illos infantes puerosque redeamus. Eos non posse esse beatos ex Stoicorum doctrina vidimus. Sed fortassis est in eorum natura aliquid, ex quo liceat conjectare ad beatitudinem esse genitos. Nihil minus. Nemo esse potest beatus, nisi qui habeat, quo sit, ac bene sit; quo utroque illi destituuntur. Nam nec esse per se ipsi possunt; omnique parentum præsidio destituti brevi emoriantur necesse est; & bene nec corpore nec animo esse aut sciunt, aut queunt: nam & insçientes imperitique omnium sunt; & magna est ac miseranda corpusculorum mollities & teneritas. Ne si velint igitur quidem sapientes esse possunt & beati. Fac vero nunc omni destituantur educatione, civilique societate; ecquis ambigat, quin tota vita stulti sint & miseri? Nec vero præter naturam id accidit, sed natura potius architectante molienteque. Nam quum doloris voluptatisque naturalia instrumenta sint nervi, nervosæque fibræ; hæ sunt in illis admodum delicatæ, irritabiles, sensiferæ, ut, magnis doloribus perstringantur statim ac nati sunt, necesse sit. Memoriæ vero, intelligentiæ, rationis, sapientiæ organum est cerebrum; quod cum sit in illis fluxum, imbecilleque, omnibusque rerum notitiis vacuum, nequeunt non inscientes esse, imperiti, & omnium inexperti. Ita nec natura beati ea in ætatula sunt, aut esse possunt, nec ejus ætatis beatitati destinati, sed longissimæ atque remotissimæ.

Non miseri sunt, inquiunt, sed minus beati. Quasi vero beatus dici is possit, prædicarique, cui aliquid ad plenam beatitatem desit. Nam nisi plene sint, est in iis aliquid miseriæ. Unde vero? Nam ea de re disceptamus cum hisce philosophis. Quamquam ego plura, quæ sunt in vulgi sermone usitata, longe abesse debere censeo a philosophia. Ita sunt illæ declinationes vocabulorum, *certum*, *certius*, *certissimum*: *verum*, *verius*, *verissimum*: *simplex*, *simplicius*, *simplicissimum*: *beatum*, *beatius beatissimum*. Siquidem nihil, quod τοιοτητ@, *qualitatis*, gradus non excipit, hunc in modum inflecti, declinarique,

rique, nisi inscitissime, potest. Nam certum non est, nec verum, quo est aliud certius veriusque: nec simplex, quo est aliud simplicius: ita nec beatum, quo aliud est beatius. Non habent hæc inter homines declinationes, nisi apud stultos.

Quo in loco venit in mentem egregiæ illius sapientum doctrinæ, magnam humanorum errorum partem, aut inanibus hujuscemodi vocabulis verbisque debere acceptam referri; aut inscitis, imperitis, incertis, ambiguisque: aut vafre; libidinoseque, ac nefarie flexis, quibus tamen quod aures occalluere jampridem consentaneas virtutes existimamus. Quæ nisi de foro in scholas immigrassent, velut de plebe in senatum; aut postquam sese eo intrusere, philosophorum senatusconsulto proscribi velut hostes publici, ac ejici possent; minus haberet veritas honestasque, quocum depugnaret continenter. Illis enim fit, ut aut inani metu opprimamur interdum, aut futili lætitia exsultemus: aut vitia & scelera honestis vocibus velemus defendamusque. Ita dolus sapientia audit æstimaturque: furtum industria: crudelitas justitia: imbecillitas misericordia: stultitia probitas: metus prudentia: audacia fortitudo; ac sexcenta id genus alia. *Sed querelæ*, ut ait ille (*a*), *ne tum quidem gratæ, quum forsitan & necessariæ sunt*.

Quod si illam sententiam non ethnicus, sed noster disserit theologus, haud ille accommodate constanterque disputat; quippe cui divino dogmate constat, hanc miseriam, qua conflictamur, non prævertere, sed sequi peccata, nec procreatos nos esse miseros, sed vitio nostro factos: quique propterea si ad hanc se disputationem accingit, non ejus rei reddenda est ab illo ratio, qui rei plectamur, quod vacat quæstione, sed qui, ut rei essemus, meruerimus. Idem ne negare quidem potest corporis cruciatus animique angores in malis esse; nam & hæc propter peccata esse divini vates docent; & si mala pœnæque non sunt, aut ne vitia quidem sunt ulla, sceleraque: aut si sunt, impunita sunt; quorum neutrum est, quod & christiana dogmata non pervertat, & non communem hominum rationem sensumque elidat. Itaque is aperte fatebitur, &

 nihil

(a) *Liv. lib. 1. proœmio.*

nihil Deum a creatis mentibus exposcere, nisi virtutem: & ut eam adipisci possent tuerique satis ab initio instruxisse: & odisse vitium ac peccata; & severe animadvertere in pravos statuisse. Sed & hoc quoque adstruet, defendetque, vitia pro virtute, scelera pro officiis invasisse, ac regnasse, non aut volente, aut præcipiente numine, quod & pugnans est, & horrificum; sed dæmonum, hominumque stulto, protervo, audaci rationis & arbitrii abusu. Ejus autem quæstionis solvendæ expediendæque, qui id, inspectante Deo, providenteque, ferri ac permitti potuerit, alia ei ratio pervestiganda, ut ego quidem puto, ac expromenda erit. Certe Augustinus, quo nemo in hæc penitius acutiusque inquisivit, hac defensione uti non est ausus: sed neque Prosper, neque Fulgentius, neque Thomas Aquinas, neque eorum ullus, qui intellexere, esse posse quædam Dei auxilia suapte natura virtutis efficientia.

Vitiane in mundo plura sint & majora, an virtutes. Ea quæstio copiose & contente disceptata. Vitiorum ac virtutum mensura sæpe falsæ. Quæ vera.

ILla nunc acies, si hæc castra tueri velimus, pervadenda ac perrumpenda nobis est, qui fit, quod, cum ideo Deus permittat vitia, ut virtus regnet, vitia potius, quam virtus, dominentur (1)? Ut non fugari vitia, at oportuit saltem non regere, sibique æmulam virtutem mancipare. Sunt, ajunt, vitia in mundo, ut in tabulis signisque umbræ. Quid si tota pictura umbra sit? pulchrior elegantiorque ne erit etiam? Non puto. At nunc, ajunt, vitia multo plura & majora, sineque ulla comparatione, esse virtutibus, sacri juxta profanique scriptores queruntur. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*: &, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Eodem spectat illud Juvenalis, *probitas laudatur, & alget*. Omnes omnium populorum oratores, virique omnes boni, & cordati, unum hoc plenis buccis crepant. Quin senescere mundum, & in deterius perpetuo labi, vetus cantiuncula est. Sint hæc exornata aliquantum: at illud, inquiunt, constat, pietatem, justitiam, castimoniam, humanitatem, parvis tuguriolis habitare: impie-

(1) Nimis impudenter hanc causam egit sæpe Bælius.

pietatem, injustitiam, libidinem; inhumanitatem, feritatemque; caliditatem, fraudem, avaritiam, luxuriam, superbas occupare ædes, ac longe lateque pervagari. Ajunt Geographi, quique curiosius gentes inviserunt, esse in tellure incolas 1000 000 000. Eorum sunt in Europa 100 000 000, decima scilicet pars. Hæc Christiani. Huic particulæ pauci alii hic illic sparsi accedunt. Ita vix septimam hominum partem efficimus; sex reliquæ idololatræ sunt, aut Muhammedani, aut impii. Sed quanta nostri pars ita morati sunt, ut profitentur? Pietas igitur, quæ prima virtus est, ac sine qua nulla est alia vera, quam anguste moratur? Jam vero leges populorum, tribunalia, frequentia judicia, triremes, carceres, furcæ, cruces, gladii, fustigationes, exilia, deportationes, infamiæ, satis ostendunt quot mortalium sancte justitiam colant: quæ si regnaret, cui hæc usui essent? Quid vero bella memorem? quæ si quis & pia semper, & justa fateatur, iniquissimus, ac truculentissimus sit necesse est. Porro fidem in amplis ditibusque urbibus, luxuque diffluentibus velimus, inquiunt, nobis ab oculatissimo monstrari; tum castimoniam, temperantiam, liberalitatem. Ergastula, opinor, squalidosque vicos, deserta, lucos, montes frequentant.

Ego ut nolim vitia tueri, ita probare non possum eos qui, quasi si id pensi sibi datum putent, nimis acerbe, atque injuriose in immensum augent, aut ornatiora superbaque præquam oportet in scenam producunt; quippe qui & desperatione virtutis adipiscendæ ad scelera invitant; & omnem humanam societatem suspicionis veneno inficiunt, efficiuntque, ut nemo ulli se credere audeat: quo quid est miserius? Ac vero qui ita declamant, si leviuscula quoque vitia, ac nævos in censum referunt, melancholicis similes sunt, qui nullum morbum, quantumvis levem, non lethalem habent. Atque utinam non imaginatione sæpius, quam re. Si omnia facinoribus & sceleribus compleri sibi persuaserunt: si homines non jam homines, ac ne belluas quidem, sed truculentissimas feras, insidiatoresque perpetuo esse alios aliis; credam ego illos non in tellure natos educatosque, nec in ea versari, cum talia scribunt, aut vociferantur, sed in eo potius mundo, quem ipsi sibi de suo jecinore commoliti sunt. Qua in re sic sentio, utrosque peccare, & qui justo

æquius bonos nos sapientesque faciunt, quasique impunitatem peccandi ostendunt; & qui nimis pravos ac facinorosos, quo a virtute, velut cum natura humana minus consentiente, desperatione nimirum attingendæ, revocant (1). Quod ut ostendam, quæ sint in vitiis putanda, edisseram breviter.

Nihil igitur est tam scriptis sapientum vulgatum, nihil quod magis in ore quoque vulgi, & frequentius sit, quam exulare e mundo virtutem: non vitia solum, sed facinora ac scelera late vagari dominarique. Sed & si qui virtutem colunt, eos aut ipsos per se esse miseros, aut ab iis opprimi, qui ei bellum indixere. Hæc poetæ Epici, hæc Tragici magnis ejulatibus complorant: hæc salse deridens Comici: hæc philosophorum boant scholæ. Ea de re & forum resonat, & plateæ, & compita. Ea postremo immortalis est omnium temporum & locorum disceptandi, mussitandi, conviciandi materies. Quodque vix credi potest, estque interea certissimum, nulla in re magis totum hominum genus amice consentit, conspiratque, quam in hac, ut se naturamque suam dehonestet.

Sed illud mirabilius incredibiliusque, quod quum omnes ordines cœtusque hominum vitia & accusent quotidie, & iis mœsti illacrymentur; si tamen tollenda funditus sint, atque eradicanda, nullum ferme reperias, qui non sit vetare paratus, & pro virili tanto se conatui opponere. Adeo scilicet cum vitiis & utilitates quædam privatorum cœtuum crevere, tamque arcte vinctæ, atque illigatæ sunt, ut si quis averruncare minitetur, magna hominum pars, velut ad communem perniciem expavescat necesse est. Quid enim medicos, atque chirurgos, & pharma-

(1) Efficere illud voluisse videntur *Shaftesbury* in *Characteristicks*, & *Helvetius* in *L'Esprit*: hoc *Mandeville* in *the fable of the Bees*, &, *A search into the nature of society* atque *M. L'Esprit* in *fausseté des virtus humains*. Mandeville ipse affirmat, posteriori illo opusculo initio ferme, *suum atque Shaftesburii systemata non posse magis esse alterum alteri contrarium, quam sunt. The*, inquit, *attentive Reader, who perused the foregoing part of this Book, will soon percive that two systems cannot be more opposite, than his Lordship's and mine*: .i. *attentus ac diligens lector si vel solam hujus libri legerit præfationem, intelliget profecto, numquam systema systemati magis oppositum adversumque fuisse, quam hæc, Shaftesburii, ac meum, sunt.*

macopolas acturos credamus, si sciant adesse, qui brevi faciat, ut nulli sint amplius morbi? Quid causidicos, si quis illis eradicare jam lites omnes advenisse fidem faciat? Quid jam vero tot luxus administri, artificesque voluptatum, si legem iterum Oppiam aut sumptuariam aliam promulgari sancirique paratum audiant? Si gulæ indici bellum? si ad xerophagiam nos adactum iri sentiant, victumque Pythagoricum? Sed ne lenones quidem, lenæque tacituræ sint, si securim lupanaribus accedere viderint. Ipsi vero litterarum magistri, ac, si diis placet, sapientiæ, cælum terramque commovere parati sumus, si quis minitetur, sublatum iri ignorantiam erroremque. Ilicet ventri timemus. Ego ne Stoicos quidem, adeo adversus peccata omnia severi supercilii, passuros opinor, vitia abradicari. Quod igitur est hoc miraculum, ut adversus vitia atque peccata declamemus omnes, iidemque virtutem pertimescamus? Oh hominum cerebella!

Sed eo redeamus, unde discessimus. Sunt in mundo vitia, peccata, scelera? Sunt enimvero. Majora ne & plura sunt virtutibus? Ajunt nimirum. Me quod adtinet, nolim lector putet vitiorum appologiam scribere, aut hanc, quam hæreditatem accepimus, naturæ humanæ labem, cujusque ipsi luculentissimi nobis testes sumus, ulla in parte elevare: de facto discepto. Nullam, ajunt, esse in tellure virtutem: aut si est ulla, vitiis sceleribusque ita obtegi, ut nusquam appareat. Ego dicam audentius. Quominus huic sententiæ subscribam vix a me impetrare possum existimoque duabus causis fieri, nec veris, nec philosopho dignis, cur tanta cum acerbitate nostro de genere differamus. Nam sunt qui virtutem hominis naturæ minime congruentem, supraque multo, quam positi locatique sumus, constitutam animo concepere; quam quum frustra inter homines requirerent, nihil esse in iis virtutis, velut æstro perciti, exclamarunt. *Virtus*, inquit Cicero (a) *si modo est ulla ...... omnia, quæ cadere in hominem possunt, subter se habet; eaque despiciens, casus contemnit humanos, culpaque omni carens, præter se ipsam, nihil censet ad se pertinere.* Est quisquam, qui miretur hujusmodi virtutem, aut nullam esse, aut rarissimam? Nec tamen si ea careamus, continuo pravi, facino-

(a) *Tusc.* V. I.

cinorôsi, sceleſti ſumus : eſt enim aliquid medii , virtus humano ingenio conſentiens. Quid iſtuc monſtri eſt eam expetere homini virtutem , quam hominis natura penitus reſpuat? Quid eam, quam ſi adepti fuerimus, deſerta ſit hominibus tellus neceſſe ſit? Non ergo nec famem ſentiet vir probus, nec ſiti laborabit? Nec podagra dolebit, nec calculo, nec lateris dolore? Non is ægreſcet acerbo filii interitu, amici morte, ruina patriæ? Quid? nec amore quidem ullo tangetur, nec odio? nec ſpem, nec metum perſentiſcet? Nec iraſcetur umquam, nec commiſerabitur, illacrimabiturque? Ego valere hujuſcemodi virtutem, virtutiſque ſtudioſum jubeo, qui ſibi nihili eſt; nec cavere, ſtudereque poteſt, nec liberis cognatiſque, nec amicis, nec patriæ: qui nec parens eſſe ſciat, nec amicus, nec civis, non homo denique. De ejuſmodi virtute nihil contendo. Hominem ego mihi dari volo: ex animalium genere, ſed compotem tamen rationis cæleſtiſque animi. Præclare apud Gellium Herodes Atticus diſputat (a), *nullum umquam hominem, qui ſecundum naturam ſentiret & ſaperet, affectionibus iſtis animi, quas πάθη appellabat, ægritudinis, cupiditatis, timoris, iræ, voluptatis, carere & vacare totis poſſe, & omnino non dolere: atque ſi poſſet etiam obniti, ut totis careret, non ex re id melius; quoniam langueret animus & torperet, affectionum quarumdam adminiculis, ut neceſſario plurimum imperio, privatus. Dicebat enim ſenſus iſtos, motuſque animi, qui quum immoderatiores ſunt, vitia fiunt, innexos, implicatoſque eſſe vigoribus quibuſdam mentium, & alacritatibus; ac propterea, ſi omnino omnes eos imperitius convellamus, periculum eſſe, ne eis adhærentes, bona quoque & utiles animi indoles amittamus. Moderandos eſſe igitur, & ſcite conſiderateque purgandos cenſebat, ut ea tantum, quæ aliena ſunt, contraque naturam videntur, & cum pernicie agnata ſunt, detrahantur.* Moderetur ergo affectus ſapiens, virtutiſque ſtudioſus: ſed ſentiat tamen volo. Illa igitur præclariora: *Sapientis eſt enim proprium, nihil, quod pœnitere poſſit, facere, nihil invitum: ſplendide, conſtanter, graviter, honeſte omnia: nihil ita expectare, quaſi certo futurum: nihil cum acciderit admirari, ut inopinatum ac novum accidiſſe videatur: omnia ad ſuum arbitrium referre: ſuis ſtare judiciis.* Quamquam

(a) *Lib.* XIX. 12. *Vide S. Th.* 1. 2. *q.* 25.

quam haud scio, utrum hæc cum naturæ humanæ infirmitate satis consentiat sapientia.

Sed alii e contrario sunt, qui de virtute non ex naturæ regula, immutabilique, quæque una eademque ubique terrarum esse oporteat; sed aut ex proprii animi colore, aut ex privatis opinionibus, aut gentis consuetudine, quacum vivunt, existimant: quæ quum tam sint varia ac diversa, quam hominum vultus, climata, gentes, respublicæ, artes, disciplinæ; fit ut alteri sit vitium, quod est uni virtus, reciproceque sint omnes omnibus improbi. Sed & falsa quoque est virtutis mensura, invidentia atque superbia plerorumque generis humani censorum, qui gravate aliis tribuunt, quorum ipsi vacant. Mirum ne igitur est, voces atque infamias multiplicari? Nam poetas nihil moror, qui ut pretium admirationemque apud multitudinem carminibus conciliarent, paradoxa ferme sectanda judicarunt, in utraque re falsi, aut nimii, seu laudent, seu vituperent.

Hæc igitur me cogunt quo tristibus, generisque sui osoribus respondeam, ut ex naturæ formulis totam rem dijudicem. Ecquam igitur virtutem dicimus? Nimirum sancte incorrupteque sua cuilibet jura tribuere: hanc genericam ac universalem justitiam vocant nostri: ego virtutem. Quæ si propter Deum summum naturæ humanæ bonum, atque ex Deo, colatur, eique sacra fit, plenam divinamque appellabimus: si præsentis vitæ felicitatem, sed ex Dei tamen imperio, non quidem vitium, quod nimis quidam acerbe judicant, sed naturalem dicemus. Sunt igitur jura Dei: sunt cujusque in sese: sunt omnium adversos omnes: sunt personarum; sunt familiarum: sunt ordinum: sunt civitatum ac imperiorum. Eorum, quæ sunt hominum, alia nobiscum nascuntur: alia acquiruntur, transferunturque. Sunt quæ congenita dicere possimus, quæque vi tueri, poscereque licet: sunt quæ humanitas, naturæque similitudo & æqualitas exigit. Hæc qui præstat, eum, si quidem ex Deo, ac propter Deum, plenam virtutem colere dico: si ex universi lege, sed naturalis beatitatis causa, minus quidem plenam, perfectamque, sed virtutem tamen humanam: qui violat, improbus est, ac pro violati juris magnitudine & gravitate, plus, minus, pravus, scelestusque. Prima igitur justi probique hominis virtus est Deum nosse, eumque ei habere honorem, qui cum ejus natura congruat. Mentem fateri pu-

ri puram, æternam, omnipotentem, optimam: mundi esse procreatricem ac moderatricem providentissimam. In his dupliciter peccare possumus, aut ignorantia, animique quadam stupiditate, & αγνοια, ingenii, ut ita dicam, ruditate: aut perverso sceleratoque consilio, transversaque mente. Complures esse, qui primum peccant, fuisseque olim multo plures vacat dubio. Sed quis hujuscemodi mortales non commiseretur potius, velut imperitos, rerumque divinarum ignaros, aut prave superstitioseque doctos, quam in facinorosis sceleratisque habeat? Quin ne improbos quidem existimaverim appellandos, quamvis non sine peccatis vitiisque. Quomodo si quis in Geometria aut Jure Civili erret, hallucineturque inscite, non eum in Geometras Jurisconsultosque esse injuriosum impudentemque existimandum est, sed rudem potius ac *indisciplinatum* & indocilem. Sunt etiam in cultis gentibus pluseuli pagani agrestesque homines, ac silvicolæ, quos si de supremo reipublicæ imperio ac imperante roges, juribusque majestatis, cui parent, absurda & perridicula respondeant: nec vero eos, puto, magistratus statim sine alio crimine velut rebelles imperiique desertores capite damnabit; nisi si meliora docti respuant desciscantque. At hos, qui consulto animo aversaque mente divinitatis evadunt contemtores, ejusque suprema in mortales totumque mundum jura susque deque habent, & scelestos, & facinorosus, & impios habebimus. Horum tamen si aliquos hic illic latitantes quis indicet, haud abnuam: si integras gentes commonstrare, parat, aut rerum humanarum penitus est insciens, aut cavillatur, conviciaturque.

Sed ad homines inter sese agentes accedamus: nam & sibi ipsi plures sunt iniqui: & aliis ab aliis maximas injurias fieri perclamant: eoque omnia vitiis scatere, opprimique. Illud primum videamus, injurii ipsi ne sibi sint homines, ac quousque. Ac sunt profecto qui se transfigunt: qui laqueo suspendunt: qui veneno: præcipitio, inedia enecant. Quotus tamen mortalium quisque? Quid adtinet hæc mentiendo exaggerare? Nam ego in populosa supra quadringenta millia capitum urbe triginta intra annos vix viginti numeraverim, qui vitam, ut ait ille, perosi, animas projecerunt; etsi multos noverim, quibus prosanus interdum domo edixisset: *portus præsto est æ-*

ternum nihil sentienti receptaculum (a). Sed enim vero plures multo sunt, qui crapula, effræni venere, improbo labore sese perimunt. Quota tamen totius humani generis pars? Mihi hic callidum arithemeticum, ac perdiligentem dari velim, qui minute hæc computet. Crapulam jactari audio; quæ nimirum in maxima mortalium parte vocabulum est novum, ac, ut ajunt Grammatici, *insignificativum*; quippe quibus aut materies deest, aut ars. Quam tu crapulam in iis memoras, qui vivunt in dies, ac vix vi magnaque ærumna? Incolat hæc procerum divitumque ædes: pauperum tabernas situ squalentes quî attinget? At illi vix sunt trigesima generi humani pars: nec vero ubilibet, sed in excultis populis. Nam vitæ luxum quis multitudini terendæ telluri, armentis cogendis, verrendo æquori, mechanicis denique artibus exercendis traditæ addictæque exprobret? Vix risum compesco, quum recordor, rusticantibus decem ante annis nobis in Massæ Æquensis horrentibus alpibus, extitisse sacrum oratorem, qui ad paucas agrestes femellas, incomptas, laceras, illuvie fœdas, omniumque vitæ commoditatum inscientes, sat longam, elaboratamque orationem adversus luxum, quasi in magna ac magnifica urbe perorans, habuerit inculcaveritque, stupentibus illis, atque ad singula pene verba mirabundis sese rogitantibus, quid monstri essent, quæ audirent. At agrestem hanc ruvidamque vitam bona globi hujus pars transigunt. Feruntur Anacharsis Scythæ his verbis litteræ (b).

Anacharsis Hannoni S.

Mihi amictus est Scythicum tegimen: calciamentum solorum callum: cubile terra: pulpamentum fames: lacte, caseo, carne vescor. Quare ut ad quietum me licet venias. Munera autem ista (divitias), *quibus es delectatus, vel civibus tuis, vel Dis immortalibus dona*. Eadem hodie Tartarorum est vita (c). Est, inquit Cicero, præclara epistola Platonis ad Dionis propinquos, in qua scriptum est his fere verbis. *Quo cum venissem, vita illa, beata quæ ferebatus, plena Italicarum, Syracusiarumque mensarum, nullo modo mihi placuit: bis in die saturum fieri, nec unquam*

(a) *Cic. disp. Tusc.* V. 40.

(b) *Cic. Disp. Tusc. v.* 32. *Græce legitur inter ep. Græce editas Genevæ pag.* 349.

(c) *Vide Modern History Anglorum.*

unquam pernoctare solum, ceteraque quæ comitantur huic vitæ, in qua sapiens nemo efficitur umquam, moderatus vero multo minus. Quæ enim natura tam mirabiliter temperari potest (1)? Quæ sunt vera: sed paullo invidiose dicta. Quotus enim quisque Italorum Syracusiorumque tam & splendide vivebat, & basilice cœnabat? nec vero fas fuit paucorum vitia toti genti tribuere. Accidit superioribus sæculis, quum theologicæ iræ Septemtrionum gentium a nobis discidium fecere, ut Itali gulæ, ingluviei, ebrietatis illas accusarent: illæ nobis lupanaria, cinædicamque omnem impudicitiam objicerent. Qua in re utrique peccabant, qui paucorum vitia, non differendo, sed conviciando, traducerent in omnes. Sed & venus immodica otiosos beneque pastos corripiat, non refragor: pauperie emarcidos, aut labore absumptos non admodum solet lascivum hoc numen comitari insectarique. Labore si qui vitam breviant, modo ne aut avaritia, aut nimia cupiditate peccent, commiserari ego jubeo: in improbis quis, nisi improbissimus ipse habeat? Brevi: complures erunt, qui ignorantia aut imperitia sibi noceant, peccentque in sese ipsi: ex destinato, ac scientes videntesque, vix pauci. Illique semel, aut bis: nam sero & Phryges sapiunt. Itaque ex superioribus duobus capitibus haud ego magnam a vitiis litem virtuti indici satis certus sum: vincitque hæc illa multis partibus.

Illa jam superest seges malorum, quæ aliorum jura contingit ac labefactat; qua continentur injuriæ, contumeliæ, convicia, cavilli, calumniæ, infamiæ, injustitiæ, doli, circumventiones, damna, furta, rapinæ, homicidia, mutilationes, adulteria, raptus, bella, servitu-

(1) Cic. Disp. Tusc. v. 35. Sed quid illa sibi volunt postrema Ciceronianæ interpretationis verba, *quæ enim natura tam mirabiliter temperari potest*? Crediderim memoriter hunc locum descripsisse, ac Platonis sententiam, quæ est profecto pulcherrima, dum intercideret, adeo obscurasse, ut nihil ferme dixisse videatur. Platonis extrema illa verba sunt. *εκ γαρ τουτων των εθων ουτ' αν φρονιμος ουδεις ποτε γενεσθαι των υπο του ουρανου ανθρωπων εκ νεου επιτηδευων δυναιτο, ουθ' ουτως θαυμαστη φυσει κραθησεται*. Ficinus vertit: *Nemo enim omnium, qui sub cælo sunt, si in hujusmodi moribus ab adolescentia nutriatur quamvis natura & ingenio excellenti præditus, umquam prudens evadet*. An *το θαυμαστη φυσει κραθησεται*, lapsis memoria ceteris hoc *mirabiliter* progenuit? Certe Plato aliud aliterque scribit.

tutes, ceteraque crimina. Ad hæc, inhoſpitalitas, ingratus animus, inhumanitas, truculentia, invidentia. Hæc me acies terret, fateor; genuſque humanum perluſtrans, nullam iis partem carere video: adeo urbes, vicos, agros, domi, belliquе, invaſere. Meminerit interea, lector, me nec adeo eſſe rerum humanarum ineruditum, ut hæc ignorem: nec adeo effrictæ frontis, ut pernegem: nec id in me ſuſcepiſſe, ut a ſceleribus vitiiſque hominum genus defendam: ſed illud agere, primum exſulet eas ob res e tellure Themis? Exulent Charites, omniſque adeo humanitas? Tum, ſi incolunt adhuc alicubi, majora ne his & plura ſint vitia atque ſcelera? Ac nullam eſſe nec juſtitiam, nec humanitatem inter homines tam ego pertinaciter nego, quam certe ſcio, non poſſe ſine iis genus humanum ſubſiſtere. Itaque ea de re velut convicta ſupervacaneum exiſtimo diſputare. Illud habere diſceptationem poteſt aliquam, majora ne illa crimina ſint & plura, æqualia, an minora virtutibus. Videbitur pleriſque paradoxum: ſed dicam tamen, mihi longe videri minora, ſi non unam aut alteram urbem, aut gentem, ſed totam telluris civitatem, nullis circumdatam mœnibus, ad judicium, ut par eſt, vocemus. Cujus doctrinæ illa prima ratio eſt, quod ea fere omnia ſcelera quæ commemoravimus, cum ſocietate humana pugnant, eamque, qua clam, qua aperte, ſubruunt, ac pervertere, velut machinæ quædam, continenter pergunt. Si igitur major hominum pars in id tendant contenti arduique, quænam eſſe poteſt in tellure civitas? quodnam imperium. Quæ cum omnia jura negare aut intercipere paratis eſſe poteſt ſocietas? Alteram ipſa ſuppeditat hiſtoria, ac diuturna experientia; quæ ut docet neminem ſine vitio aliquo vivere: facinoroſorum tamen ſceleſtorum, trucum atque immanium copiam ſatis expedite, numerat. Sed & illud ego ajo, neminem inhumanum ferocemque eſſe, inhoſpitalem, immitem, invidumque, niſi qui aut laceſſitus prior ſit, aut timeat ſibi aliquid, aut ſemel fraudes expertus, ſibi caveat. Nam eſt hæc animi affectio aut ira, aut odium: utrumque autem injuriam aut factam, aut latere aliquam, aut imminere ſupponit. Si nulla ſit igitur ejuſcemodi cauſa qua ex re aut iraſcemur, aut oderimus? Poſſem id ex hiſtoria copioſe oſtendere: ſed ſatis clare ipſa indicat natura humana.

At enim: quiſque ſuapte natura ſibi, ac ſuæ utilitati

& felicitati conciliatur. Est enim homo animans natus sibi amando, ceteris propter se. Ita fit ut tum virtuti pareat, cum aliquid inde sibi emolumenti promittit: tum affectus injustos, inhumanosque comprimit, cum graviori premitur, sibique feliciori esse videtur cohibere, quam exserere. Cum hac igitur φιλαυτια, *sui amore*, quis potest esse ulli virtuti locus?

Illud primum his respondeo, non hic quæri quæ sint ad virtutem incitamenta, sed sit virtus inter homines ulla, necne? Quid autem vetat, & se amare, suamque felicitatem, & uti eo amore tamquam instrumento, atque calcari ad virtutem? Tum ajo, nullam virtutem nec esse, nec concipi in homine posse, sine φιλαυτια, *sui amore*, neminemque esse probum, neque justitiæ, & humanitatis studiosum, nisi qui sese amet, rite tamen & sapienter. Ac vero non modo christiana theologia, sed ipsa naturæ philosophia, totam virtutis vim, Dei & humani generis amore concluserunt. Est autem quisquam, qui ullum rei ullius amorem sentire possit, nisi sui sentiat? Igitur nostri præditi simus sensu aliquo, eoque vivido, nosque diligamus necesse est, quo alios amemus; ex quo purro amore virtus omnis exsistit. Quin tanto vehementior est in alios virtus, quanto præclarius sapientiusque nos amaverimus: nam qui se suaque probe norit, prospicienterque dilexerit, intelliget non posse sui a generis humani felicitatem sejungi; quo fiet, ut propensior sit in alios diligendos; juraque propterea cuilibet sua libenter, ac magna cum fiducia præstet. Sane ex omnibus hominibus nemo est vitiosior, sceclestiorque, quam ii, qui pecudum potius in morem sese amant, quam hominum, quique idcirco non sibi amici, sed infensissimi sunt hostes. Quare non omnis philautia, sed stulta, atque bruta, virtuti est inimica: iique virtutem omnem extirpant, qui apathiam hanc, atque naturæ stupiditatem, ingratiis licet, inducunt.

Sed enim, qui fit, ut nullus affectus, nisi validiori coerceatur? Id si est, quæ potest esse virtus? Quæ disputant, quasi si non animi arbitrium sed vis bruta affectus compescat, prohibeatque regnare, quod ne Stoici quidem dixerint (1). Atqui si hæc sunt vera, ut nul-

(1) Cic. Disp. Tusc. IV. 7. *Itaque eas* (animi perturbationes) *definiunt* (Stoici) *pressius; ut intelligatur non modo quam vitiosæ, sed etiam quam in nostra sint potestate*. Quare Chrisippus in *opi-*

nulla virtus, ita ne vitium quidem erit ullum. Qua igitur de re disceptatio est? Sed id nemo dicet, puto, nisi mendacissimus. Alexander Macedo *victi hostis uxorem facie inculta mulierem vetuit in conspectum suum deduci, ut eam ne oculis suis quidem contingeret*, ut Appion apud Gellium narrat (*a*): sed postquam scilicet semel inviserat, & exsuperanti forma repererat, ut Plutarchus testificatur (*b*). Metuebat, inquit aliquis, famæ, quam magis etiam, quam Statyram, amabat: itaque major minorem vicit affectus. Plane vero; neque enim id pugno: sed tamen id non sine arbitrio eoque libero; nam qui arbitrium rationem omnem respuat, aut adspernetur? Nemo quidquam arbitratur quin ratio præeat: quod nisi præit, non arbitrium est liberum, sed, ut in brutis, instinctus. Hanc igitur rationem si alter affectus suppeditat, ut illi potius parere e re nostra judicemus, minus ne idcirco liberi sumus? Quod si quis differat, nihil in his perturbationum moderationibus rationem arbitriumque hominis valere, sed, ut in lance, mechanicis ponderibus fieri omnia, cum eo neque ingenium est, neque otium, neque verba, quibus abutar.

Atque hic paucis Stoicorum dogma, quo plerique etiam nostrum inscitissime abutuntur, commemoremus. Ajunt, ex Stoicorum doctrina apathistam esse oportere sapientem, virtutisque sectatorem. Hoc, opinor, rumore magis vulgi quam testibus: aut si testibus, vocabulorum inscitia decepit. Stoicorum illa scilicet απαθεια negotium fecit. Sed est illis & ευπαθεια (*c*): bonis igitur affectibus vel sapientem subjici non inficiantur. Quæ ut intelligantur, scire interest, quid illi παθη dixerint. *Est igitur*, inquit Cicero (1), *Tom. V.* Z Zeno-

(a) *Lib.* VI. *cap.* 8.
(b) *In Alex.*
(c) *Suidas verbo* ευπαθεια.

nione magis *recente* εν δοξα προφατω, quam in iis, quæ inde efficiuntur, τα παθη. affectus positos contendit. Vide Galenum lib. IV. Dogm. Hipp. & Plat. cap. III.

(1) Disp. Tusc. IV. 6. Galenus lib. IV. de dogm. Hipp. & Platonis II. Laertius VII. 100. Andronicus Rhodius περι παθων pag. 523. παθος εστιν (ex doctrina Stoicorum) αλογος ψυχης κινησις. Laertius, atque hic idem Andronicus. ορμην πλεοναζουσαν, *impetum vehementiorem*, addunt.

Zenonis hæc definitio, ut perturbatio sit quod παθος *ille dicit, aversa a recta ratione, contra naturam, animi commotio. Quidam brevius, perturbationem esse appetitum vehementiorem: sed vehementiorem eum volunt esse, qui longius discesserit a naturæ constantia*, æquabilitate nimirum rationis. Non igitur παθος est omnis commotio, sed ea, quæ aversa fit a ratione: nec omnis perturbatio, sed πλεοναζουσα *vehementior*. Affectus a ratione proficiscentes aliis illi vocibus appellare amant: nam, qui constantiam æquabilitatemque naturæ sequuntur, perturbationis nomine fœdandos non æquum esse arbitrabantur, sed ευπαθειας dixere, Cicero *constantias*. Eas autem tres esse docuerunt, χαραν, ευλαβειαν, βυλησιν, *gaudium*, *circumspectionem* (*cautionem* vocat Cicero) *voluntatem* (*a*): ut gaudium sit boni præsentis conscientia, non sine voluptate, sed sine animi stulta elatione: cautio vitatio impendentis mali, omni animi abjectione semota: voluntas, quæ quid cum ratione desiderat. Quæ tria affectus sunt, naturæque incitationes, sed non illæ tamen aversæ a ratione. Itaque iis adversantur gaudio quidem lætitia gestiens, seque ultra rationem efferens: cautioni, metus cum exanimatione humili atque fracto: tum ægritudo, qua præsenti malo ita demittimur ut confecti videamur cura: Voluntati postremo *libido*, seu cupiditas effrænata, quæ in id, quod videtur bonum, inlecta & inflammata rapitur. Falsos igitur affectus & αλογυς, *irrationales*, παθη vocant Stoici; apathia ergo est, his carere stultis, ac irrationalibus commotionibus, quod sapientis est. At illa eupathia & in sapientibus est; nemoque sine illa esse queat. Hinc Stoicus apathista non ille est, qui ab hac eupathia liber est, sed qui ab illa cacopathia, quod esse omnes velle debemus. At hæc in Elementis copiose atque articulatim edisseruimus.

Sed hunc locum concludamus. Naturam habemus ad vitia pronam incitantemque; nemo idcirco non aliquando peccat: neque tamen eo fit, ut nulla sit in hominibus virtus, quippe qua naturam regere moderarique possimus. Pravi sunt plures, facinorosi, scelesti, impii: nec interea adducor, ut credam plus esse in tellure scelerum, quam virtutum. Hominem velut totum *teretem atque rotundum* habe-

(a) *Vide August. de Civit. Dei* XIV. 8.

haberi nolim: sed totum esse improbum, iniquum, scelestum, fraudulentum, ferisque omnibus truculentiorem, ut nullum alteri cum altero satis tutum esse possit societatis vinculum, ego nec dicam, nec dici patiar (1). Quid si ipsi nimio culturæ studio depravaverimus? Nam certe animantem liberius natum & telluris spatia spectantem, tum agendo magis, terræque subigendæ idoneum, quam aut contemplandæ, aut otiose effingendæ rerum naturæ, angustioribus claustris, quam par esse videtur, occlusimus, & altius, quam necessarium erat, extulimus. Quo cum stare nequeat, virtutis sæpe impendio decidat, necesse est.

Illud vero molestius objicimt, quod nullum tam perverso animali medendo adhibitum est remedium, quod non vehementius quoque crudeliusque exasperaverit; adeo lethalis vulneris naturam habere videtur, quod tangendo recrudescit.

(1) Hominem etsi natura in vitia proclivem, non ea nihilo secius, sed rudi agrestique educatione esse truculentum animal & ferox, hoc persuadet, quod nec instrumentis ad ferociam armatus nascitur; & quibus in terris olim feri inhumanique victitabant, sint hodie pacifici atque humani. Germani, Angli, Sveci atque Gothi, Moscovitæ, Pandores, Hunni immites fuere jam, inhospiti, truces: hodie, ut partim rudes incultique, humani tamen, jurisque & scientes & observantes: id mitiori religioni, litteris, commercio tribuendum profecto est; quibus cum antiquitus carerent, Deosque colerent adeo iratos, ut non nisi humanis hostiis exorarentur, nemini mirum esse debet, tam fuisse immanes. Tartari sæpe Asiam, Europamque vastaverunt ac depopulati sunt, adeo feri, ut igne ferroque homines, quacumque transirent, extinctos vellent. Idem postquam hinc cum Persis, illinc cum Seris egerunt, humaniores. Nec dubito si interni ac penitissimi literas doceri possent, ac minus superstitiosam crudamque religionem, quin excoli, ac cicures fieri queant. Nam quod climati ac terrarum situi & genio tantam feritatem quidam tribuunt (Montesquieu *Esprit des Loix* lib. XVIII.) id ego totum non probo. Romani tam fuere vetustis temporibus crudeles, quam hodie Tartari. Docent id ara Saturno posita, humanæque hostiæ; neque enim credere fas est, fuisse ullibi humaniores gentes, quam Deos. Disciplina illos, ac civilis sapientia edomuit, & in humanos cœtus coegit. Insula Formosa ad Signarum orientem solem sita, Sinarumque imperio subjecta, legum earumdem jurisque socia, in bello illo Sinensium civili, ac Manichæorum Tartarorum invasione, descivit, seque non modo in libertatem adseruit, sed omni exuta civili regimine, ferinam iterum vitam sectata est. Eo in statu defecta occupataque superiori sæculo a Batavis, horrenda crudelitatis ac belluinæ sævitiæ exempla præstitit; quousque Sinarum rebus compositis recuperaretur, ac justo imperio submitteretur (*Voyages de Hollandois*) Hæc satis probant res humanas disciplina magis, quam natura, prosperas esse, aut miseras.

descit. Nam legislatores, qui id in se pensi susceperunt, quid aliud facere, quam & ut latius scelera disceremus, & pruriginem urticamque cupiditatis, scabendo irritandoque, acueremus? Certe Paullus Apostolus de Mosis lege scribit, quod *δυναμις* fuerit *της ἁμαρτιας*, *virtus peccati* (*a*), quæque concupiscere nefas esset, ostenderit, docueritque (1). Quæ si tam sancta divinaque lex pejores homines atque scelestiores, concupiscentiam vetando, rigidioremque idcirco faciendo, reddidisse videtur, quid ab aliis fuit sperandum? Itaque nihil tot institutis legibusque humanis actum est, quam ut in dies improbiores evaserimus, callidiores nempe astutioresque ad decipiendum, opprimendumque (2). Accessere jam Philosophi, Rhetores, Sophistæ, Poetæ, Grammatici, qui in idem opus incubuere, severitate alii disciplinæ: alii eloquentiæ, apologorumque suavitate, aut voluptate eruditionis. Quam tamen insoite perverseque? Nam ii animantia subigi labore acdomari, quo minus nossent, expetentia, dum otio, lasci vie, vanis, aut falsis rerum imaginibus, lactarent, effecere, ut pro labore desidia, pro continentia & æquitate libido atque superbia invaserint, atque quasi si ut miseri essemus, haud satis esset in natura virium, hanc alteram in nos pestem induxerunt, a qua arcentur barbari; eoque meliores. Itaque veteres Romani apud quos, ut Sallustius ait (*b*), *prudentissimus quisque negotiosus maxime erat: ingenium nemo sine corpore exercebat; optimus quisque facere, quam dicere; sua ab illis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare malebat*, Roma hujuscemodi philosophos Rhetoresque exegerunt (*c*): *Aliquot deinde annis post id Senatusconsultum Gn. Domitius Ænobardus, & L. Licinius Crassus Censores de coercendis Rhetoribus latinis ita edixerunt*. RENUNTIATUM EST NOBIS, ESSE HOMINES, QUI NOVUM GENUS DISCIPLINÆ INSTITUERUNT, AD QUOS JUVENTUS IN LUDUM CONVENIAT. EOS SIBI NOMEN IMPOSUISSE, LATINOS RHETORES. IBI HO-

(a) *I. ad Corinth.* xv. 56. (b) *Catil. initio*.
(c) *Senatusconsultum C. Fannio, & M. Valerio Messala Coss. factum, recitat Gell. Noct. Attic. lib.* xv. *cap.* XI.

(1) Ad Rom. VII. 7. *την ἁμαρτιαν ουκ εγνων, ει μη δια νομου, non cognovi peccatum nisi per legem.* (2) Rosseau *Code de la nature.*

HOMINES ADOLESCENTULOS DIES TOTOS DESIDERE. MAJORES NOSTRI, QUÆ LIBEROS SUOS DISCERE, ET QUOS IN LUDOS ITARE VELLENT, INSTITUERUNT. HÆC NOVA, QUÆ PRÆTER CONSUETUDINEM AC MOREM MAJORUM FIUNT, NEQUE PLACENT, NEQUE RECTA VIDENTUR. QUAPROPTER ET EIS, QUI EOS LUDOS HABENT, ET HIS, QUI EO VENIRE CONSUEVERUNT, VISUM EST FACIUNDUM, UT OSTENDEREMUS, NOSTRAM SENTENTIAM, NOBIS NON PLACERE (*a*). Sed & Athenienses vetuerant *Sophistas scholam instituere* (*b*). Enimvero *quæ homines arant, navigant, ædificant, virtuti omnia parent* (*c*): *sed*, ex quo scholæ ac secessus prævaluere, *multi mortales dediti ventri atque somno, vitam sicuti peregrinantes transigunt*; *quibus, profecto contra naturam, corpus voluptati, anima oneri est*. (1) Quid Athenis Sophistæ egerint, quantumque veteres mores depravaverint, Aristophanes cum alibi, tum in *Nubibus* demonstravit (2). Postremo ii ipsi, qui civitatum vitia veriti in solitudinem concesserunt, ut virtuti litarent, eamque longe a contagio excolerent, brevi magna vitiorum facinorumque vel pravis exempla fuere. Ecquodnam igitur animantium genus est homo, ut excultus in pejus deteriusque ruat? Non ergo ad virtutem geniti factique videmur, sed ad vitia; quando constat virtutum disciplinâ non modo meliores non effici, sed multo pejores. (*d*)

Sed hæ aut *μισανθρωπων* sunt larvæ, quibus illi agitantur vel interdiu: aut iniqua convicia; aut rerum ignoratione humanarum excidunt sæpe bonis alioquin hominibus, ut qui antiqua, aut barbara cum nostris contendere nesciunt. Quamobrem mittamus in hac disputatione hujuscemodi imagines, remque ipsam consideremus. Legibus hominum perversitatem auctam ajunt: calcar admotum affectibus; vim naturæ irritabiliorem factam: illudque, *nitimur in vetitum*, provocatum. Quibus au-

(a) *Gell. ibid.* (b) *μη εξειναι μηδενι των σοφιστων διατριβην κατασκευαζεσθαι. Pollux.* IX. 5.

(c) *Sallust. ibidem.* (d) *Vide Gelli* Circe.

(1) Vide & Plutarchum *De repugnantiis Stoicorum*.

(2) Mandeville *Essay on charity-scools*, scholas hujuscemodi *pias*, ut vocant, apud Anglos, vehementer idcirco insectatur.

autem legibus? Non Minois solum, aut Lycurgi, aut Solonis aut Numæ, sed Mosis, Dei scilicet. Hic primum decipi, aut mentiri, ajo. Quæ, rogo, his legibus vetita sunt? Nimirum, ne impii simus, ne parentum desertores, ne homicidæ, ne adulteri incestuosique, ne latrones, direptores, deceptores circumventoresque, inhospitales, immanes, trucesque: jura, brevi, ne alii aliorum, interciperemus, fraudaremusque, aut minueremus. At hæc natura ipsa vetat; nec vetando ipsa se incitat incenditque, aut nos belluis deteriores efficere vult, quibus permittit, sed multo certe meliores feliciorésque; quando non omnia, quæ voluptatem cient, naturam servant. Jam quando vetita? Quum in id scilicet inclinare gentes & mores satis cognitum exploratumque esset. Non igitur libidini calcar admotum, quo acueretur, sed adultæ jam accensæque inhibitum est frænum. Sed enim, *non cognovi peccatum, nisi per legem*, &, *per legem cognitio peccati*. Ita enimvero: nec tamen hæc scriptam tantum, sed in cujusque etiam animo ipso inscriptam legem complectuntur: quam ecquis irritasse extimulasseque ad scelera naturam dixerit? Qua si tum nobis bene beateque comparatum fuerit, pleneque tum simus futuri boni, cum nihil non liceat, quod placet; cum nulla regula dirigamur; nullis juris pudorisque, atque honestatis repagulis; nullo coerceamur officio. Quod si de lege Mosaica dicit, eam habet vim & potestatem, ut lata lege *positiva*, latius, sineque ulla dubitatione, atque obscuritate, cognoverimus, licita, illicitaque (1), quod ad recte sapienterque vivendum necessarium erat. At enim, cur *δυναμιν*, *vim*, *virtutemque* peccati legem appellat? Totum locum exhibeamus: *Stimulus*, inquit, *mortis peccatum est*; *virtus vero peccati lex*. Spectavit dictum Oseæ XIII. 14. quo in loco imperium quoddam in homines morti traditur; Itaque *morsu* eos habere retinereque dicitur, idque peccatum est, velut Mercurii virga.

(1) Grot. in hunc locum. *Sed peccatum non cognovi, nisi per legem*, idest, novissem. Dicuntur enim hæc comparate. Et in caput III. v. 20, *per legem cognitio peccati*; ne, inquit, quis putaret legem plane fuisse inutilem, ostendit ejus usum egregium, nempe quod notitia illæ actionum turpium, quas mali mores ..... obliteraverant, manifesta voluntatis divinæ revelatione factæ sunt rursus conspicuæ. Natura aliquo modo indicat divinam voluntatem: at multo magis revelatio tot fulta miraculis.

virga. Hoc κεντρον appellavere LXX. & Paullus. Hunc ergo sensum esse reor: *Ut peccatores in manus mortis postremo traduntur; ita peccatum sub imperio legis est, qua coercetur*; nam peccatum (ut ait ad Romanos III. 5.) επιφερει την οργην, *infert iram*, pœnas videlicet. Quare ut το κεντρον morsus est imperiumque mortis: ita το δυναμις vis est pœnarum. *Vim dolorum* alia in re dixit Plautus.

Sed αδιαφορα, *indifferentia*, dicet aliquis, vetant sæpe leges: itaque plus justo libertatem vimque humanam constringendo, efficiunt ut vehementius perrumpat. Ego quoque adsentior, si ea, quæ sunt natura permissa, locus, tempusque, civitatis ac imperii natura, quæque sunt his similia, minime poscant, ut vetentur, præcipianturve. At si poscunt, id lex vetet, jubeatve oportet: summa enim vel naturæ ipsius lex est SALUS BUBLICA, ut ajunt leges Decemvirales. Quas leges qui migrat, non leges deprecator, sed stultitiam, suamque adeo voluptatem, cui sciens ac lubens eas sacrificat, accusato. Illud ego potius dictum, declamatumque velim, quum homines probi, & honesti vix esse sciant, nisi rite ac recte educantur; sit autem triplex educationis genus, civile, sacrum, domesticum; eaque tria præclaris sapientibusque, tam legibus, quam philosophiæ præceptis constituta sint; omnia ferme hodie in excultis alioquin nationibus labi in deterius, nescioque imbecillitate ne dicam, an neglectu luxuque, pene esse deserta. Quæ equidem permoleste fero: at dicere nihil legibus actum, quo cupidi, superbientis, astuti animalis motus compescerentur, suæque ac publicæ utilitatis servire cogerentur: non meliores homines legibus, sed deteriores factos: irritatam potius cupiditatem, quam coercitam; id ego non serio disputantis philosophi, sed declamatoris esse ajo. Quid enim esse potest exploratius, quam sublatis legibus, tollendum esse imperium? at sublato imperio, dissolvenda est civilis societas: qua dissoluta, non modo redeundum est ad casas, sed ad sylvas, antra, montes: dispersum igitur instar ferarum hominum genus discurrat necesse est. Qua re si quis est, qui bene beateque esse hominibus censeat, eum, ne tam optata felicitate privetur, in Samojedos, Groelandos, idque genus alios ablegandum existimo.

Quid, inquit aliquis, faciemus litterarum, ac philo-

sophiarum scholis? Haud ego negaverim peccatum in his saepe, peccarique adhuc; scholarumque peccata non intra eruditos parietes constitisse, sed permanasse latius. Verum furentis esse puto diruere excidereque velle. Ad virgulam docere ac disserere aut incitentur exemplis, aut lege cogantur: naturam rerum, quatenus homini servit, aut vestigent, aut, si id desperent, in nostras utilitates rapiant, quodque fieri potest, fitque quotidie, servire nobis impellant: non chimaeris studeant, sed artibus perficiendis incumbant: levia artificia, quibus imperitos circumveniunt, deponunto: plures in ordinem coguntor. Id & fieri coeptum est, & clamari ut perficiatur, nemo sanus prohibuerit. At nihil interest omnes exulare jubere; nisi si quis, ut dixi, ad vetusta nemora revocare non velit. Momus hoc olim philosophis deorum decretum edicendum statuit: VOCABULA NOVA NE COMMINISCUNTOR (1). Addamus: LEVIBUS ARTIFICIIS POPELLUM NE LUDUNTO: NEQUAM NE SUNTO: REI QUISQUE SUAE PUBLICAE SERVIUNTO. Sequatur sanctio. QUI CONTRA FAXIT, EI AQUA ET IGNI INTERDICITOR.

Doctri-

---

(1) Lucianus in Concilio Deorum, decreto. Μη σταπλαττειν καινα ονοματα: μηδε ληρειν περι ων ουκ ισασιν. Vide eumdem in *Hermotimo*, quo in loco philosophos deridet, *qui, omissis juste, sapienter, fortiter factis, vocabula misera meditentur, & syllogismos, & dubia maximamque vitae partem in hisce conterant; quo pacto callide interrogare, sophismatis implicare, dolose agere, & in laqueos inevitabiles immittere oporteat.*

Doctrina Augustini. Arabum hypothesis, item Thomæ Aquinatis. Universi perfectio: a materia inanime ad Deum infinitorum esse graduum intercapedinem: spatii gradus. Eam occupari ita oportuit, ut nullus desereretur vacuus. Quid homo naturalis: quid Dei gratia instructus ornatusque. Quid ordo bonorum & malorum ab Augustino demonstratus. Utrum hæ hypotheses omnibus occurrant, pleneque satis faciant dubiis ac quæstionibus. Eas satisfacere argumentis Manichæorum, sed non curiositati theologorum.

SI unum verum fuit, *non semper culpam, aliquando etiam suspicionem vitandam esse*, est in hac, qua torquemur, quæstione verissimum: nam cum sine temeritate liberius tanta de re dicere difficile, tum est difficillimum ita explicare & agitare, ut omnem aut prævaricatoris, aut minimum tergiversatoris suspicionem vites: sunt enim plurima & excogitata super ea inania ac ridicula, quæ probare nihil juvant, & est stultissimum; & non pauciora, quæ si vocabula mutaveris, phrasesque, atque ita eloquutus fueris, ut a communi loquendi ratione non admodum discrepaveris, non minus intelligibilia videri possunt, quam illa sunt futilia. Quæ sit transmiseris ridebunt docti: si reprehenderis in crimen apud aut indoctos, in quibus nihil antiquare lectionis, nihil meditationis; aut partes, traheris. Itaque ego illud edico iterum sæpiusque, & Deum adeo esse ab omni mali machinatione & approbatione alienum, quam fieri non potest, ut non sit natura summus & optimus: & cur Angelos hominesque depravari permiserit, præclaram oportuisse ei adesse rationem: & plurimas etiam in hac tanta hominum ignorantia proferri posse possibiles, quæ vel obstipis refractariisque Manichæis os obstruant: & interea quæ earum si vera, ac quam Deus sequutus sit unam ne an plures, has ne anignotas nobis alias, id ignorari fateor, nec esse scitu admodum necessarium. Has ego quatuor quæstiones distinctas secretasque esse velim. Est Deus optimus & maximus? est, ac necessario est. Ratione ne aliqua altoque judicio mala esse sivit? Summa, justissima, optima. Defendi ne plene potest præclareque Dei sapientia ac bonitas adversus Epicureos & Manichæos, ac qua ratione? Potest, ac pluribus. Quænam hujuscemodi Deum permovit? Infinitæ esse potuere, omnesque Deo dignæ; qui igitur nisi illo dictante, licet

sci-

scire? At ille aut natura dictat, rebusque ipsis, aut prophetia, neutra autem id explicavit manifeste atque aperte. Enarro enimvero plures; quarum sunt quædam admodum probabiles Deoque dignæ: sed quo plures, ac peræque probabiles, eo in quam jurem minus habeo. Quid igitur, dicet aliquis, hæc tanta decet ratio? Nimirum ut hoc sciatur & quot modis divinæ bonitatis hostibus obsistere possimus; & quanta nos cum in plerisque omnibus tum in hac præsertim re, de qua agimus, mentis brevitas fatiget, quamque sit & adrogans & turpe id cum proditione pietatis definire ac statuere velle quod creatus sis, te nondum intelligere. Sed Augustini jam, & Thomæ Aquinatis, quorum alterius Stoica pene fuit philosophia, alterius Peripatetica, theologiæ scilicet christianæ coriphæorum, audiamus sententias.

Totam hanc hominum labem ac fæditatem, & miseriam a dæmonibus primitus ortum habuisse, & veteres gentes aut suspicatæ fuerant, aut a majoribus didicerunt (1); & philosophi plures; & est in christiana theologia præcipuum, ac exploratum. Infinitos Deum, non ab æterno, ut Origeni perplacuit, sed mundi initio, Angelos procreasse, mente nimirum ab omni materiæ concretione sejunctas planeque incorporeas, atque puras Intelligentias Augustinus, ac Thomas decernunt. Eos omnes in caritate atque gratia conditos, intelligentes, sapienter, & plene a perturbationibus liberos, eodemque Dei, *quo stare possent, si vellent*, dono ornatos (a). Hanc Dei gratiam, *possibitatis gratiam* vocat Episcopus Iprensis. Erant enimvero naturæ excellentia alii aliis eminentiores, eoque alii aliis majoribus, & naturæ dotibus, & Dei donis instructi, ut Thomas arbitratur: sed omnes peræque sui arbitrii, ut & pergere possent esse boni, & desciscere. Itaque quum in eorum esset arbitrio, bene, aut perverse sua uti ratione, appetitu, Deique largitione; factum est, ut alii bene & sapienter uterentur; qui idcirco commeruerunt, novis ut summi parentis donis, novoque amore mactarentur, ac tali, quo non possent amplius abuti. Ita sibi hos firmavit Pater, ut perpetuo, ac immutabiliter ut beati essent fecerit: nam illos Origenis, ut ita

(a) *Lib.* II. *de grat. Christi Salv. a cap.* I. *ad* 4. *alibique frequenter. S. Thom.* I. *p. qu.* 62.

(1) Suboluit ea res etiam Huttentottis. Vide Kolbi.

ut ita dicam, Vertumnos, tamq ue frequentes Angelorum percursationes ac perdulliones, tantamque cum in virtute, tum in pravitate inconstantiam velut indigna flagitia aversantur. Securum igitur, qui semel stetere æternumque vivunt ævum. Sed alii, nimis sibi videlicet blandientes, superbiaque perciti, sibi fidere ac suo ingenio cœperunt, atque a Deo rebellarunt. Hi Dei donis spoliati, omnique & parentis, & amici beneficio destituti, e sedibus cælestibus projecti fuere, ærumnis ac miseriis impliciti æternis. Boni illi ac sancti non capti libero arbitrio Deum amant, eique serviunt adhærentque (*a*); sed cadere tamen iis perpetuo negatum. Hi scelesti, ac impii non arbitrio destituti semel placita pravitate oblectantur, perguntque odio ac rabie, invidiaque agitari; sed negatum ad bonam frugem redire (1). Præbitum illis *auxilium* efficax, *victrix detestatio*, his ademptum omne: præmium illis fidelitatis; his pœna stultæ & impiæ proditionis. Si quis autem quærat, quo hæc a creatione tempore acciderint, gestaque sint altero scilicet momento respondet Thomas (*b*): metu nempe, ne si longior mora tribuatur, ii tandem peccaverint, qui semel suo arbitrio sapienter fuerint usi, quique beati esse meruerint. Hæc derident hujus ævi philosophi, eorumque nullum alium esse fundum prætérquam Platonicorum phantasiam aperto ore clamant. Sed ea docent divini vates; ea christiana theologia; quæ non de Academia Platonis, sed de Porticu est Salomonis, ut ait Tertullianus. Etsi qui potest ratio hæc non probare quæ de illis acrioribus, atque exsertioribus animis disputant theologi, quum nullum esse cælestium globorum, nullum elementorum sine viventibus cœperit sibi jamdudum persuadere? Quodnam, inquiunt, cum illis commercium? Quasi vero facilius apertiusque habeamus cum incolis Saturni Huigenii, aut Matronis Veneris Fontanellii. Hæc sub Dei sunt imperio. Sed eodem redeamus.

His

(a) *S. Th. p. p. q. 59. art. 3.*

(b) *Ibidem q. 63. art. 6.*

(1) Vide quam hujus obstinationis causam reddat S. Th. 1. p. q. 64. art. 2. quod videlicet non ratione utantur, sed intelligentia: semel ergo ea depravata; eadem perpetuo est, eademque prava voluntas. Sed & est vetus e Damasceno Joanne promtum dictatum, *hoc, esse Angelis peccatum, quod hominibus mortem*.

His gestis, tot rebellium dæmonum sedes, quot illi primitus obtinuerant, atque occupaverant, vacuæ extitere: quibus explendis terrestris colonia designata est. Itaque creati homines, qui eo tandem aliquando deducerentur. Magna illi & naturæ corporeæ pulchritudine atque formæ elegantia fabricati, & mente ornati immortali, & sapientiæ, divinique amoris præstantia. Nec tamen armati, nisi eadem qua Angeli *possibilitatis gratia:* ea & pergere probi sanctique, modo vellent, possent; & item, ut Angeli, rebellare. Dicet aliquis, cur priori exemplo, quod infeliciter ceciderat, admonitus, non abstinuerit Deus? Sed idem & scivit, & quid esset futurum provideat: at id interea eaque ratione & via ut & res poscebant, & æternus rerum ordo (*a*). Hominibus igitur hæc sancta lex: *Si in hac naturæ sanctitate, pulchritudineque, perseveretis usque, ac rigide induretis, in illas sedes, olim vacivas, deducaminor: æternum habetote: sin minus, sique perduellione obstringamini ulla, vos, liberi, nepotesque vestri, hoc juris spoliaminor, cumque rebellibus dæmonibus æternum damnaminor.* Illi vero paucas infra horas & legem neglexere, & eodem, quo dæmones, scelere, eademque pœna se adstrinxere. Nempe eos, qui exciderant, Angelos excruciabant, eaque res angebat, terrestria animantia sedes illas, qua stultitia amiserant, habitura:

Impius hæc tam culta novalia miles habebit,
Barbarus has segetes? . . .

Hinc illa exarsit indignatio; inde excitata invidentia. Nihil ergo omisere, quo minus eodem facinore homines *implicarent*. Circumstitere: obsidione cinxerunt; omnique pellacia traxere in partem. Ita hæc αναριθμα πηματα *innumera mala*, ut ajunt sæpe Tragici, quæ nempe agimus quæve patimur extiterunt. Illud modo quæret aliquis, qui non hominibus cautum; præsertim cum compertum esset jam, illa *gratia versatili*, illis *prossibilitatis auxiliis*, ne sublimes, quidem mentes, purasque intelligentias, perstitisse fideles. Sed & erat hæc colonia majoribus præsidiis, quam illa civitas præfulcienda; quippe quæ hostium aut insidiis, aut aperto bello exposita atque objecta. (*b*) Ad hanc illi causam expediendam dupliciter aggrediuntur: nam & id univesum exqui-

(a) *S. Th. sæpe.*
(b) *Vide Estium.*

exquisivisse, ne quis scilicet inanis esset in naturis locus, arbitrantur: ad justitiæ ordinem constituendum putant fuisse necessarium. Illas naturas, quæ a mundi ordine & regula deflectere possint, errareque adeo & peccare, si tollas, fit aliquid in universitate inanis, non quidem loco, sed rebus, rerumque gradibus, quorum sunt illæ complementa: & nullus justitiæ, ejusque ordini futurus est locus. Hæc ne acciderent magno cum universi dehonestamento, turpique hiatu, oportuit ita Angelos hominesque procreatos fuisse, ut creati fuere, eaque, quæ contigerunt, accidere. Non hæc latebant: sed vertisse, quæ sapientia efflagitabat, non licuit.

Hæc qualia sint meditate consideremus, paulloque altius ordiamur. Augustini sententia est, duo rerum summa genera a Deo esse facta; quorum alterum *prope nihilum sit alterum prope Deum*: illud materia: hoc mentes. Sunt igitur veluti duo extrema *των οντων entium*, ac *της ουιας*, *entitatis* puncta, materia, Deus (1). Quanta vero inter se intercapidine? Nempe immensa. Tanta hæc interjecta immensitas expleri poscebat, quo, ut in spatio, ita in *ουια entitate*, nihil esset inanis. Nec vero uberrimam fœcundissimamque Dei naturam addecebat, ut nulla rerum varietate, formarumque, sed una continua ac congenere tot spatia expleret, quid enim illa formarum similitudine atque perpetua uniformitate adspectu fœdius, molestiosque? Ut enim in musica *μονοτονια idem continuatus sonus* ferit aures proturbatque: ita in mundo *ταυτοτης*, *identitas*. Itaque chaos hinc fœdum, quod *unius vultus*. Quamobrem gradus esse debuere infiniti ab inanimi materia ad Deum, alter altero sublimior, & natura eminentior: ne perhilum quidem vacuitatis intercipi fas fuit (*a*). Quod

(a) *Vide Augustin. de lib. arbitr.* III. 5. & 9. & *S. Thom. passim, sed præcipue in* II. *sent. Dist.* XXXIII. *Q.* 2.

(1) Invaluerat apud Platonicos, ut corpora dicerentur *μη οντα*, *non entia*. Sed est illustris apud Sophoclem locus in Electra v. 1171. Nam infelix illa, fratrisque desiderio, quem veluti mortuum lugebat, extabefacta, peneque extincta puellula, urnam, qua germani cineres tegi arbitratur, complexa arctissime, se ut vicissim complectatur ejulans rogat

... συ δεξαι μ' ες το σον τοδε στεγος,
ΤΗΝ ΜΗΔΕΝ', ΕΙΣ ΤΟ ΜΗΔΕΝ ...
Tu me complectare istac tua urna,
Hihilum nihilo .... quasi duo extincta corpora duo sint nihila.

Quod ita se habere ea nos mundi pars, quam incolimus, satis edocet: cetera theologia tradit. Materiæ plura esse genera videntur. Siquidem est in telluris corporibus id, quod caput mortuum vocitavere Chemici: hoc omni vitæ gradu destituitur, si id per Leibnitium dicere licet. Altero ab hoc gradu illa est materies, quæ actuosa est, veluti aer, ignis, quæque his accedunt, quæ hanc vitæ portionem habent, quæ in motu & efficientia posita est. Sequuntur vero res quædam, quæ nonnihil vegetare nobis videntur, veluti ossa animantium ac piscium, nonnulli lapides, coralia, gemmæ. Tum quarto paullo eminentiori loco sunt fungi, fruticum, sed admodum imperfectum, genus. Quinto jam sunt herbæ, frutices, arbusta. Jam sexto loco excipiunt eæ plantæ, quæ, ut Duhamelius (*a*) ostendit, sensu aliquo præditæ esse videntur. Septimo porro loco ostracea ferme omnia, animantia quidem, sed haud multum a plantis distantia. Ita videmus naturam per minimos parumque sensibiles gradus adscendere ad summum. Jam in octavo sunt sita ea animacula, quæ *insecta* appellavimus, ac stupida sunt, quo genere lumbrici ac vermiculi omnes continentur. Nono sunt quadrupedia, grandioresque pisces; in quibus tamen sensus & cognitionis est aliqua inter sese discrepantia: sunt enim quæ a stupidis haud longo intervallo distant: alia longius: alia, quæ satis sunt homini similia, veluti canes, equi, simiæ, elephanti, cete. His omnibus vitæ rationisque ac cælestis mentis præstantia longe eminent homines: inter quos sunt interea miræ varietates. Nam *quidam* ita stupidi tardique procreantur, ut nisi ad immortalitatem progigni, eodemque cum ceteris jure, christiana doceret philosophia, haud facile esset non infra hominem collocare, grandemque illum gradum, qui inter pecudes interjacet prudentesque nostri generis, occupare. At sunt contra alii adeo ingenio ac mente præcellentes, ut ad altiora subsellia prope attingant, paullo, si per corpus liceret crassum, infimis Angelis inferiores. Hic nos deserit physica: nec tamen adeo parvum naturæ spatium emensi sumus, ut conjectare ejuscemodi alia nequeamus; præsertim cum illa premat ratio, absurdum esse reliquum, quod superest, ac infinitum intervallum, tali formarum varieta-

(a) Physique des bois.

rietate destitui, desertaque esse, velut arabicos lybicosque campos, informia & squallida. Sed vero præsto est theologia: sunt enim Angelorum genera diversa, ac non una sedes. Principes classes tres efficit Thomas Aquinas: alii infra Lunam incolunt: alii supra: alii Deo proximi (1). Hi primani Deo adstant, ejus administri: secundani cælestibus corporibus movendis moderandisque serviunt: tertiani iis, quæ inter Lunam Terramque intercepta sunt. In quibus classibus gradus sint plures necesse est, non loco tantum dissiti, sed natura, aut *naturæ quantitate*, ut Angelicus doctor loqui solet. Quam ob rem satis intelligenter conjicere possumus, totam illam inter Deum & materiam brutam inanimemque intercapedinem horum graduum *substantiarum* scatere, nihilque esse vacui ac deformis: qua re, & mundi *integritas atque complementum*, ut illi ajunt, absolvitur, & pulcherrimum, tantoque artifice dignum fit mundanum opus (2).

Quæ cum sint, intelligitur aperte malorum scaturiginem naturam sequi rerum, præterque omnem Dei voluntatem: ut enim hæc esset universitas, ita erant & procreanda, & constituenda, ut totam *entium*, ut ita dicam, immensitatem explerent. Singulæ res sua propriaque *essentia* comprehendendæ, ac circumscribendæ, & proprietatibus, pro loco, quem obtinere designatæ erant, instruendæ. Plus uni minus dedisset auctor, proportionem migrasset, turbassetque omnia. (3) Quam vero id indignum?

(1) Vide I. par. q. 63. art. 7. in corpore. Et alibi. Et Petavium de Angelis.

(2) Docte perelegAnterque hanc mundi *metaphysicam*, ut ita dicam, *theoriam*, enucleavit sæpe Bolinghrokius in Phylosophical works, & hinc fidus alumnus Pope.

(3) Respondeo dicendum, quod ad providentiam divinam pertinet ut unumquodque in sua natura relinquatur, quia ut Dionysius dicit. IV. cap. de div. nom. PROVIDENTIA NON EST CORRUPTIVA NATURÆ) *principium mirabile at longe lateque promanans*) SED SALVATIVA. Cujus ratio est, QUIA BONUM UNIVERSI EXCEDIT BONUM PARTICULARE CUJUSQUE NATURÆ CREATÆ (*& hoc facundissimum magnumque in hac re gazophylacium*): Sicut etiam bonum gentis excedit bonum hominis, ut in I. Eth. cap. 1. dicitur. Si autem aliqua natura a suo gradu translata in altiorem per providentiam mutetur, quamvis aliquod bonum illi naturæ excresceret; tamen BONITATI UNIVERSI ALIQUID DETRAHERETUR, DUM NON OMNES GRADUS BONITATIS IMPLETI ESSENT, ILLO GRADU, EX QUO NATURA ILLA TRANSLATA

gnum. Ii ne mentis compotes, qui importune impudenterque id expostulant? ii non constrigendi? Siquidem nihilo distant non sapientem esse Deum posseque non sapienter agere, atque non esse (1). Naturam igitur hic inspiciamus. Materia iners brutaque basis & plantarum & animantium fingendis formis destinata, esse debuit ejusce modi, ut & discerpi in particulas posset, & lacerari, & secari, & percuti, & uri, fundique, infinitis modis effingi refingique: alibi dura, alibi mollis, alibi fluida; hic crassior, ibi subtilior. Hæc nobis sublimiorem locum tenentibus mala videri possunt, ac flagitia: nec tamen, si sapimus, talia censebimus: ea est enim illius proprietas ac natura; ita mundo totiusque ordini servit: nec vero quod natura adest, id malum esse potest. Tum quanta, ut nobis quidem, si ab ordine oculos avertamus, videri possit, in secundo gradu abjectio, subjectioque? Quanta in tertio ac quarto, si cum superioribus conferamus, imperfectio? Quanta in brutis & humilitas, & servitus? Jam hæc omnia omnibus naturæ totius telis subjecta sint necesse est, calori, frigori, eluvioni, siccitati, pesti, terræmotui, ac innumerabilibus aliis: tum nascuntur infirma ac imbecilla, omniumque egena: adolescunt, senescunt: senio, inedia, naturæ innumeraailibus ex causis, emoriuntur: cruento bello sese enecant; devorant: ad internecionem vero usque ab homine, omnium maxime voracissimo animali, delentur. Quæ adeo Telluri non sunt mala, ut sine, talibus nihil hic gradum suum tueri posset, ac possidere. Hæc si nobis noxia evasere, illa *perduellio* fecit, futura alioquin innoxia. Talis est igitur rerum natura, eaque lege progenita sunt omnia, ut unaquæque rerum generica lege gradum suum servare debeat, mundum turbatura si migret. Peccasset, non, primus homo, eædem fuissent, quæ sunt, terræ, aquæ, metallorum, salium, ignis, ac reliquæ materiæ proprietates,

---

TA ERAT, VACUO REMANENTE. Dico ergo quod si peccatum omnino impediretur, per hoc multi gradus bonitatis tollerentur: tolleretur enim natura illa, quæ potest peccare, & non peccare, quæ quidam bona est: tolleretur etiam hoc, quod est de peccato posse resurgere, & multa hujusmodi. Quibus ablatis bonitati Universi multum detraheretur. Et ideo ad providentiam divinam pertinet & hominem tentari permittere, & peccare, si vellet.

(1) Anselmus in lib. *cur Deus homo* cap. 20. *Minimum inconveniens est Deo impossibile*.

tates, vires, mechanicæ leges: eædem plantarum, brutorumque. Nihil crimen illud Adami physico mundi ordini, nihil legibus totius nocuit. Ita de hoc ordine disseramus nunc oportet, ut si non peccasset dissereremus. Ex seminibus ovulisque nascuntur hodie plantæ & animantes: imbecillæ ac teneræ: succo, atque cibo indigentes, quo alantur: naturæ causis subjectæ omnibus, gelu, igni, siccitati, pruinis, imbribus, pesti, morbisque ceteris: adolescunt, senescunt, intereunt: eadem lege & conditione, nisi ille rebellasset, procreatæ essent: nam ex hac lege prius quam ille esset creatæ a Deo erant (*a*). Stultum est sibi persuadere, eo peccato factum esse, ut naturæ totius ordo perverteretur. Quam illud & demens & perridiculum, quod ajunt quidam, ne tenebras quidem futuras fuisse ullas, si primi homines primævum gradum servassent? Cum & antequam illi nascerentur, fuerint, & dispergi nequeant, nisi alio cæli totius astrorumque ordine constituto (*b*). Hæc igitur cum ex ordine naturæ totius sequantur, cum innectantur universitati, eique serviant; desipit qui mala esse & flagitia reputet. Quod si noxia nobis sunt, illud, ut dixi, vetus crimen fecit.

Sed illud quoque concesserim, iis & hominem ipsum subponi oportuisse, si alia conditione genitus esset. Enimvero si is instar ceterarum animantium ita procreatus esset, ut nec ulla divina gratia ad supernas sedes invitatus fuisset, & intra ambitum præsentis vitæ destinatus, quid causæ haberet, cur ab iis naturæ se malis exemptum jure expetere posset, quibus reliqui inferiores vitæ animæque gradus obnoxii sunt? Ut enim in brutis dolores vitæ aurâ & voluptatibus pensantur, nulla nec injuria, nec Dei malignitate; ita si ea conditione, qua dixi, geniti essemus, inique ab universali lege excipi flagitaremus. *Quodque*, ut in bello, aut civitate, ita in orbe, *suum servet gradum*, edixisset imperator: *aciem nemo perrumpat: nemo locum deserito* (1). Nonne stultissimum

(a) *Genes.* 1.

(b) *Vide S. Basilium in Hexaemero.*

(1) Aug. de civit. XI. 28. *Si enim pecora essemus carnalem vitam & quod secundum sensum ejus est amaremus; idque esset sufficiens bonum nostrum; & secundum hoc quum esset nobis bene, nihil aliud quæreremus. Item si arbores essemus, nihil quidem sentiente motu amare possemus, verumtamen id quasi appetere videremus, quo feracius essemus uberiusque fructuo-*

esset, plantas, reptilia, quadrupedia non lamentati fatum, servareque constanter, nos quia præcellentiori ratione præditi, indignari nostrum? Si qui vero est, qui id efficere non potuisse Deum, ac postquam nos tam longe supra bruta posuisset, non sine improbitate destinare omnimodo, ut belluas, interitui, certo demonstrare se posse confidit, eum virum longe divinum habebo (1). Sed hasce hypothe-

ctuosa. Si essemus lapides, aut fluctus, aut ventus, aut flamma: vel quid ejusmodi, sine ullo quidem sensu atque vita, non tamen nobis deesset quasi quidam nostrorum locorum atque ordinis appetitus.

(1) De potentia ago *physica*, ut vocant, *non morali*: seu (quod idem mihi est) de *absoluta potentia*, non *ordinata*. Hominem *in puris*, ut ajunt, *naturalibus* a Deo condi potuisse, tota ferme recens theologorum schola arbitratur. Eam opinionem velut parum a Pelagiana hæresi abludentem tribus integris libris satisque ponderosis Episcopus Iprensis Cornelius Jansenius vexavit: id nullo modo a Deo effici potuisse contendit, quod ego non *decuisse* dixissem. Augustinum, cui nescio utrum ea quæstio umquam venerit in mentem, in partes, velit, nolit, trahit. Is scilicet mos est disputantium. Hujus ego Hominis ingenium studiumque facio plurimi, fecique semper. Sed, quod in hujuscemodi controversiis utrinque fieri jamdudum consuevit, haud probabo, attribuisse non raro Augustino pluscula, quæ, si ille reviviscceret, miraretur se aut dixisse olim, aut sentire potuisse. Tum sunt haud dubium multa satis illa cruda, ac Deo, homineque indigna, quæ jure Romanæ sedis censuram commeruerunt. Haud inficiatus fuero nemini studiosius Augustini libros lectos fuisse: a nemine cribratos diligentius, versatosque sæpius: nihil homini propositum, nisi bonæ causæ servire, quam vetustatis imperiti nonnulli prodire videbantur, etiam cum defenderent. Sed erat homini ingenium paullo severius, iratiusque atque acerbius in scholas, quam æquum hominem, ac tempora addeceret. Atque ut acescentibus stomachis acida gratiora, dominantique bili, ut medicorum ajunt filii, acria, cruda, acerba perplacent; ita ille nullis Augustini sententiis, ac dictis impensius, ingenii, credo, morumque duritia quadam, oblectatus est, quam rigidioribus, quæ interdum, quod mollia adhuc viderentur, horridiora & amavit, & finxit, metu, ne satis ille dixerit. Qua in re & immitiore indole peccavit aliquid, & judicio plurimum: neque enim si Augustinus fuit alicubi, necessitate causæ, quam tuebatur, paullo vehementior, asperiorque, in dispari multo causa imitandus fuerat, aut mitissimus natura studiisque doctor accendendus etiam ultro, ac horride opinari cogendus: quandoquidem is ipse id & animadverterat, & monuerat, & tum tota causa deferviisset, placatius ac mitius esse opinatus. Liceat hic mihi dicere & accidere interdum malo fato, ut nimio discipulorum studio in invidiam doctores præquam commeriti sunt, vocentur; & Augustino sanctissimo doctissimoque viro præter controversiam intervenisse olim, atque nuper; ut tum essent homines adeo calumniosi impudentesque, qui tamquam Manichæum traducerent (vide Aug. lib. 1. operis imperfecti, & hunc ipsum Jansen. in hist. Pelagiana); & fuerint superiori sæculo, qui Calvinismi insimularent. Ac vero est quisquam tam Reipublicæ philosophicæ imperitus, ut veteres, recentesque Auctores legendo non sæpe senserit, quam fuerint Platonici Platone platoniciores?

theses mittamus. Quum id, quod fingimus, etsi potuerit

Aa 2 Deus,

tonistiores, stoiciores Zenone Stoici Aristotele aristoteliciores Peripatetici? Jam Galilaei discipuli multo fuere illi Galiani magis, etiam cum magistri doctrinas defendere se opinarentur: multoque item magis Cartesii sectatores cartesiani, Newtoni, newtoniani, Leibnitii Leibnitiani. Sed & in Theologorum idipsum scholis factitari cognitum exploratumque est. Nam Durandus, ut exempli id loco dicam, & Caietanus, viri haud dubium praecellentis ingenii, multo fuere illi saepe magis thomistici, quam Thomas Aquinas. Quot Scoto scotistiores? Aures ego, scio, crispabo tuas, quisquis has nugas legis, otiantisque hominis ludibria: sed tu, quaeso, animadvertas, hanc hujusce regionis, quam Dialectici, Metaphysicique incolunt, esse linguam, itaque propriam, ut Atticis Atticam, Latinis Latinam. Non tu hetrusco rotundoque ore Florentiae loquaris? non μοντηριζοντε Parisiis? Itaque & Britanno blesoque Londini. Hic scholastico, saepeque arabico frendenteque loqui moris est. Sed eo, unde discessimus, redeamus. Quo igitur elevatior est cuique animus, & grandius, prospicientiusque ingenium, eo magistro minus adhaeret tenacius, illo aliquid aut subtilius excogitare paratum, aut eloquentius, vehementiusque dicere. Velut in hac quaestione, Augustinus numquam dixisset, nihil naturalis in hominibus post peccatum permansisse; is, qui veritus est dicere, homines, nisi peccassent, non fuisse filios habituros (Retract. 1. 10). Si igitur etiam integri filios generassent, & concipi infantulos oportuit, & utero gestari, & nasci. Quo vero in statu nati fuissent? Mala omnia, quibus nunc subjecti veteri noxa sunt, jubeamus abesse: locum illa non habitura fuissent, ex gratia tamen, ac privilegio. Sed illud quaesiverit quispiam Iprensem Episcopum, imbecillo ne corpore nati infantes ejuscemodi essent, membris nondum firmis, musculorum, nervorum, ossium vi destituti, nullis adhuc in ore dentibus, an plane robusti, integroque juventutis flore? Lac ne suxissent, necne? Matrum ope atque auxilio eguissent? Quo ingenio ac animo fuissent? Haec me ignorare, hominem hisce in rebus satis peregrinum, idiotam, planeque truncum, ultro fateor. Puto tamen, si Augustinum rogare liceret, haud illum negaturum, naturam, etsi primaeva *justitia* orbatam, foedamque adeo originali peccato ac reatu, totam tamen esse in nobis, futuramque in illis fuisse, qui ab innocentibus fuissent nati, puram licet, sanctam, rectam, & Deo adhaerescentem, soloque privilegio, non lege corporum, a malis exemtam. Ex hac ergo, quae in hominibus ex primo statu, aut natura, aut naturae parte devecta est, conjicere illud possumus, quid homines futuri fuissent, si ita fuissent procreati, ut animantes essent ratione praediti, nulla Dei gratia ornati. Nam ut in barbaris silvestribusque nationibus pars magna stupiditatis, totaque miseria fit propter originalis justitiae privationem; est certe aliquid quod ex natura sequitur; quippe apud quas infantes, adeoque imbecilli, omniumque imperiti nascuntur homines. Deme quae Adami naturae addidit gratia, ecquem in eum futurum fuisse putes? Felicitatis, inquit (lib. 1. c. 1.) amantem, non abnuo: nam ejus etiam bruta quodammodo sunt, quae tantopere dolorem refugiunt. Illud rogo, cujus? Supernaturalis non puto: id enim gratiae est: naturalis igitur; eoque naturae legibus subjecti. Sed enimvero illam gratiam debuit ne Deus primo homini, peccaturus contra universi legem, nisi largiretur? Non ergo, inquam, gratia, sed naturae proprietas: nam quo alio *naturam* a *gratia* secernamus? Ut si Geometra

ex

esset, plantas, reptilia, quadrupedia non lamentari suum, servareque constanter, nos quia præcellentiori ratione præditi, indignari nostrum? Si qui vero est, qui id efficere non potuisse Deum, ac postquam nos tam longe supra bruta posuisset, non sine improbitate destinare omnimodo, ut belluas, interitui, certo demonstrare se posse confidit, eum virum longe divinum habebo (1). Sed hasce hypothe-

ctuosa. Si essemus lapides, aut fluctus, aut ventus, aut flamma: vel quid ejusmodi, sine ullo quidem sensu atque vita, non tamen nobis deesset quasi quidam nostrorum locorum atque ordinis appetitus.

(1) De potentia ago *physica*, ut vocant, *non morali*; seu (quod idem mihi est) de *absoluta potentia*, non *ordinata*. Hominem *in puris*, ut ajunt, *naturalibus* a Deo condi potuisse, tota ferme recens theologorum schola arbitratur. Eam opinionem velut parum a Pelagiana hæresi abludentem tribus integris libris satisque ponderosis Episcopus Iprensis Cornelius Jansenius vexavit: id nullo modo a Deo effici potuisse contendit, quod ego non *decuisse* dixissem. Augustinum, cui nescio utrum ea quæstio umquam venerit in mentem, in partes, velit, nolit, trahit. Is scilicet mos est disputantium. Hujus ego Hominis ingenium studiumque facio plurimi, fecique semper. Sed, quod in hujuscemodi controversiis inique fieri jamdudum consuevit, haud probabo, attribuisse non raro Augustino pluscula, quæ, si ille revivisceret, miraretur se aut dixisse olim, aut sentire potuisse. Tum sunt haud dubium multa satis illa cruda, ac Deo, homineque indigna, quæ jure Romanæ sedis censuram commeruerunt. Haud inficiatus fuero nemini studiosius Augustini libros lectos fuisse: a nemine cribratos diligentius, versatosque sæpius: nihil homini propositum, nisi bonæ causæ servire, quam vetustatis imperiti nonnulli prodire videbantur, etiam cum defenderent. Sed erat homini ingenium paullo severius, iratiusque atque acerbius in scholas, quam æquum hominem, ac tempora addeceret. Atque ut acescentibus stomachis acida gratiora, dominantique bili, ut medicorum ajunt filii, acria, cruda, acerba perplacent; ita ille nullis Augustini sententiis, ac dictis impensius, ingenii, credo, morumque duritia quadam, oblectatus est, quam rigidi[illegible] ribus, quæ interdum, quod molli[illegible] adhuc viderentur, horridiora [illegible] amavit, & finxit, meo, ne [illegible] ille dixerit. Qua in re & inimi[illegible] te indole peccavit aliquid, & [illegible] dicio plurimum: neque enim [illegible] Augustinus fuit alicubi, nece[illegible] te causæ, quam tuebatur, [illegible] vehementior, asperiorque, in [illegible] pari multo causa imitandus fue[illegible] aut mitissimus natura studiisque [illegible] ctor accendendus etiam ultro [illegible] horride opinari cogendus: qua[illegible] quidem is ipse id & animad[illegible] rat, & monuerat, & [illegible] causa deservisset, placatius [illegible] tius esse opinatus. Liceat [illegible] hi dicere & accidere interdum [illegible] lo fato, ut nimio discipulorum [illegible] dio in invidiam doctores [illegible] commeriti sunt, vocentur; [illegible] stino sanctissimo doctissimoque [illegible] præter controversiam, inter [illegible] olim, atque nuper; ut tum [illegible] homines adeo calumniosi in [illegible] tesque, qui tamquam Mani[illegible] traducerent (vide Aug. lib. [illegible] ris imperfecti, & hunc ipsum [illegible] sen. in hist. Pelagiana); [illegible] rint superiori sæculo, qui C[illegible] mi insimularent. Ac vero [illegible] quam tam Reipublicæ philo[illegible] imperitus, ut veteres, rec[illegible] Auctores legendo non sæpe [illegible] quam fuerint Platonici Plat[illegible]

theses mittamus. Quum id, quod fingimus, etsi potuerit Deus,

A a 2

tonissores, stoiciores Zenone Stoici? Aristotele aristoteliciores Peripatetici? Jam Galilæi discipuli multo fuere illi Galilæi magis, etiam cum magistri doctrinas defendere se opinarentur: multoque item magis Cartesii sectatores Cartesiani, Newtoni, newtoniani, Leibnitii Leibnitiani. Sed & in Theologorum idipsum scholis factitari cognitum exploratumque est. Nam Durandus, ut exempli id loco dicam, & Cajetanus, viri haud dubium præcellentis ingenii, multo fuere illi sæpe magis thomistici, quam Thomas Aquinas. Quot Scoto scotistiores? Aures ego, scio, crispabo tuas, quisquis has nugas legis, [illegible]tianisque hominis ludibria: sed [illegible], quæso, animadvertas, hanc hujusce regionis, quam Dialectici, Metaphysicique incolunt, esse linguam, itaque propriam, ut Atticis Atticam, Latinis Latinam. Non hetrusco rotundoque ore Florentinis loquaris? non [illegible] Itaque & Britannum blæsa[illegible] Londini. Hic scholastico, [illegible] arabico [illegible] loqui [illegible] est. Sed eo, unde discessimus, redeamus. Quo igitur elevatior cuique animus, & grandior [illegible] scientiisque ingenium, eo [illegible] minus adhæret [illegible] aut subtilius excogitare [illegible], aut eloquentius [illegible] dicere. Velut in hac [illegible] Augustinus numquam dicit [illegible] nil naturalis in hominibus peccatum perstitisse, [illegible] est dicere, homines, [illegible] non fuisse filios [illegible] tract. 1. 10). Si igitur [illegible] filios generassent, [illegible] infantulos oportuit, & [illegible] & nasci. Quo vero [illegible] fuissent? Mala omnia [illegible] subjecti veteri [illegible] mus abesse: locum [illegible] fuissent, et gratia [illegible] privilegio. Sed illud [illegible] Iprensem Episc[illegible] illo die corpore [illegible]

infantes ejuscemodi essent, membris nondum firmis, musculorum, nervorum, ossium vi destituti, nullis adhuc in ore dentibus, aut plane robusti, integroque juventutis flore? Lac ne suxissent, necne? Matrum ope atque auxilio eguissent? Quo ingenio ac animo fuissent? Hæc me ignorare, hominem hisce in rebus satis peregrinum, idiotam, planeque truncum, ultro fateor. Puto tamen, si Augustinum rogare liceret, haud illum negaturum, naturam, etsi primæva *justitia* orbatam, adeo originali peccato fœdamque totam tamen esse in nobis, futuramque in illis fuisse, qui ab innocentibus fuissent nati, [illegible] licet, sanctam, rectam, puram adhærescentem, soloque & Deo [illegible]gio, non lege corporum, privilegio exemtam. Ex hac ergo, a malis hominibus et primo statu, quæ in[illegible]tera, aut naturæ parte devecta est, conjicere illud possumus, quid homines futuri fuissent, si ita fuissent procreati, ut animantes essent ratione præditi, nulla Dei gratia ornati. Nam ut in barbaris silvestribusque nationibus pars magna stupiditatis, totaque miseria sit propter originalis justitiæ privationem; est certe aliquid quod ex natura sequitur; quippe apud quas infantes, adeoque imbecilli, omnioque imperiti nascuntur homines. Deme quæ Adami naturæ addidit gratia, ecquem in eum futurum fuisse putes? Felicitatis, inquit (lib. 1. c. 2.) amantem, non abnuo: nam esse etiam bruta quodammodo sunt, quæ tantopere dolorem refugiunt. Illud rogo, cujus? Supernaturalis non puto [illegible] turalis [illegible] est: na[illegible] legi[illegible] illam [illegible] ho[illegible]

[illegible]s … is … ia. … io. … er- … ius … la. … erit … nisi … mu- … non … omnes … gra- … , de … quod … : de … spicari … terdum … , me … & perti- … rioris il- … s, iique

esset, plantas, reptilia, quadrupedia non lamentari suum, servareque constanter, nos quia præcellentiori ratione præditi, indignari nostrum? Si qui vero est, qui id efficere non potuisse Deum, ac postquam nos tam longe supra bruta posuisset, non sine improbitate destinare omnimodo, ut beluas, interitui, certo demonstrare se posse confidit, eum virum longe divinum habebo (1). Sed hasce hypothe-

ctuosa. Si essemus lapides, aut fluctus, aut ventus, aut flamma: vel quid ejusmodi, sine ullo quidem sensu atque vita, non tamen nobis deesset quasi quidam nostrorum locorum atque ordinis appetitus.

(1) De potentia ago *physica*, ut vocant, *non morali*; seu (quod idem mihi est) de *absoluta potentia*, non *ordinaria*. Hominem *in puris*, ut ajunt, *naturalibus* a Deo condi potuisse, tota ferme recens theologorum schola arbitratur. Eam opinionem velut parum a Pelagiana hæresi abludentem tribus integris libris satisque ponderosis Episcopus Iprensis Cornelius Jansenius vexavit: id nullo modo a Deo effici potuisse contendit, quod ego non *decuisse* dixissem. Augustinum, cui nescio utrum ea quæstio umquam venerit in mentem, in partes, velit, nolit, trahit. Is scilicet mos est disputantium. Hujus ego Hominis ingenium studiumque facio plurimi, fecique semper. Sed, quod in hujuscemodi controversiis inique fieri jamdudum consuevit, haud probabo, attribuisse non raro Augustino pluscula, quæ, si ille revivisceret, miraretur se aut dixisse olim, aut sentire potuisse. Tum sunt haud dubium multa satis illa cruda, ac Deo, homineque indigna, quæ jure Romanæ sedis censuram commeruerunt. Haud inficiatus fuero nemini studiosius Augustini libros lectos fuisse: a nemine cribratos diligentius, versatosque sæpius: nihil homini propositum, nisi bonæ causæ servire, quam vetustatis imperiti nonnulli prodire videbantur, etiam cum defenderent. Sed erat homini ingenium paullo severius, iratiusque atque acerbius in scholas, quam æquum hominem, ac tempora addeceret. Atque ut acescentibus stomachis acida gratiora, dominantique bili, ut medicorum ajunt filii, acria, cruda, acerba perplacent; ita ille nullis Augustini sententiis, ac dictis impensius, ingenii, credo, morumque duritia quadam, oblectatus est, quam rigidioribus, quæ interdum, quod mollia adhuc viderentur, horridiora & amavit, & finxit, metu, ne satis ille dixerit. Qua in re & immitiore indole peccavit aliquid, & judicio plurimum: neque enim si Augustinus fuit alicubi, necessitate causæ, quam tuebatur, paullo vehementior, asperiorque, in dispari multo causa imitandus fuerat, aut mitissimus natura studiisque doctor accendendus etiam ultro, ac horride opinari cogendus: quandoquidem is ipse id & animadverterat, & monuerat, & cum tota causa deferbuisset, placatius ac mitius esse opinatus. Liceat hic mihi dicere & accidere interdum malo fato, ut nimio discipulorum studio in invidiam doctores præclari commeriti sunt, vocentur; & Augustino sanctissimo doctissimoque viro præter controversiam intervenisse olim, atque nuper; ut tum essent homines adeo calumniosi impudentesque, qui tamquam Manichæum traducerent (vide Aug. lib. 1. operis imperfecti, & hunc ipsum Jansen. in hist. Pelagiana); & fuerint superiori sæculo, qui Calvinismi insimularent. Ac vero est quisquam tam Reipublicæ philosophicæ imperitus, ut veteres, recentesque Auctores legendo non sæpe senserit, quam fuerint Platonici Platone pla-

theses mittamus. Quum id, quod fingimus, etsi potuerit

Aa 2 Deus,

tonissiores, stoiciores Zenone Stoici Aristotele aristoteliciores Peripatetici? Jam Galilæi discipuli multo fuere illi Galiani magis, etiam cum magistri doctrinas defendere se opinarentur: multoque item magis Cartesii sectatores Cartesiani, Newtoni, newtoniani, Leibnitii Leibnitiani. Sed & in Theologorum idipsum scholis factitari cognitum exploratumque est. Nam Durandus, ut exempli id loco dicam, & Cajetanus, viri haud dubium præcellentis ingenii, multo fuere illi sæpe magis thomistici, quam Thomas Aquinas. Quot Scoto scotistiores? Aures ego, scio, crispabo tuas, quisquis has nugas legis, otiantisque hominis ludibria: sed tu, quæso, animadvertas, hanc hujusce regionis, quam Dialectici, Metaphysicique incolunt, esse linguam, itaque propriam, ut Atticis Atticam, Latinis Latinam. Non tu hetrusco rotundoque ore Florentiæ loquaris? non μυντηρίζοντε Parisiis? Itaque & Britanno blesoque Londini. Hic scholastico, sæpeque arabico frendenteque loqui moris est. Sed eo, unde discessimus, redeamus. Quo igitur elevatior est cuique animus, & grandius, prospicientiusque ingenium, eo magistro minus adhæret tenacius, illo aliquid aut subtilius excogitare paratum, aut eloquentius, vehementiusque dicere. Velut in hac quæstione, Augustinus numquam dixisset, nihil naturalis in hominibus post peccatum perstitisse, is, qui veritus est dicere, homines, nisi peccassent, non fuisse filios habituros (Retract. 1. 10). Si igitur etiam integri filios generassent, & concipi infantulos oportuit, & utero gestari, & nasci. Quo vero in statu nati fuissent? Mala omnia, quibus nunc subjecti veteri noxa sunt, jubeamus abesse: locum illa non habitura fuissent, ex gratia tamen, ac privilegio. Sed illud quæsiverit quispiam Iprensem Episcopum, imbecillo ne corpore nati infantes ejuscemodi essent, membris nondum firmis, musculorum, nervorum, ossium vi destituti, nullis adhuc in ore dentibus, an plane robusti, integroque juventutis flore? Lac ne suxissent, necne? Matrum ope atque auxilio eguissent? Quo ingenio ac animo fuissent? Hæc me ignorare, hominem hisce in rebus satis peregrinum, idiotam, planeque truncum, ultro fateor. Puto tamen, si Augustinum rogare liceret, haud illum negaturum, naturam, etsi primæva *justitia* orbatam, fœdamque adeo originali peccato ac reatu, totam tamen esse in nobis, futuramque in illis fuisse, qui ab innocentibus fuissent nati, puram licet, sanctam, rectam, & Deo adhærescentem, soloque privilegio, non lege corporum, a malis exemtam. Ex hac ergo, quæ in hominibus ex primo statu, aut natura, aut naturæ parte devecta est, conjicere illud possumus, quid homines futuri fuissent, si ita fuissent procreati, ut animantes essent ratione præditi, nulla Dei gratia ornati. Nam ut in barbaris silvestribusque nationibus pars magna stupiditatis, totaque miseria fit propter originalis justitiæ privationem; est certe aliquid quod ex natura sequitur; quippe apud quas infantes, adeoque imbecilli, omniumque imperiti nascuntur homines. Deme quæ Adami naturæ addidit gratia, ecquem in eum futurum fuisse putes? Felicitatis, inquit (lib. 1. c. 1.) amantem, non abnuo: nam ejus etiam bruta quodammodo sunt, quæ tantopere dolorem refugiunt. Illud rogo, cujus? Supernaturalis non puto: id enim gratiæ est: naturalis igitur; eoque naturæ legibus subjecti. Sed enimvero illam gratiam debuit ne Deus primo homini, peccaturus contra universi legem, nisi largiretur? Non ergo, inquam, gratia, sed naturæ proprietas: nam quo alio *naturam* a *gratia* secernamus? Ut si Geometra

ex

Deus, non tamen voluit; sed præclara potius gignere conditione, & ad immortalitatem, atque æternam beatitudinem destinare, aliquo licet cum fœdére; nosque fœdus, primamque legem violaverimus; inique præsentem vitam accusamus. Servasses pacta, ait ille: in fide stetisses: legem primævam sancte coluisses; sciebas, nisi illa fecisses, hæc tibi casura. Quæ justa quærelæ ratio?

Sed fuit aliud permittendi consilium; *ordo* nimirum *justitiæ*: ei enim locum fecit mentium dæmonumque perduellio (1). Itaque postquam primum scelus erupit, tres jam ordines res humanas comprehendunt, aguntque, *naturæ*, qui melius est: *gratiæ*, qui superior: *justitiæ*, qui inferior. Primus totum mundanum imperium continet: ejus finis est constantia, æquabilitas, pulcritudo naturæ. Quæ ei accidunt naturalia sunt omnia. Alter mentes prædestinatas comprehendit: has divinus favor, ac cælestis gratia movet regitque: finis æterna beatitas. Nihil huic accidit, nisi supernaturale. Postremus homines Angelosque reprobatos: hos & prima deseruit gratia: deseruit victrix illa dominansque Salvatoris: vitam, ut pecora, per scelera Deique negligentiam transigunt; æternisque cruciatibus destinati sunt. Naturæ ordine Dei & sapientia, & providentia, & omnipotentia explicatur: ordine gratiæ misericordiæ thesauri panduntur: justitiæ imperium Dei, & naturæ in utramque partem constantiam, & æternæ legis immutabilitatem, violatique divini juris vindictam patefacit. Bonus ne Deus, inquit aliquis, cum tam immani consilio? Imo summe bonus; bonum est enim justitia; eaque summe, quam nihil corrumpere queat. Cui, inquit, bono, tam atrocia, atque infinita tormenta? Adeone tam inhumani theologi, ut cum de nostris simus avari, de Deo fuerimus avarissimi? Nam Tertulliani verbum est, *Deus de nostro justus, de suo misericors.* Quasi

ex geometricis rationibus facturus quadratum, triangulum describere paret, poscet profecto ab eo Geometria, ut quadratum efficiat: sed ut argento aurove pingat, ut gemmis ornet, ut parvum, aut grande efficiat, id non poscit: gratiosus est, si addat. Si tu hæc dicas quadrato ad figuræ integritatem deberi, jam non gratiosus, sed sciens peritusque addet; insciens, imperitusque futurus, si omittat. Christianum dogma est, primos homines gratiæ debuisse, quod Deum amarent, atque velut æternæ felicitatis metam spectarent; non igitur a natura. At si gratia, jam non debita: potuere ergo, dicet aliquis, in pura natura condi. Sed cui hæc nunc inania bona disputamus?

(1) Explicat id copiose Augustinus in lib. de ordine. Syste-

Quasi vero non de universo, sed de nostris civitatibus ac Rebuspublicis agatur. Nam Deo id est bonum, quod sempiternæ ejus naturæ congruit, quod cum mundo, ejusque ordine & fine consentaneum est. Quid, ait, illa discretio? Cur cum omnes rei, tam pauci liberantur? Hic Augustinus illud exclamare jubet, *o quam incomprehensibilia judicia Dei! Tu quis es, qui respondeas Deo?* judicio fit, profundo licet, sed justo (1).

Illa nunc hominis peracuti exponenda est theoria qua hic regi nos arbitratur, bonorum, malorumque fontem & legem, quam ille, quasi si moralem Newtonianismum tradere vellet, *attractione* peragi existimet, animorum tamen & libera. *Omnia*, inquit (a), *ponderibus suis* agun-

(a) *Confess. & de Civ. Dei* XI. 28.

mate complexus est auctor epistolarum *sur la Religion essentiale*.

(1) Augustini aperta, nec vero ulli tergiversationi subjecta sententia est, *naturam esse communem, non gratiam:* magnam hominum partem penitus ea destitui orbarique: idque veteri ex culpa. Privari quin ea potuisse omnes: si qui igitur servantur, divinæ esse benignitatis. Prome, inquit, rationem ejusmodi discriminis. Loco hic responsionis illud fuerit Œdipi apud Sophoclem præclare ac divinitus dictum

Δικαι, ελεξας· αλλ' αναγκασαι θεως,
Αν μη θελωσιν, ουδ' εις δυναιτ' ανηρ.
Recte dixisti: sed cogere Deos,
Si non ipsi velint, nemo potest.

Molliuscule aliquando videtur opinatus S. Thomas Aqu. omnibus enim sua dona largiri Deum, quibus credere, ac virtutem sequi possint interdum opinatur: sui tamen amore, hujusque vitæ rerum fieri, ne recta atque honesta sequantur. Qua de re dictum est alibi. Sed venit hic in mentem illustris Paulli loci, quem gratiæ illius peculiaris ita quidam auctorem faciunt, ut negent omnibus nunc a Deo prospici consulique. Ad Romanos igitur ille scribens cap. x. ait, *non enim est distinctio Judæi & Græci:* ne Judæi igitur quidem & Tartari, Judæi & Americani. Cur ita, inquis? *Nam idem dominus omnium*: an alius Judæorum, alius Tartarorum? Alius Judæorum, alius Americanorum? *Dives in omnes, qui invocant illum.* De Adæ liberis loquitur. Omnes igitur invocare POSSUNT id poscit argumenti vis & ratio. Fac esse, qui nequeant; tota jam argumentatio & fundamento caret, & conclusione. At nemo, nisi Deus adjuvet, potest; omnibus ergo sua munera largiri Deum supponit Apostolus. Hæc beant. Sed illa perterrefaciunt, quæ tellus fat plura, quæ reponere possis, præsefert exempla. Quid igitur? Mihi nihil occurrit neque planius neque expeditius, nisi ut opiner, & dari omnibus ea munera a Deo; & nostræ interea, non Dei, esse culpæ, cur non omnes æque sapienter utamur: esse *gratias*, ut ajunt, *possibilitatis*, de quibus hic contendo. Certe est quod minus intelligo in homine: de generali Dei bonitate qui suspicari possum? Itaque subirascor interdum mihi ipse cum animadverto, me adeo esse imbecilli animi & pertimidi, ut nequeam cum prioris illius sententiæ judicibus ire, iique mihi ignoscant oro.

aguntur: pondus meum amor meus: illo feror, quocumque feror. Alibi: *nam velut amores corporum momenta sunt ponderum, sive deorsum gravitate, sive sursum levitate nitantur:* ita enim corpus pondere, sicut *animus amore fertur, quocumque fertur.* Quasi si dicat; quemadmodum planetæ circa solem & feruntur, & in gyro perseverant gravitatis lege, eaque sunt a Sole distantia, quæ cujusque gravitati congruat; ita circa Deum amore mentes, tametsi libere, rapiuntur & versantur; quid est enim amor nisi gravitas quædam moralis (1), ut illa est Planetarum mechanica? Sed ut in Planetis duæ insunt vires, *centripeta* una, altera *centrifuga*; ita duo in mentibus amores, *Dei*, & *sui*; quorum ille vis est centripeta, hic centrifuga: illo enim pertrahimur ad Deum mentium omnium & centrum & finem: hoc ad nos, ac abs Deo adeo retrahimur, tantoque longius, quo major ac vehementior. Prior ille amor, Deique dilectio, ac delectatio, civitatem Dei, idest eorum, qui & e damnata massa delecti, atque prædestinati ad æternum regnum sunt; & a Deo rapti, sive Angeli, sive homines; posterior civitatem diaboli, eorum nimirum, qui prave sua ratione atque appetitu semel usi desciverunt a Patre & Rege, Deique alto judicio superna illa delectatione destituti, ac deserti sunt, idest in *reprobum sensum traditi*, ut ait Apostolus, totaque massa damnati (2). *Fecerunt*, inquit, *civitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui usque ad contemtum Dei: cælestem vero amor Dei usque ad contemtum sui* (a). Civitas illa Dei & cælestis astris, ut ita dicam, tota constat, & Soli propioribus & concentricis, & fulgentibus: planetis hæc, Diaboli, excentricis, longeque vagantibus atque nigricantibus, ut non inscite quis Cometis æquiparaverit. Sed & hoc quoque ejuscemodi morale mundi systema est corporeo adfine, quod ut in corporeo vis centrifuga insita est, centripeta, ut multis placet, a solis attractione: ita in morali φιλαυτια, *sui amor*,

---

(a) *De Civit. Dei lib.* XV. 28.

(1) Hinc illud Evangelicum: *nemo venit ad patrem, nisi pater . . . traxerit eum.*

(2) Theoriam hanc *massæ*, ut ajunt, *damnatæ*, ac *prædestinationis* non ex veteri, ne Augustini quidem, regula, in scholas invasisse, esseque adeo improtectam, remque altius, aliisque ex initiis repetendam expediendamque, magno ac subtili & docto opere commolitur... P. Briarius Lucensium Monachorum magnique ingenii theologus, mihique multis nominibus percarus.

amor, quo a Deo rapimur longe, e cujusque est natura, propriaque voluntate: at illa Dei dilectio & cælestium delectatio, Deo fit trahente, inspiranteque; qui nisi cælitus persiet, centrifuga tantum vis nos agitat atque propellit.

Quibus ex rebus potest illud intelligi, neminem ad Dei civitatem pertinere, nisi qui illo Dei divinarumque rerum amore, illa delectatione futuræque fruitionis spe se accendi & incitari persenserit: qui Dei ac divinorum incuriosus est, negligens, contemptorque: qui nullo earum rerum amore tangitur: qui totus & profanus est, & iis sese oblectat, quæ sensus titillant: qui summum, postremo bonum in corporis voluptate, mundique hujusce fruitione ponit, is sciat, quamdiu ita moratus fuerit vixeritque, ad Diaboli civitatem pertinere. Cujus quod indicium habere & præclarum argumentum possimus? Hoc inquit. Qui nihil in bonis habet nisi virtutem, cujus Deus & principium sit, & finis; qui nulla re alia delectatur magis; nihilque vehementius & studiosius colit; divinæ ille civitatis civis est: nam si in illa tantum vera est felicitas; ea sunt vera bona, quæ eo ducunt: sola autem ducit virtus, quam ille *justitiam* vocat, generalem nempe; virtus igitur tantum in bonis est. At hæc, valetudo, corporis vires, opes, fortunæque bona cetera, haud in bonis, sed in mediis, habenda esse, prorsus ut Stoici, ducit (1). Itaque illud decernit Stoicorum nihil in bonis habendum, iisque, quibus vita fit beata, nisi, quæ amitti nequeant. Cicero. *An dubium est, quin nihil sit habendum in eo genere, quo vita beata completur, si id possit amitti? Nihil enim inveterascere, nihil extingui, nihil cadere debet eorum, in quibus vita beata consistit: nam qui timebit, ne quid ex his deperdat, beatus esse non poterit: volumus enim eum, qui beatus sit, tutum esse, inexpugnabilem, septum atque munitum: non ut parvo metu præditus sit, sed ut nullo* (a). Quæ ille in libris de libero arbitrio alibique probat. Sed & probat hoc, quod Cicero hoc sorite concludit (b). *Atque etiam omne bonum lætabile est: quod autem lætabile, id prædicandum & præ*

(a) *Tusc. disp.* v. 14.
(b) *Ibid. cap.* 15.
(1) Disputat hæc plurimis & in libris *de libero arbitrio*, & *de civitate Dei*, & alibi sæpe.

se ferendum: quod tale autem, id etiam gloriosum: si vero gloriosum, certe laudabile: quod laudabile autem, profecto etiam honestum: quod bonum igitur, id honestum. At quæ isti bona numerant (corporis, fortunæque) *ne ipsi quidem honesta dicunt; solum igitur bonum, quod honestum: ex quo efficitur, honestate una vitam contineri beatam. Non sunt igitur ea bona dicenda nec habenda, quibus abundantem licet esse miserrimum.* Est porro vera honestas idem, quod vera virtus; & vera virtus amor Dei, sui vero contemptio; hoc igitur amore vita continetur beata. At qui homines illo amore carent, etiam in magna mediorum bonorum affluentia sunt miseri. Jam corporis, & horum, quæ diximus, bonorum cupiditas, iisque parta voluptas, ab illo amore abstrahit, provolutatque cœno, & humi affigit *divinæ particulam auræ;* hæc igitur non modo in malis est, sed malorum omnium radix eadem & nutritius humor (1). Est igitur quidam ac verus stoicus christianismus; non ille quidem e Stoa superbiæ adrogantiæque alumnus; sed e cælo, atque idcirco divinæ caritatis pædagogus.

Jam videamus, quem in locum Augustinus deportatos dæmones esse dicat. Petrus Apostolus (*a*) *detractos in tartarum* scribit. Ubinam gentium hujuscemodi tartarus? Caliginosum hunc circa terram aerem interpretatur vir sanctissimus (*b*). In Enchiridio, *in hujus aeris imam caliginem de superna cælesti habitatione dejectos* ait. Enarrat. in Psalmum 149. de Petri loco agens, *infernum hic appellans, quod inferior pars mundi sit.* Quæ totius Ecclesiæ vetus traditio est, ut ostendit Petavius (*c*). Certe Hieronymus com-

---

(a) *Epist.* II. *cap.* 2. *v.* 4.

(b) *De Genesi ad litt.* III. 10. *In Psalm.* 149. *De Civit. Dei* VIII. 22. *in Enchir. cap.* 28.

(c) *De Ang. lib.* III. *cap.* 4.

(1) Retulit Gellius Noct. Att. IX. 5. Taurum philosophum, quoties facta mentio Epicuri esset, in ore atque in lingua habere solitum verba hæc Hieroclis Stoici, *viri*, inquit, *sancti & gravis*, *ἡδονη τελος, πορνης δογμα: ουκ εστιν πορνειον, ουδεν πορνης δογμα*, *i. voluptatem* bonorum malorumque constituere *finem lupæ dogma est: itaque si nulla sint lupanaria, ne lupæ quidem erit dogma* istud. Quamquam ego, ita, ut is accipit, & falsum arbitror, & frigidum, nullaque commendatione dignum. Nec ego tamen nego voluptatem corporis magnum esse ad vitia incitamentum: sed puto tamen esse aliam puriorem sanctioremque, quæ animi dicitur.

commentario in epistolam Pauli ad Ephesios enarrans illa verba capitis VI. *adversus mundi rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ, in cælestibus*, vocabulum *cælestium* de aere interpretatur: additque: *hæc autem* OMNIUM DOCTORUM *opinio est, quod aer iste, qui cælum & terram medius dividens inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus*. Quæ post ea tempora perduravit. Cassianus, *tanta*, inquit, *spirituum densitate constipatus est aer iste, qui inter cælum terramque diffunditur, in quo non quieti, nec otiosi pervolitant, ut satis utiliter humanis adspectibus eos providentia divina absconderit atque subtraxerit*. Tenuere idem scholæ primipili, Lombardus, quem *sententiarum magistrum* rudis ætas vocavit, ejusque interpretes, in primis S. Thomas; nisi quod partem torquendis humanis animis inferius locent. In hoc igitur tartaro futuro post judicii diem igni tradendi servantur: qui ignis quo in loco futurus sit ignorare se dicit Augustinus. *Judicatis*, inquit, *his, qui scripti non sunt in libro vitæ, & in æternum ignem missis* (*qui ignis* CUJUSMODI, ET IN QUA MUNDI VEL RERUM PARTE FUTURUS SIT, *hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui spiritus divinus ostendit*) *tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium* (a).

Tartara igitur inferosque locos hanc esse terraquei globi crustam, ut ita dicam, imumque ac tenebrosum aerem non Origines modo, sed & Augustinus ipse & veteres Patres alii credidere. Tartaros certe, ταρταρος, ac, ταρταρα, a ταρασσω est; *turbo, terreo*. Quid autem circumfluo hoc circa tellurem aere turbatius? quid sæpe terribilius? Sed & *tenebrosum tartarum* vocant Homerus, atque Hesiodus, ταρταρον ηεροεντα: *nigra tartara* Virgilius, quod epitheton sane quadrat in aerem, si cum superioribus locis conferatur. Interea Homerus, Tragicique Græci Poetæ, ut & Virgilius Latinique alii, in telluris visceribus, alii altius, alii haud multum infra superficiem, *orcum, tartarum, inferos, erebum, Ditis*, seu *Plutonis* sedes, *regna invia vivis*, posuere. Hinc ενεροι, *mortui*, quia sub terra. Inde evocat umbras Ulysses (*b*): eo pergit Æneas

(a) *De Civit. Dei* XX. 16.
(b) *Odyss. At Il.* VIII. 13. 14. *tartarum barathro secernit.*

Æneas (*a*). Sed & idem docuit Plato (*b*). Eo primum Herculem deduxit Euripides: eo ridicule Bacchum demittit, Sophoclem extracturum, Atticus Comicus (*c*). Idem vero lepide ludit in *Charonte* Lucianus, seu eo sermone, quem ἐπισκοποῦντες, *contemplantes*, præscripsit: qui & ejus loci pœnas, prorsus ut Virgilius, item deridendo, ut solet, particulatim commemorat in περὶ πένθους, *de luctu*; quem, qui volet, legat. Hesiodus, qui copiose tartara in Theogonia, atque diserte descripsit, aliquanto inferius, quam reliqui, statuit: is enim, quæ vetus erat Astronomia, telluris basim in infinitum exporrectam existimavit, credíditque, ac adeo, ut tartara tantum sint deorsum infra, quantum sursum, eminet cælum, Homerum imitatus est Iliad. VIII. v. 13. & 14.

Τόσσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς, ὅσον οὐρανός ἐσ' ἀπὸ γαίης

Tantum infra sub terram, quantum cælum distat a terra. Hanc nos Christiani, inquam, communem opinionem, potius, quam illam alteram, vulgo sectati sumus (1): & eam gravissimi theologi, non ut fidei decretum, sed tamen velut satis probabile arbitramentum, disputant; quo modo Aristoteles id probabile dicit, *quod aut omnibus, aut pluribus videtur*. Quid ergo causæ fuisse dicemus, quod cum Kingk veterum Patrum sententiam veriorem reputasset (*d*), essetque amplexatus, tantopere ei plures subirascerentur?

Atque hæc tantorum virorum est super bonis malisque philosophia. Si quis nunc quærat, quo in loco habuerit Augustinus eas, quas divini consilii rationes protulit, haud ille dubitat profiteri, se opinari non *scire*: *sermonem longum* vocat; *quæstionem obscurissimam*: *alta Dei judi-*

(a) *Æneid.* VI.
(b) *Plato* . . .
(c) *Aristophanes in Ranis*: *&* *Eurip. in Herc. fur.*
(d) *De origine mali.*

(1) Docte hoc admodum, præclareque, ut solet, & enucleat, & graviter tuetur Liberatus Fassonus, *Piarum Scholarum* insignis, numerisque omnibus absolutus theologus, virque mihi amicissimus, ac σεβαστός, in ea Dissertatione, quam nuper edidit adversus Buddæum, de Christi ad inferos adventu pag. 22. quo in loco & vim vocis ἅδης acute vereque, atque & ex Græci sermonis genio secundum Eustathium promit.

judicia, abditaque (1). Quod nobis relinquitur, est conjicere, arbitrarique, & in eo studere, ut & bonis Christianis prodesse possimus, & Manichæorum retundere audaciam. Sed cum duo sint totius hujusce dogmatis capita, quorum alterum est ordo mundi; alterum ordo justitiæ; neutro plene satisfecit junioribus theologis; suntque eas ob res ingentes in scholis exciti tumultus, quorum tam vulgata est historia, ut nemo sit tam in Repub. litteraria hospes, qui non probe sciat. Nam hoc, permisisse mala Deum, quia universi ordini & perfectioni serviunt; quod & is ait sæpe, & Sanctus Thomas (*a*), non videtur probasse Estius (*b*) gravis in primis, eruditusque theologus, neque alii plures: hæc enim justitia, quæ justis pœnis constat, peccatum sequitur; neque ullus sibi persuadebit, in *antecedentibus*, ut ajunt, *Dei decretis* id obtinere potuisse. At illud, quod ex *integritate* & complemento universi ducitur rationis filum (*c*), ita revellunt, ut dicant, quod Thomas sæpe aperte, non peccata, neque rebelles mentes ad complementa universitatis pertinere, sed eam potentiam ac facultatem, quæ deficere possit: hujusmodi enimvero mentes suum habere in mundo omnium rerum generibus instructo locum debuere. Habuere igitur. Sed, rogant, insontes ne mundum ornabant melius, an rebelles perversæque? Hoc dictu nefas. Cur igitur permissum illud? Hic nodus. Id vidit Augustinus, sæpeque lamentatus est. Quid igitur? *Inscrutabilia sunt Dei judicia, & investigabiles viæ ejus*. An, quod is sæpe scribit, *ut prius ostendere quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid sua gratiæ beneficium, justitiæque judicium* (*d*)? Quæ vero hujus consilii ratio? an ut id experimento & periculo suo perdiscerent procreati animi? Premamus hæc silentio, neque, si inscrutabilia sunt, audacissime retegere pertentemus.

Sed illæ ei cum Pelagianis molestæ fuere turbæ atque acerbæ contentiones. Peccaverit Adam, inquiunt illi:

(a) *De malo q.* III. *art.* 1. *ad* 3. *alibique*.
(b) *In* I. *sent. dist.* XXXXVI. §. 8.
(c) *Vide de Genesi c. Manich.* I. 16: *&* II. 29. *extremo*.
(d) *De correct. & grat. cap.* 17.

(1) Sæpe in libris de *libero arbitrio*, & de *ordine*. Adde confessiones. De Civit. Dei XX. 1. his Pauli verbis ad Rom. XI. v. 33. respondit: *Inscrutabilia sunt judicia Dei, & investigabiles viæ ejus*.

illi: sui erat juris. At quî peccare poterant filii nepotesque, nosque mortalium ultimi, qui aut id temporis non eramus, aut si quidem eramus, nec mentis nec rationis esse potuimus compotes? Peccare ne in eo etiam possumus, quod velle nequimus? aut velle id possumus, quod honestum ne, an turpe sit, nullo pacto scire possumus? At peccatores nascimur. Non igitur libera voluntas mala ac pervicax in nobis est, sed natura. Quæ si adeo est, non ille injustus, qui id punit, quod pravum creavit? Hîc Julianus impotenter fuit, tantumque ac tam sanctum virum Manichæis omnibus & in nos iniquiorem, & in Deum infestiorem habere, milleque modis velut impium traducere, nec timet, nec erubescit. *Si nullum est*, inquit debacchans (a), *sine voluntate peccatum: si nulla voluntas, ubi non est explicata libertas: si non est libertas, ubi non est facultas per rationem electionis; quo monstro peccatum in infantibus invenitur, qui rationis usum non habent? Igitur nec eligendi facultatem, ac per hoc nec voluntatem: atque his irrefutabiliter concessis, nec aliquod omnino peccatum. His igitur molibus pressus, videamus quo eruperis.* Nullo, *inquis*, peccato parvuli premuntur suo, sed premuntur alieno. *Nec dum claruit quid mali sentias. Suspicamur enim te ad invidiam cujuspiam hominis, cuius iniquitatem ut pœnus orator exprimeres, hac in medium protulisse. Apud quem igitur impollutam innocentiam scelus gravavit externum? Quis ille fuit, qui hos adjudicaret reos, tam excors, tam trux, tam oblitus Dei & æquitatis, barbarus, perduellis? Laudamus prorsus ingenium tuum: apparet eruditio: non potuisti aliter dignam generis humani odio, judicis nescio cujus, immo tyranni, allegare personam, quam jurando non solum eum non perpercisse his, qui nihil peccavissent, verum etiam his, qui nec peccare potuissent. Solet quippe apud suspiciosum animum bona conscientia laborare pro defensione sui, ne forte deliquerit, quia delinquere vel potuit: absolute autem vindicatur a crimine, qui ipsa rei impossibilitate defenditur. Pande igitur, quis est iste innocentium addictor? Respondes, Deus. Percussisti quidem animum. Sed quia vix tantum sacrilegium fidem meretur, quid dixeris ambigamus. Scimus enim homonyme usurpari hoc posse: sum quippe Dii multi, & domini multi;*

(a) *Operis imp. cont. Jul. Lib.* I. 48.

ti; nobis tamen unus est Deus pater, ex quo omnia, & unus est dominus, Jesus Christus, per quem omnia. Quem igitur Deum in crimine vocas? Hic tu, sacerdos religiosissime, rhetorque doctissime, exhalas tristius & horridius aliquid, quam vel Amsanti vallis, vel puteus Averni, immo scelestius, quam ipsa in his locis Idolorum cultura commiserat. Deus, ais, ipse, qui commendat suam charitatem in nobis: qui dilexit nos, & filio suo non pepercit, sed pro nobis illum tradidit, ipse sic judicat; ipse est nascentium persecutor; ipse pro mala voluntate æternis ignibus parvulos tradit, quos nec bonam, nec malam voluntatem scit habere potuisse. Post hanc ergo sententiam tam immanem, tam sacrilegam, tam funestam, si sanis judicibus uteremur, nihil præter exsecrationem tui referre deberem. Justa enim & probabili gravitate indignum te disputatione censerem, qui eousque ab religione, ab eruditione, a communibus postremo sensibus aufugisses, ut quod vix ulla barbaries, dominum tuum criminosum putares. Tum paullo post (*a*). *Amolire te*, inquit, *itaque cum tali Deo tuo de Ecclesiarum medio. Non est ipse, cui Patriarchæ, cui Prophetæ, cui Apostoli crediderunt; in quo speravit & sperat Ecclesia primitivorum, quæ conscripta est in cælis: non est ipse, quem credit judicem rationabilis creatura; quem Spiritus Sanctus juste judicaturum esse denunciat. Nemo prudentium pro tali domino suum unquam sanguinem fudisset: nec enim merebatur dilectionis ut suscipiendæ pro se onus imponeret passionis. Postremo iste, quem inducis, si esset uspiam, reus convinceretur esse, non Deus: judicandus a vero Deo meo, non judicaturus pro Deo.*

His humanissimi ingenii, ac magnanimus vir paucis respondit: nam illum ipsum, quam me, audiat lector satius fuerit. *Non est magnum, quod vides non habere parvulos propriam voluntatem ad eligendum bonum, vel malum. Illud vellem videres, quod vidit, qui scribens ad Hebræos dixit* (b), *filium Israel Levi in lumbis Abraham patris sui fuisse, quando est ille decimatus, & ideo etiam istum in illo fuisse decimatum. Ad hoc, si haberes oculum christianum, fide cerneres, si intelligentia non valeres, in lumbis Adam fuisse omnes, qui ex illo fuerant per concupiscentiam carnis orituri; quam post peccatum, quo illi sua nuditas nuntiata est, sensit, adspexit, erubuit, operuit. Unde Ambro-*

(a) *Ibid.* 49. (b) *Ad Hebr.* VII. 10.

brosius doctor meus, tui quoque doctoris excellenter ore laudatus: quod igitur gravius est, inquit, hac se Adam interpretatione succinxit, eo loci ubi fructu magis castitatis se succingere debuisset. In lumbis enim, quibus præcingimur, quædam semina generationis esse dicuntur. Et ideo male ibi succinctus Adam foliis inutilibus, ubi futuræ generationis non fructum futurum, sed quædam peccata signaret. Merito etiam dicit, quod paullo ante memoravi. Fuit Adam, & in illo fuimus omnes; periit Adam, & in illo omnes perierunt. *Hoc tu non videns mihi cæcus oblatras: sed in me quicquid dicis profecto & in ipsum dicis .... Sed indignaris homo piissimus, quod parvuli non renati si moriuntur ante propriæ voluntatis arbitrium, propter aliena dicantur peccata damnari ab eo, qui commendat caritatem suam in nobis, qui dilexit nos, & filio suo non pepercit, sed pro nobis illum tradidit: quasi non de illo gravius conquerantur stulti, & indocti similes tui, qui dicunt, ut quid creat, quos impios futuros, & damnandos esse præscivit? Ut quid eos postremo, donec ad impietatem damnabilem perveniant, facit vivere (quos antequam tales fierent, ex hac vita posset auferre), si animas amat, si commendat charitatem suam in nobis, si filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum? Quibus si dicatur, o homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt judicia ejus; irascuntur potius, quam mitescunt. Sed novit dominus qui sunt ejus .... Sed peccatis, inquis, alienis non utique perire debuerunt. Aliena sunt, sed paterna sunt, ac per hoc jure seminationis atque germinationis & nostra sunt. Quis ab hac perditione liberat, nisi qui venit quærere quod perierat? In eis ergo, quos liberat, amplectamur* MISERICORDIAM: *in eis autem, quos non liberat, agnoscamus* JUDICIUM OCCULTISSIMUM *quidem, sed sine ulla dubitatione* JUSTISSIMUM. Tum ad postrema: *Si Deum Patriarcharum colis, quare non credis circumcisionem octavi diei, quæ præcepta est Abrahæ, præfigurationem fuisse regenerationis in Christo? Hoc enim si crederes, videres non potuisse juste animam parvuli exterminari de populo suo, si die non circumcideretur octavo, nisi alicui fuisset obligata peccato. Si Deum Prophetarum colis cur non credis quod per eos toties Deus dixerit,* reddam peccata patrum in filios (a)? *Si Deum Apostolorum colis, cur non*

(a) *Exod.* XXXIV. 7.

non credis, corpus mortuum propter peccatum (*a*)? *Si Deum colis, in quo speravit & sperat Ecclesia ..... cur non credis baptizandos parvulos erui de potestate tenebrarum, cum eos propter hoc exuflet atque exorcizet Ecclesia, ut ab eis potestas tenebrarum mittatur foras?* Atque hisce ferme argumentis & responsionibus hæc causa acta est; in qua altera quidem pars non recte metuit, ne Deus sit injustus, si natura improbi simus; altera vero, quæ christianum dogma tuetur, si non simus, ac tamquam si simus, in nos animadvertat.

Malebranchii, ac nonnullorum aliorum positio, peccatum permissum, ut Deus humanæ naturæ conjungeretur: ut ea, theologos plures habeat adversos. Nondum non solvit, sed intricatiorem efficit.

SIc se res habet: *te tua*, ut est in proverbio, *me delectant mea*. Ut enim nemo est poeta, qui sibi non optimus videatur: ita nemo philosophus, qui non ipsum solum sapere, desipere ceteros arbitretur. Vetustos Metaphysicos nihili pendit Malebranchius: modo enim tamquam crassos stupidosque contemnit; modo velut aranearum texentes retia irridet. Utique jure, si sapientior. Nunc autem quæ ille attulit, quæ communis prudentum sensus non reprobaverit? De quo a nobis dictum est sæpe: sed nulla tamen in causa gravius, quam in hac dicetur. Illud me non leviter turbat, cogi in extrema hujus opellæ parte contrahere vela, multoque esse breviorem, quam res poscit: nam & instant alia; & cum omnium mortalium loquacissimi sint Metaphysici, valde ego vereor, ne modum omnem ac modestiam, Penelopes telam retexens, prætergressus sim. Cur igitur peccare Angelos hominesque permisit Deus? Cur tot grassari facinora, ac tantis opprimi nos ærumnis? Nam revocanda est ad animum identidem quæstio, ne aliorsum delabemur. Quæ ea cumque fuerit divini consilii causa & ratio, id nobis certum exploratumque esse debet, præclaram, sapientem, laudabilem,

(a) *Roman.* VIII. 10.

lem, ac prædicandam fuisse; nam ut naturæ suæ exundanti fœcunditate mundi est parens & gubernator, sic eadem sapientissimus, omnipotens, optimus. Quid olim viris magnis ingenioque prævalentibus venerit in mentem, quo Dei causam tuerentur, enarravimus. At hæc levia putat Gallus philosophus. Caussam is pandit magnam quidem ac magnificam, quaque nulla gravior neque divinior excogitari potest: ea autem ipsa ne fuerit propter quam id Deus cœperit consilii, magna disceptatio est, nec, ut ego puto, Malebranchio æqua. Ea vero est hujuscemodi, ut nimirum divinæ verbi incarnationi locus aperiretur; cui nullus futurus fuisset, si illa dæmonum, hominumque pestis orbem non invasisset atque ferme totum occupavisset. Quanta autem est universi præstantia, quantum decus atque ornamentum, talem ut civem habeat? Ut qui creator rerum fuerit, sitque supremus imperator & moderator, is ex homine prognatus cognatam Deo hominis naturam efficeret? Id ego quoque ajo; quia christianorum esse neminem scio, qui hæc aut ignoret, aut non pleno ore prædicanda existimet. Itaque sunt ea de re Patrum dicta pene infinita & egregia (*a*). Sed illud contendat quis, hæc ex consequente, ut theologi ajunt, consecuta esse, non antecedentia esse & prima. Quia nimirum peccatum futurum erat, Christus & venturus decretus est, & venit; non ideo peccatum, quia venire intererat. Est quidpiam absurdius magisque nefarium, quam mala antecedente decreto prædestinari ad bona? Privaretur, dicet aliquis, tanto ornamento, tamque lætabili mundus? Privaretur, inquam, si vetus ordo, ac primæva pulchritudo stetisset: neque enim necessarium. An peccasse Deum in prima idea defendemus, hocque excogitasse postmodo, quo primum errorem tegeret? Quo quid stultius? quid sceleratius? Aut igitur in prima, ut ita dicam, mundi idea, exemplari, æternaque illa mentis divinæ molitione velut ad ornatum Christus decretus fuit; aut ex præsensione sceleris velut servator destinatus. Si hoc, nec necessum fuit advenire, integro incolumique mundo, nec addecuit, quando nihil illi ornamenti sui ac ab æterno destinati defuisset. At si primum, non fuit, cur peccare finerentur Angeli, & homines, causa: cur scelesti esse pergerent: cur

(a) *Vide Petavium de Incarnat.*

cur tantis doloribus & ægritudinibus subjicerentur usque. Hoc igitur Malebranchio deferendum dilemma trado, ut aut minus perfectum improsperumque fuisse primum mundi exemplum dicat; aut peccatum prædestinatum ad divini verbi incarnationem,

At enim, in illa quæstione, venturus ne fuerit Christus, si Adam non peccasset, negant & libri omnes divini, & Patres, vetusque adeo Christianorum traditio (a); nam quod Scotistæ commenti sunt, & novum est, nullumque habet in christianæ theologiæ principiis, scripturis, ac traditione majorum, fundamentum: *ignotis autem de rebus*, inquit Dionysius Petavius, *& in occulta Dei potestate ac voluntate latentibus, quæ nullis indiciis* divinarum scilicet Scripturarum, ac catholicæ traditionis *proditæ sunt, temere vaticinari, non est considerati hominis, nedum perfecti sapientis, qualem esse, studio saltem & conatu, theologum oportet*. Quando ergo divini vates docent, *venit filius hominis quærere & salvum facere, quod perierat* (b): &, *peccatores salvos facere* (c): traditque catholica Ecclesia, *propter nos homines & propter nostram salutem descendisse de cælo, & hominem factum esse* (d); *divinare est*, inquit ille, *comminisci causam aliam adventus illius, & susceptæ carnis, præter hanc, quam unicam tot fidei oracula & cælestia responsa personant*. Si igitur peccatum non esset, Christus non venisset: caruisset ergo hac mundus & dignitate & majestate. Nonne ergo hæc digna Dei sapientia & bonitate causa fuit, qua peccatum, non quidem vellet, sed permitteret tamen?

Tres hic sunt quæstiones, quas secernamus oportet. Prima, sit ne Christus magnum mundi ornamentum? Altera, fuit ne hæc digna Deo causa, qua primum nefas perpetrari sineret? Tertia, idcirco ne revera permisit? In prima satis aperte utrique consentimus. Reliquas duas utra via & ratione disputari vult Malebranchius, e christianæ ne theologiæ fontibus, an philosophiæ? Ex illis neutrum constat; quin possimus contrarium exculpere: nam divina ea oracula manifestum fa-

(a) *Vide Petavium de Incarnat. lib. II. cap. XVII. §. 7.*
(b) *Lucæ* XIX. (c) *I. ad Timot.* I.
(d) *Synodi Nicæna & Constantinop.*

faciunt testatumque, peccata & cum æterna Dei lege pugnare, & *odio esse Deo:* & non primi consilii fuisse, ut ad ea expianda, Christus veniret, sed misericordiæ, gratiæ, benignitatis, atque magnificentiæ divinæ; quo intelligere possimus, illud noluisse potius, ut peccaretur, quam voluisse hoc, ut tanto sacrificio redimeret; ægreque (si humano more, quando verba non suppetunt, loqui licet) alterum decrevisse, ab eoque fuisse se absteuturum, ac prohibiturum, nisi illud scelus extitisset. Itaque quod nos pleno inter nos jure usurpamus, atque ratum habemus, *non esse facienda, neque ex destinato permittenda, mala, ut eveniant bona*, id ne a Deo quidem, qui summa ratio est, primaque nostrorum officiorum regula, abstinebimus?

Jam & hoc expostulabunt qui illi ex adverso sunt, cur cum ea fuerit peccati permittendi causa, postquam Christus advenisset non minus peccare dæmones hominesque perrexerint, pergantque etiamnum, quam ante? Cur non minus hodie improbi scelestique sumus, quam olim? Qui res in Europa atque Asia septemdecim hisce seculis gestas legerit: qui mores, seu feros ac impios, seu fœdos omnique turpitudine depravatos noverit: qui tot bella; urbiumque aut eversiones, aut incendia: qui civium discordias ac cædes, mutuas neces, parricidia, sacrilegia; qui is dubitabit, sceleratiores olim ne fuerimus, an hodie? Bello Britannorum Civili, quod xv. seculo gestum est, præter innumeram conquisitis pœnis trucidatam plebem, supra octoginta Principum capita excisa scribunt ejus ævi graves in primis auctores (*a*). Retulere *Sinenses* Annales, cum Tartari Duce Genghiskan, ejusque liberis ac nepotibus, inferiorem Asiam bello petierunt, diripueruntque, 19 000 000 hominum capita trucidasse, tanta sæpe immanitate, ut nec senibus, nec infantibus, nec prægnantibus fæminis pepercerint (*b*). Quæ in Italia egere primum Gothi, tum Itali ipsi, ac, qui vel hodie non sine horrore commemoratur, Ezelinus; postremo Germani, qui Romam captam direptamque omni sacrilegii genere

(a) *Comines* Memoires liv. I.

(b) *Vide hist. Tartarorum tom.* XVIII. *hist. Univ. Aug. edit. Gall.*

aere conspurcarunt (a), quis fando lacrymis temperet? Ita fit, ut subinde Sophoclis illud ejulantes inclamaverimus

Πυ ποτε κεραυνοι Διος ἡ
Πυ φαεθων Αλιος,
Ει ταυτ' εφορωντες
Κρυπτυσιν εκηλοι (b);

Quo Jovis abiere fulmina? Quo se abscondit Sol? An hæc intuentur otiosi, premuntque inulti? Quibus Malebranchius si ita respondet (nec enim aliud regerere licet) hæc, ut ait sæpe Augustinus, & peccata esse, & pœnas peccatorum, eoque commeritos nos esse: præsentem ille hypothesim ponat necessarium est: quæ enim consequendi alicujus finis sunt media, postquam scilicet illum adepti sumus, ponantur oportet.

At si ex philosophia, atque hac sublimiori, agere instituit, vereor ego ut æquo loco cum Scotistis pugnaturus sit. Deme scelera: demas crucem necesse est. Tum omnia plana atque perpulchra futura sunt; omnia ergo Deo digna, ac nescio, inquit ille, an digniora. Non veniet expiaturus crimina Christus: an ne ornaturus quidem universum? Quid causæ prohibet? Non fuit indignum Deo *in forma esse servi*, atque cruci suffigi, quo liberam hominum rempublicam haberemus: qui potuit esse, ut etsi liberam, illustriorem & augustiorem faceret? Honesta causa fuit captivam liberare: cur non honestior servare liberam? Decuit omnem *infirmitatem nostram induere*, & cum *peccatum non haberet, speciem accipere peccati*: cur non magis primæva naturæ ornamenta ac proprietatem? Divinare est, inquiunt. Utique, si de sacris libris disceptamus: in hoc vero ampliori liberiorique scholæ campo cur non liceret? Quamquam qui minus est divinare, quod Gallus agit Metaphysicus, quam hoc, quod Britannus? Neutri profecto parti cælestes libri adminiculantur: neutri addicunt causam. Superest ut ex Dei & mundi natura, si qui patet ad tam abstrusa aditus, id dijudicetur. At nec mundus tantum decus respuere potest, nec Dei natura ejuscemodi liberalitatem aversari, cum majorem se indignam non reputaverit. Hæc cum disputent Scotistæ,

(a) *Vide Varchi.* (b) *Electra v.* 825.

cum his armis iniquo loco depugnabit Malebranchius. Tu quid? inquit aliquis. Ego hæc esse in possibilibus haud temere negabo: ita se res habere neutra hucusque pars me docuit. Nam opinari innumerabilia possumus: scire si dicamus, ipsi, credo, nobis deridiculi fuerimus. Hoc controversia vacat, efficiturque hac disputatione aperte ac præclare, infinitas suppetiisse Deo rationes, cur peccari permitteret, permittatque adhuc, easque omnes honestas, justas, bonas, ac beneficas; quod est cum Manichæis palmarium: etsi quæ illa fuerit, qua id permiserit, rei magnitudo atque sublimitas scire nos prohibeat. Quare redeat, unde cœpit, oratio. Nihil peccare potest Deus: nihil injuste, crudeliter, invidiose agere: nihil imprudenter, inscite, improspere: horum enim aliquod si potest, Deus non est. Ergo cur hæc ita facta sint acciderintque, summa aliqua & honestissima causa esse debet. At & immensum patet mundus, & innumerabili rerum varietate, atque ordine constat, aliisque est contextus, aureis illis quidem, sed minime tamen comprehensibilibus: & omni modo infinita est Dei natura. Quid igitur miraculi est tantæ rei rationem & causam nos latere? Vestigemus, si lubet: mentem rationibus agitandis exquirendisque alamus cum oblectatione solertiæ, qui est unus suavissimus pastus animorum: illud modo caveamus, ne aut Deo quicquam indignum opinemur, aut obsequium metumque erga illum nostrum, atque liberorum fiduciam ulla in parte minuamus. Quod illi non servant, qui in rebus dubiis controversisque soli, & impotenter regnare amant.

Gulielmi Kingii Archiepiscopi Dublinensis super malorum origine dogma: res omnes ex ente *atque* non ente *constare: inde prima mali labes. Non posse mundum, in quo sint corpora, & motus, sine rerum, quibus constatur, oppositione, ac aliorum cum aliis pugna quadam, concipi: mala hinc plurima manare. Suum gradum non servare mentes, ac libertate abuti: inde alia exsistere. Tellurem & punctum esse totius mundi & veluti ejus cloacam quamdam, atque ergastulum, &* νοσοκομεῖον *va-*letudinarium: *ejus mala esse ad universum veluti unum ad numerum pene infinitum; itaque rationem mali amittere,*

EGo quoque cum illis sentire occipio, qui hanc tantam malorum querelam, flebilemque, aut subiracundam

dam lamentationem, magis exserto ingenio, & huic nostrorum morum mollitudini, quam naturæ tribuendam putant, esseque, quæ doleamus, opinione plura, quam re. Nam cognitum atque compertum est nec noscere malorum nostrorum maxima agrestes durasque gentes, nec muliebriter lamentari, quæ aut mundi, ut cujusque fert indoles, nec cum indignatione disserere, in quibus nimirum naturam mos non vincit, neque iis remollescit, quibus excultæ nationes luxuriantur. Laboribus se perferendis natos autumant: itaque iis a primis unguiculis induruere. Non frigus, non famem, non montivagos atque silvestres cursus lustrationesque, non demigrationes, nihil denique, quod nobis arduum, & intolerandum videtur, velut miserum, ac Tragœdorum in morem, deplorant. Quin ne in cruciatu quidem atque tormentis nimis ejulantur, audiasque sæpe exclamare, *quam pro nihilo puto!* Sed nos videlicet umbris, deliciis, otio, languore, desidia animum infecimus, opinionibus maloque more delinitum mollivimus. Hinc mala & innumerabilia, & non toleranda. Hinc impotentes impudentesque in Deum querelæ. Qua in re quam turpe est philosophos ab imbellibus muliercculis sæpe vinci? Siquidem in India cum est cujus eorum vir mortuus, in certamen judiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit: plures enim singulis solent esse nuptæ. Quæ est victrix, ea læta, prosequentibus suis, una cum viro in rogum imponitur: illæ victæ mæstæ discedunt (*a*).

. . . . pudor est non licuisse mori:
Gaudent victrices, & flammæ pectora præbent
Imponuntque suis ora perusta viris (*b*).

Adeo ne ultimum quidem supplicium tamque atrox, in malis habent! Nos cum liquescamus fluamusque mollitia, apis aculeum sine clamore ferre non possumus. Si pes condoluit, si dens, si vel minimo tactum dolore corpus, pueriles fletus edimus, nosque ad luctum, ejulatum, ærumnam, miseriam genitos clamamus. Quid, dicet aliquis, dolorem, dolorem esse negas? Non hercle: cur enim fortitudo desideraretur? Sed eum opprimi dico pa-

(a) *Vide Herod. lib.* v. *cap.* 5. *Cicer. disput. Tusc.* v. 27. *Plutarch. Tom. II. pag.* 499. *Valer. Max. lib. II.* 6. 14. *Bernerium in Itinerario Indico*.

(b) *Propert. lib. III. Eleg.* XI.

tientia, si modo est aliqua patientia. Sin nulla est, quid exornamus philosophiam? Nec vero illam ethnicam, sed hanc, quæ de Cælo est, Christianam. Sed id infandum, quod jamdudum disciplina lapsi sumus, quæ nulla est nec civilis, nec domestica. Cretum quidem leges, itemque Lycurgi, laboribus erudiebant juventutem, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. Spartæ vero pueri ad aram si verberibus acciperentur, ut multus a visceribus sanguis exiret, nonnunquam etiam ad necem (a); nemo non modo exclamabat unquam, sed ne ingemiscebat quidem. Quid ergo? hoc pueri possunt, viri non poterunt? & mos valet, ratio non valebit?

Sed quando præclarorum virorum super tam inscia & ignara re sententias recitare instituimus, ac pensitare, ostendereque illud, quod ajunt theologi, eorum, quæ Dei voluntate sunt, ostendi & demonstrari non posse causas & rationes (b), nisi ille patefecerit; quia æternitate premuntur; pergamus, quæque restant paucis ac per saturam comprehendamus. Cum superiori seculo hujuscemodi quæstio esset multa & clamosa, recruduissetque hujus initio, plures theologi philosophique experiri in ea re ingenium suum adorti sunt, ac tam abdita pertentare, videreque si qua evadere possent. In his Guilielmus Keing Archiepiscopus in Hibernia Dublinensis, præclaræ vir indolis, multæque & lectionis & meditationis; cujus editum est Dublini anno 1702. opus *de origine mali*, versumque Britannice, ac Londinensibus typis vulgatum anno 1732. Is ad hanc rem hunc in modum aggreditur. Nulla res, quæ facta sit, nec ipsa per se sit, infinitæ naturæ ac incircumscriptæ esse potest: siquidem sunt inter se pugnantia, ab alio esse, ac infinitatem naturæ habere: finitæ ergo circumscriptæque singulæ sunt mundi res. Sed & multiplices distinctæque; ac mirabiliter variæ: ita duplici ex ratione finitæ sunt, quod nec a se sint; singulisque ea desint, quæ sunt in aliis. Infinita porro cum prima est ac per se exsistens natura; tum rerum universi hujus varietas ac numerus. Cuilibet ergo creatæ rei duplex deest infinitio; nam nec necessario est, nec omnia. Hic earum infinitionum defectus

non

(a) *Plutarch. in vita Lycurgi, & de moribus Lacedæmoniorum.*

(b) *S. Th. Quodl.* III. *art. ultimo in corp.*

non entitas dicitur Kingio. Igitur singulæ hujus universitatis res ex *ente* constant, duplicique infinitate *non entis*. Quum nulla creata res aut per se esse ipsa possit, aut omnia; hoc malum, quod *Metaphysicum* vocat Leibnitius, *privationem* Aristoteles, vinci, tollique nulla potentia potest; quandoquidem pugnantia extra omnem sunt & potentiam & expectationem. Ita Deo tribui nequit nisi stulte. Sed hic idem defectus, eaque varietas poscit, ut singulæ res ita in toto universo cooptentur ordinenturque, ut aliæ aliis serviant, indeque pulchrum, elegans, proportionatum, ac Dei sapientia dignum aliquid efflorescat: siquidem his legibus, eaque & proportione, & subordinatione mundus a Chao distat. At id nec concipi, nec fieri potest, si una sit æqualisque rerum omnium natura. Quam fœda hujuscemodi μονυσια ut ita dicam, *essentiarum* unitas, & ταυτοτης *identitas*? Veluti si quis animo concipiat mundum ex solis hominibus, iisque & corpore, corporisve delineatione, & ingenio plene simillimis: aut ex solis equis, aut elephantis, aut mulis, aut quercubus, populisve, aut Solibus, idque genus aliis, nulla ullarum rerum varietate ac discrepantia. Quare mundus ipse per se tantam varietatem discrepantiamque poscit: ex quo fit ut & diversæ sint proprietates ac *perfectiones*; & oppositio sit quædam inter omnes contentioque, velut in fornice quædam lapidum cæmentorumque. Est hoc malum physicum, aut ejus scatebra. Hoc nemo tollet quin ordinem mundi evertat; nec quisquam hoc aggredi potest, quin Deo sapientiam adimat. Id & in mentium mundo locum habere debet, obtinereque jam christiana philosophia docet: & nobis majus est, magisque evidens, in hoc mentiumque corporumque. Itaque hæ contentionis leges tam sunt, ait, perfectæ ac sapientes, ut nihil absolutius, nec sapientius excogitari possit. Omnium sunt, quorum erat mundus patiens, absolutissimæ & prudentissimæ. Qua in re convenit ei Leibnitius. Jam eædem leges poscebant, ut aut nulla esset in mundo materia, aut non omnis inanima. Quam fœda rudis ac indigesta moles? Animanda igitur erat ac præformanda: nec tamen materiæ atque corporum natura esse aliud potuit, quam quod est, partibilis, antitypa, mobilis, ceterisque omnibus mutationibus & alterationibus subjecta; generabilia ergo, atque corruptibilia necesse est fuisse plantarum, animantiumque corpora; itaque ignis,

 aeris,

aëris, aquæ vi ictibusque exposita, ac reliquis corporeis casibus. Hæc omnia ex totius ordine atque descriptione tam conformia ejusmodi corporibus esse potuere, quam adversa: hæc illis compensantur. Sunt hæc physica bona: illa mala; quæ si paria, nihil injuriæ, nihilque, quod aut respuat divina sapientia, aut bonitas refugiat.

Atque hæc philosophia in ceteris naturæ rebus nec nova est, nec quicquam habet, quod rationem elidat. Illa controversiæ plena, quæ homines spectant: non quod a communi naturæ lege eximi fas fuit: id præposterum perversumque: sed quod, qui soli & intelligentes sumus, & oratione pollemus, ut in foro oratores, ita nos in hoc mundi theatro, quo eloquentiores, eo magis queruli, procacesque. Igitur quærent, cur mentes animæque mutabili ac mortali corpori junctæ? nam quando hinc exsistunt dolores, perturbationes, ægritudines, mala denique omnia, quæ physica vocamus, nulla hæc fuissent, si nulli animi corpora animarent. Hic Archiepiscopus Dublinensis veritus, opinor, ne nostri Dialectici minus vetera ac toties dicta probarent, e physica responsionem expromit. Quærit & is ergo ab illis, an est in plantis, quod naturæ mutationibus legibusque subduntur, quicquam, quod cum Dei *attributis* pugnat? Quod si nihil est, quippe quam legem universi totius descriptio & ordo poscit: ne in belluis quidem est: ita ne in homine quidem. Ut in catena si anulum tollas tota concidit, ita in mundo si quodpiam rerum genus. Nisi cælestes mentes corporibus hisce copulatæ essent, squallida videlicet, ac prope deserta esset tellus: non ergo sibi totius proportio constaret. Parvane ea ratio? At illi pergunt: cur non ita saltem corpora facta, ut nullam molestam sensationem tantis comitibus inferrent? Nempe, inquit ille, nec nasci oportuit infantes, nec adolescere, nec ad animantium genus pertinere; quod perinde est, atque divinum hoc animal e mundo extirpare. Quando, inquit, fas universi poscebat, ut cum corporibus jungarentur divini animi, nulla alia id lege, nulloque alio modo fieri debuit. Itaque naturæ necessitas hoc imperat, ut malis physicis obnoxii simus, quæ ex *non-entitate* sunt, partiumque contentione. Sed ea est interea Dei sapientia ac justitia, ut ea naturalibus bonis non modo compenset, sed longe liberaliter cumulet. Et hæc vetera: nec tamen satis e ratione: possent

enim

enim plura in tellure mala recenseri, quæ haud profecto hæc *non entitas* invehit: Quin hanc philosophiam tota christiana theologia repudiat: non enim natura sunt hæc mala primum in tellurem invecta; sed hominum ipsorum protervitate. Quid igitur novi, egregiique tanti promissor hiatus? Hæc eadem Pelagiani dicebant: Itaque Augustinus hæc cum Juliano disceptans, id regerit identidem, eoque se telo munit perpetuo, nihil harum miseriarum futurum fuisse, nisi primi mortales rebellassent: *Quare*, inquit, *grave jugum super eum* (hominem) *à die exitus de ventre matris ejus? cur tanta corruptibilitas corporis, ut hac aggravaretur anima ejus? Cur tanta mentis obtunsio, ut ejus plagis erudiatur tarditas ejus? Quousque, Juliane, gravis es corde ..... Numquid si nemo peccasset, si natura humana in ea, qua condita est, bonitate mansisset, etiam in paradiso ad istas homo miserias, ut alia taceam, nasceretur* (a)? Animantia fuissent in paradiso homines, quærat quispiam? Fuissent proculdubio: Comedissent igitur, inquit, bibissent, dormitum issent, corpora mutuo amore junxissent, liberosque generassent. Quis hæc negaverit? Appetissent ergo, inquit. At omnis appetitus est dolor, isque in animo quidem, sed ab aliqua corporis irritatione, quæ sine contentione partium concipi nequit. Tum infantes nati essent, adolevissentque paullatim. At quæ nascuntur atque adolescunt ex mundi legibus intereant necesse est; interiissent ergo. Quæ omnes si sunt miseriæ; & cum his nascerentur homines in paradiso: Insontes, inquis, Deus puniisset? Neutiquam! sed legi mundi eos subdidisset, quos eximere vetabat sapientia: voluptate ingentibusque bonis illos dolores compensasset: Sed hæc nescio utrum theologus Dublinensis dicere ausisset. Nam hæc quidem, ac reliquæ præsentis vitæ feditates & in paradiso fuissent, si Deus in *puris*, ut ajunt, *naturalibus* creatos ipsos sibi commisisset: Nunc autem cum gratia exornasset, eoque extra illas calamitates locasset, gratia & immortales futuri fuissent, & omnes naturæ molestias exsuperassent: Itaque illa Hiberni hominis philosophia extra campum christianæ theologiæ vagatur: quin extra rationem quoque, nisi ostendat non potuisse id Deum.

Jam

(a) *Lib. 1. operis imperf. cont. Jul. n. 54.*

Jam illa adhuc graviora videamus, qui ex eodem fonte moralia mala, vitia, inquam, ac peccata fluere, tamque longe promanare possint. Bonum, inquit, atque felicitas earum mentium, hominumque, quos Deus procreavit, mundique membra, ac cives esse voluit, ab earum oritur facultatum sapiente usu, quibus illos instruxit. Mentium primæ principesque dotes sunt ratio ac appetitus, seu voluntas, & sui quidem juris. Hæ si sibi constent perpetuo; si nihil a regula totius exorbitent, nihil turbent, peccentque; & bonis affatim affluunt, quæ rerum ipsa fert natura, & beatæ sunt. Nemo igitur beatus nisi plene sapiens. At quotus hîc quisque sapiens? Cum infinita *non entitate* constent mentes omnes creatæ, interque infinita, tamque varia versentur rerum genera, quæ esse earum plene sapiens potest? Sed ii animi insipientiores, qui crassis hisce juncti sunt corporibus, & in imo hoc Universi fundo. Stulti pene omnes, eoque miseri. Plurima peccat ratio; peccat appetitus. Iis rebus bonitatem attribuimus, quæ bonæ non sunt; quibus carere miserum ducimus, nosque sine causa affligamus. Oris membrorumque pulchritudinem, nigros ocellos, mollem venereumque incessum, promissum capillum, suffusum ori sanguinem, proceram staturam, atque ejuscemodi alias nugas, magna bona fecimus; quibus si quis destitutus sit, pene ad suspendium adigitur. Sunt & ejusdem generis ea, divitiæ, honores, dignitates: itaque laqueata tecta? auratum cubile: mollia ac delicata subsellia: togam, aut latum clavum: infulas reliquas, ac ejuscemodi, quæ nihil essent, nisi nos magna fecissemus, in magnis bonis ponimus: ea quoque consequamur, nihili ducimus ærumnis nos submittere, omniaque scelera patrare. Neque vero hic stultitia terminos figit. Ubi nihil est, quod, circumspiciendo boni ac magni supputare possimus, tum phantasias nobis præsidio esse jubemus: abstrahimus, copulamus, pingimus, nobisque imaginaria bona delineamus, poetis omnibus feraciores: tum quod iis careamus, pugnis nos ac colaphis contundimus. Hæc, inquam, sapientia? Quare ab hujusmodi stultitiis molestæ sunt perturbationes: hinc vitiosi appetitus pravique: tum crimina atque scelera. Ita & naturæ bona fœdamus, aut opprimimus: & infinita nobis mala consciscimus. Hæc quis est tam impudens, qui in Deum conjicere audeat?

Haud

Haud equidem negaverim, si hæc non cum philosophis, sed in concione sint dicenda, aut in theatro, satis illa probabiliter disseri, pronisque auribus audiri.

Αναριθμα γαρ φερω πηματα:
Ουδ' ενι φροντιδος εγχος.
Ω τις αλεξεται (a).
Innumera namque fero mala?
Neque est mihi consilii copia, neque mentis,
Quo quis propulsare queat,

quibus, cupidis spectatorum animis, anxiisque, scena resonat. Nunc in hac subtili disputatione, ac cum Metaphysicis, illud quærat quispiam, non quid efficiat stultitia (hæc nemo non videt) sed cur omnes stulti? Nam si sapientes, beati essemus: quotus autem quisque perfecte sapiens? Cur non omnes sapientes efficit gratia? Hic ille rem sublimem incœptat. Mentis vita, cogitatione, appetitu, electione, usu postremo suæ efficacitatis continetur. Hic duplex esse potest, alter cum mentis natura atque primæva indole congruens eique plene consentaneus; alter ab ea discrepans dissentiensque, ac magis vel minus. Agere, suisque facultatibus uti, suapte natura mentes amant; id enim earum poscit vita, intimusque vitæ stimulus, ingenium, appetitus. Sed quo semper naturæ congruenter agant, id illa *non entitas* vetat. Nulla mens infinita esse potest; at infinita est rerum varietas, infinitus numerus: intelligendi appetendique infiniti modi, infinita diversitas. Ita nulla Dei potentia fieri potest, ut ulla creata mens omnes istiusmodi & intelligendi & appetendi modos ipsa per se in numerato habeat: ut omnes cum rebus omnibus respectus ordinesque comprehendat: ut in tantis infinitatibus plane aperteque semper videat, quid sibi naturæque suæ consentiat, quid adversetur: hoc creatarum rerum conditionem excedit; pugnat cum earum finitione. At hæc & ignorantiæ radix est, & errorum scatebra; quam Deus tollere nequit, nisi (infandum!) naturas abolendo. Quæ vero errorum causæ sunt, eæ sunt stultarum appetitionum, actionumque a natura dissidentium; atque hæc vitia, ac mala, & miseria. Sui quidem juris est voluntas: nulla ei ratio imperat: ea potius toti rationi præest: sibi ad nutum mens paret, obsecundatque. Sed illinc tamen permovetur: ei

(a) Sophocles in Œdipo v. 176.

ei luxuriatur. Finitâ naturâ quæ est, ab omnique rationis dominatu plene libera, fieri nullo pacto potest, ut non sæpe extrà virgulam petulans stultaque ac effrænis prosiliat. Postremo ejus est voluntas indolis solo ut dolore tangi possit: infrænata, nisi huic subdatur. Rationem quantamcumque adspernari potis est: nec ea cogi patiens est. Quin adeo miri est ingenii ut quum incaluerit, nullus est tantus dolor, quem contumax atque contumeliosa contemnere nequeat. Talis est atque æterna ejus natura (1). Quæ plusquam Manichæa mihi videntur.

Hæc interea summus rerum opifex perspiciens, quo, quoad posset, huic mali scaturigini obicem poneret aliquem,

(1) Paullo perverse Kingii de libero arbitrió ac voluntate liberá dogma exhibuit Leibnitius ad Theodiceæ calcem. Ait eam homini Kingium attribuisse voluntatem, quæ non modo omnem rationem adspernari posset, sed ipsam sese, non ex ulla ratione, sed sola libidine, eam in partem flectere, quamcumque libuerit. In eo ipsum ab homine Hiberno dissentire profitetur, cum cetera omnia hujusce quæstionis capita satis pulchre inter partes conveniant. Nec voluntatem concipi posse sine intellectu & ratione, nec esse in homine reliquam libertatem, si ab omni ratione sejunxeris, copiose disputat. At quemquam fuisse, cui tanta absurditas placuerit, ut voluntatem & libertatem sine ullo perceptionis & rationis usu esse posse doceret, nondum rescire potui. Nam si voluntas est appetitus, si libertas, eligendi, necesse est in eo, qui appetit, eligitque, ea monstrari pingique, quæ appetamus, aut eligamus. Hæc si desint, quid appetimus, aut eligimus? Itaque illud, *ignoti nulla cupido*, tam est vulgatum, quam hoc, *non potest simul esse idem & non esse*. Certe longe ab hac ignoratione fuit Archiepiscopus Dublinensis, ut in eo vexando, velut Theodiceæ primo scilicet delineatore, aliquantulum oblectari Leibnitius voluisse videatur. Sed hujus caussam aperiamus. Disputarunt olim, disputantque hodie Thomistarum Scotistarumque Scholæ, non, ratione ne egeat libertas, quod ne stupidi quidem dubitaverint, sed, quantum sit, quo eligamus, aversemurque, in ratione, animique consultatione pondus. Magnum posuere Thomistæ, ac libertatem in una ratione consultante, ponderante, calculante, atque eligente fixisse videntur: contra Scotistæ, a consiliis rationem adhibuere, sed ita ut principatum voluntati adscriberent: ut nulla esset ratio, quam voluntas, nec tamen sine alia ratione, repudiare non possit. Voluntatem illi rationis ancillam habent; hi voluntatis rationem. Hominis, rerumque ceterarum intelligentiam principatum in ratione esse Thomistæ docuerunt: in voluntate Scotistæ: qui etsi in pejori, ut ego quidem arbitror, causa versarentur: non ii tamen fuere, qui dicuntur, quasi ab omni ratione immunem, ac segregatam voluntatem sibi commenti sint. Interim hoc potius, quam illud Thomistarum dogma, sibi sequendum Hibernus theologus existimavit, quo minori cum Dei invidia, apud philosophorum nimirum vulgus, malorum caussam diceret.

quem, lege sanxit, qui omnium intelligendi, appetendi, agendi modorum mentibus consentirent, quos sectari, si beatitudinem servare vellent, voluit; qui adversarentur, ac molestias, ægritudines, miseriam postremo crearent; quos adversari refugereque jussit. Sanctionem addidit: qui violassent, ipsos per se in devia prolapsuros, severe puniendos, sedesque sublimes vacuas iis facturos, qui facultatibus suis præclare sapienterque utentes eas commeruissent. Ita nos cum infantibus agimus; quibus quoniam nequimus intelligendi agendique prudentiam in animis indere, cujus illi intelligentes esse nondum queunt, neque patientes esse possunt, pro imperio edicimus, quid agere, quid vitare oporteat; præmioque ac pœnis permovere satagimus. Ea igitur lege quæ cuique agenda, quæ omittenda essent, tum quæ timenda, quæ speranda, satis ille quidem docuit: sed fomitem mali, *non entitatem, non-exsistentiam, finitionem videlicet mentium*, nec abstulit, nec tollere potuit, quippe non separabilem a natura circumscripta. Sed ne libertatem quidem auferre nec potuit, nec ullo modo fas fuit: illud, quod nec esse, nec concipi possit ratio actuosa, quin sit libera: hoc, primum quod cum facto suo pugnat: quid enim attinebat liberas seque percientes agentesque causas procreare, quando insita libertate uti nolebat? Deinde quod omnis est coactionis impatiens. Quod in sua erat potestate, ea & natura, & naturæ dotibus singulos animos instruere, quæ suscepti operis rationes minime turbassent: ea felicitate donare, quæ singulorum meritis congrueret: iis torquere pœnis, quæ criminibus deberentur: sublimes mentes celsoque & naturæ & felicitatis loco positas timore coercere: infimas, fœdaque mundi incolentes loca, spe superiorum sedium allicere elevareque, atque, ad virtutem extimulare; horum, inquit, nihil ille prætermisit. Nemo hic, quin ego moneam, non videt, quantopere Hibernus theologus ab eo dissideat dogmate, quod *gratiæ efficacis* dicitur, quod nec theologus ullus refugerit sine crimine, nec philosophus sine stupiditate. Quidpiam dici potest absurdius, quam eos esse in Dei imperio, eique subditos, quos tamen ille nullo modo ad obsequium adigere possit? Hæc Manichæus si dicat, minus absurdum ecquis neget? Sed eo redeamus, unde discessimus.

Quis igitur, ait, in suprema mundi causa aut sapien-

tiam, aut bonitatem culpet? Ac quid opus est aliam malorum originem investigare? Nec a materia igitur, nec a Deo sunt ulla mala; nam quum ea trium sunt generum, 1. *privatio summa infinitæque naturæ*. 2. *naturæ contentiones*, *ictus*, *generationes*, *corruptiones*, *ceteraque physica*. 3. *moralia*, *seu peccata*; prima sunt ex eo, quod nihil creatum est, quod *tota entitas* esse possit: necessariumque proinde sit aut non esse, aut infinite ab infinitate distare: altera a rerum universi inæqualitate, ac varietate uno ordine unaque totius lege comprehensis: postrema a libero arbitrio ac infrænata voluntate, & lege; quorum illud convelli nequit, nisi avulsa & ratione & voluntatis indole: hæc antiquari, aut aboleri, nisi Dei sapientia & bonitate, omnique mundi providentia propulsatis. Quid, inquit aliquis, punitiones, quæ eos consequuntur, qui ab illa lege desciscunt? Nempe quod præmia iis attributa, qui rite sapienterque vitam transigunt. Hæc ordo mundi imperabat: hæc mentium omnium intererant. Ceterum quam blanda punitio? Qui rebellat inferius delabatur, suaque excidat dignitate: hujus sedem occupet aliquis virtutis cultor, qui imas sedes incolebat. Adeo videlicet ne nostris quidem temporibus desunt, qui Origenis oblivisci non omnino queant.

Me quoque pigere occipit tantæ hujus libelli molis: itaque cogor vela contrahere, paucisque & quæ supersunt enarrare; & quid ego de nova hac molitione sentiam. Ut cetera constent, quæ mox videbimus, illud roget quisquam Kingium, quæ hic habitant mentes autochthonæ sunt, an e stellis delapsæ? Si hoc, cur nemo recordatur? Ac quæ punitio est criminum, quorum illæ non sunt consciæ? (1) Edixisset saltem Deus nobisque in memoriam revocasset: traditione aliqua ad nos demandasset. Nihil horum. At si indigenæ sunt, qui eo loci sitæ? Commeruere ne quidquam prius quam essent? Poscebat, inquit, universi ordo, ut nullus ejus esset locus mentibus orbatus. Ut si quis imperator totam aliquam regionem numerosa colonia expleri velit, nullamque ejus esse partem incultam & desertam,

(1) Hæc in Origene dicta sunt. Ne quis autem & in originale peccatum imperite vertat, animadvertere potest id peccati & parentum traditionem ab Ada commemoratum fuisse continenter, cujus fuerat ille princeps causa, & divinitus identidem Prophetarum sermonibus inculcatum. Ita dicimus non sine crimine puniri.

sertam, quod id imperii ratio postulet; sublimia, & ima; amœna, ac uliginosa; purioris, graviorisque aeris loca incoli imperat, eaque pro nativæ nobilitatis gradibus, quin cuiquam injuriam inferre dici possit: præsertim si pro cujusque meritis permutaturum sedes edicat: ita totus orbis exornandus erat, nullusque locus mentium vacuus relinquendus. Cælestia ac beata subsellia iis attribuenda, quorum præcellentior erat natura naturæque dotes: media, quorum inferior: ima iis distribuit, qui eo in gradu conditi erant, qui tam imis sedibus consentaneus esset. Repetamus, quæ sæpe dicta ab hisce sunt philosophis, dicunturque etiamnum: immensa quædam molitio est hoc universum: infinitorum generum ac graduum res complectitur: vita & intelligentia ita iis concessa est, ut per gradus distributa esse debeat; sunt alii prope Deum: alii prope materiam. Illa *non entitas* singulis gradibus sua mala molestiasque infert. Sed hic, quo loco sumus, maximas: hanc ratio ordinis imperat (1).

Sensit auctor ne sibi quidem ipsum satis hisce plene facere. Ut enim, quod ait in Œdipo Sophocles συν ανδρασιν καλλιον, η κενης (urbis videlicet) κρατειν, *populosæ, quam desertæ imperare* civitati, *pulchrius est*; ita bonis, quam malis, si efficere possis: quod quis Deum posse neget? Itaque aliam exorditur imaginationem. Quid inquit, si hæc inferna mundi pars ejus sit quasi cloaca quædam ac valetudinarium? Huc certe deportantur stulti, mentecapti: lunatici, phrenetici, furiosi: huc cæci, surdi, mutili, membris torpentes, ventricosi: huc quos aut herpetes rodunt, aut scabies atque lepra excoriat, aut exurit febris: huc apoplectici, paralytici, nephritici: jam helluones, vinosi, cinædi, mulierosi, quique die noctuque aut stertunt, aut oscitant: tum perterrifica legio, fures, latrones, circumventores, incendiarii, mendaces, perjuri, perfidique, impii, immanes, homicidæ, parricidæ, urbium regnorumque vastatores populatoresve: sui postremo carnifices, quique vitam perosi projecere animas. Itaque hi æstu, gelu, incendiis, eluvione, fulminibus, grandine, peste, fame, terræmotu, perpetuo cruciantur, excinduntorque: feris, serpentibus, scorpionibus, muscis, pulicibus, pediculis, cimicibus, ac id genus infinitis naturæ excre-

cre-

(1) Hæc nemo Bolinbrokio & Popeo copiosius edisseruere. Sed & Renato, & Leibnitio placuerant. Vide Theodiceam.

gementis infestantur: morbis innumeris affligantur. Ita totum mundi imperium hujuscemodi impuris fœdisque, ac nefandis animantibus exoneratur atque purgatur. Ac quamquam hæc nobis non satis cum Dei sapientia consentire videntur; consentiunt illa tamen mirabiliter; nam & cetera pulchriora efficiunt his exuta rejectaneis; & quantilla est hæc nostra tellus, si cum toto universo comparetur? Videlicet minor etiam, quam punctum geometricum; ut si totum non jam malorum scatens, sed unum esset malum, tam reliqua fœdare posset, quam immensam lucem obtenebrare nigra favilla. Interea is existimat etiam in hac universi cloaca bona malis multo majora esse & plura, quod ei ultro consentit Leibnitius. Quæ postrema ego quoque vera existimaverim. Sed unde exprompta illa cloaca? Hæc ne etiam in Dei operibus esse debuit? Nimis humana sapiunt: nos de Deo disputamus. An vero nemo christianus, & Episcopus, etiam in hac ignorantia, morumque protervitate, non ab Ada, sed a Deo, hanc esse extractam mundi cloacam dicere audeat.

Atque hunc ferme in modum Archiepiscopus Dublinensis cum iis disputat, quos præsentis vitæ mala offendunt. Ajunt eo in opere commoliendo exornandoque tota ferme vita adlaborasse. Leibnitio præivisse, quin ego moneam, nemo non sentit. Ac ferunt, id quum rescivisset Leibnitius, edita jam Theodicea, negasse, se tantum oneris suscepturum fuisse, si prius Kingii opus ad manus fuisset: quod credat, qui vult. Utriusque tamen, ut quod sentio libere dicam, magnorum certe ingeniorum conatus sunt: sed quibus ipsi illi, qui tentando tot exantlaverunt labores, minus sibi satisfecere. Neque, opinor, adeo vetustatis fuere imperiti, qui ignorarent, quæ illi habent sui systematis principia, tam antiqua fuisse, quam est hæc cum Manichæis controversia. Illam seu *privationem*, seu *non-entitatem*, seu *non-exsistentiam*, seu *naturalem imperfectionem*, seu *malum metaphysicum* & Aristoteles viderat, eoque veteres patres confugerunt perpetuo; vidit & contentionem oppositionemque rerum. Jam hanc Kingii mentium gradationem nemo veterum non recinit, memorataque est a nobis sæpe. Tum mundi ordinem legemque expetentem, ut singula suis locis & gradibus aptentur, tantumque *entitatis* (id puto dici ουσιαν) accipiant, quantum proportioni servandæ necessarium sit, totius hujusce theologiæ fundamen-

tum

tum fecit Thomas Aquinas, omnium, quos ego noverim, hisce in rebus intelligentissimus. Legem vero permutandarum sedium docuit Origenes: idem inferos in tellure locavit; qui nisi principia falsa sint & fabulosa, constantius pleniusque cetera contexuit, quam noster hic Hibernus. Ita post illa rejecta, pauca sunt, quæ hac in re mihi monenda restant, aut excutienda.

Nihil, quod creatum est, atque hujus mundi pars, naturæ infinitate pollere posse, distareque idcirco a summa perfectione infinite, id nemo sapiens illi contradicet. Itaque hoc, quod *non entitatis* malum vocat, nihil habet, quod Dei naturæ repugnet. Illa & physica, & morum mala magnum adhuc Dublinensi Episcopo negotium facessere arbitror: nam nec cum ratione consentiunt, quæ docet: nec cum christiana theologia; quam qui possum Episcopo ignotam fuisse suspicari? Nullo, ait, modo mundo convenientiori mentes corporibus jungere Deus potuit, quam hoc, quo fecit, ut nihil nec cogitare, nec appetere, nec agere, nisi hoc instrumento possunt. Hoc, etsi nimis audax, non ab eo contendam tamen. Illud quæro, quid necessarium erat parvo in semine gigni, nasci imbecillum, adolescere, senescere, interire? Ais tu, nullum præstantiorem modum fuisse, quo hæc hominum colonia duceretur? Hoc quoque, licet invitus, tribuo. Illud aperte nego, non potuisse fieri, quin dolori, atque ægritudini subderemur. Adeone angustos sapientiæ, atque potentiæ divinæ limites figimus? Illud pejus, quod divini verbi interpres atque catechistes totius christianæ theologiæ fundamentum pervertere videtur. Siquidem constat inter omnes christianos, etiam Socinianos, Adæ crimine hujusmodi in nos ærumnas inundavisse. Sed philosophum, puto, agit cum philosophis: quod etsi in Episcopo molestum, atque haud scio an ferendum; demus tamen tantisper. Qui igitur philosophicum erit existimare ullam esse posse inferam mundi partem, ut huc excrementa cælorum omnia confluant? Nec dum intelligo, quid istuc in universo, sublime, inferum; præsertim si eæ voces Deum spectent: nisi si is cum Aristotele Deum *primo mobili* affixum putet. Cur, inquam, non inferna Luna? Cur non Saturnus? Cur non alius totius cæli mundique locus? Sed hæc phantasiæ attribuamus. Lex illa permutandarum sedium, perpetua ne est, ut Origenes censuit, an, ut ajunt, *donec aliter*? Quam illa cum Dei

ſapientia ac dignitate pugnet, in Origene vidimus: hæc vero pejor, qui tantam in Dei ſapientiam labem invehit, ut leges retractare cogatur. Sed illa libertatis theoria in iram, mitiſſimum alioquin hominem, Leibnitium, adegit. Quæ hæc voluntas, quæ nullam auſcultet rationem? Quam ne Deus quidem ullo pacto compellere poſſit? Cur, inquit aliquis, cæleſtium animorum alii ſapientes ſemper ac beati, alii ſtulti, truces, miſeri æternum? Hoc enimvero in Democriti puteo eſt. *In hoc profundo eſt, quod neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei* (a). Quæ ſi obſcura, qui tot Deo indigna comminiſci intereſt Tragœdorum in morem? Venit hic in mentem Euripidis loci, quem Lucianus ridicule admodum & facete vertit in Græcos Tragicos. Nam quum ille ſcripſiſſet in Oreſte (b), *nihil eſſe tam terribile, ut verbo dicam, nec fato, nec ira cælitum invectum malum, quod non natura humana perpetiendo ferat*, Lucianus contra (c) nihil eſſe horum, quod deorum natura non paſſa ſit a Tragœdis in Tragicum Græcum torquet, poſtremis ſcilicet verſiculis paullisper immutatis. Locus Euripidis ſatis eſt notus: Luciani eſt

Ουκ εστιν ουδεν δεινον, ωδ᾽ ειπειν επος,
Ουδε παθος, ουδε ξυμφορα τραγωδικη,
Ης ουκ αν αραιτ᾽ αχθος η θεων φυσις.

Leib-

(a) *Aug. cont. Jul. oper. imperf. n.* 38.
(b) *V.* 1.
(c) *In Jove Trag. tom.* 2. *pag.* 128.

Leibnitii super eadem quæstione philosophia. Tria mala, metaphysicum, physicum, morale. *Deum semper optimum spectare prima, ac* antecedente, *ut ajunt, voluntate: ultima &* consequente *eligere id, quod minimum habeat mali, ubi rerum natura non patitur omnis esse mali expers. Omnium mundorum possibilium, hunc, cujus sumus particula, optimum esse. Tria mundi hujus plana, seu contignationes,* corporeum, intellectuale, naturale, gratiæ: *primum subjici secundo, utrumque tertio: omnia fini universi: sed secundum non repugnare primo, nec tertium utrique illi. Malum metaphysicum radicem habere in natura ipsa creatarum rerum, nec ulla Dei potentia revelli posse: physicum in materia ejusque lege: tolli non posse (quam arduum!) incolumi mundo, ac Dei sapientia: morale in voluntate, eaque finita: permittendum erat ex rationibus universi.*

SI quis animo, quæ hucusque super hac re scripta ac disputata sunt, comprehendat, recogitetque secum, fieri nequit, quin ipse per se intelligat, & nihil esse in rebus naturæ abstrusius, ac secretius, quam ea, quæ nos torquet, quæstio; & admodum esse nobis angustum domi præsidium, quo & perveniamus quo tendimus, ac quæ disquirimus plene attingamus. Argumenta quidem Manichæorum, quæ Bælius exacuit, haud ego plurimi faciam, quippe quæ constat aut a nostra proficisci rerum, finiumque hujus mundi ignorantia; aut sophistarum esse solertiis excogitata, ambiguisque vocabulis intertexta. Quamquam & in mundo sunt, & in hominum communi sensu plura ac præclara, quibus illa refellantur, si a plebejorum philosophorum consuetudine discedamus, omnia sua ex utilitate, exiguoque, quibus in mundi civitate circumdantur, coercenturque, loco, metientium, nec umquam latius, ac circumspectius totam intuentium universi rempublicam (a). Sed vero illud, qui totius universi finis; quæ ratio partium ac legum mundi omnium; utque ex illo fine ducti ac structi magni parvique rerum ordines; quanta ac qualis proportio & pulchritudo; hæc, inquam, si quis ignorari a nobis, ignorandaque perpetuo, quoad hic fuerimus, affirmet, non modo eum arrogantem superbumque non habebo,

(a) *Vide Leibn. Theod. p. I. n. 19.*

bebo, sed hominem existimabo & consultum, & prudenter modesteque disserentem (*a*); eosque sui, locique, quem hic obtinent, immemores, & incogitantes, qui tamquam ex tripode tantas controversias regie definiunt. Sed hæc sæpe. Nunc in hac postrema hujusce opellæ parte Leibnitii, magni videlicet atque illustris Germanorum genii (aut potius Kingii, quemadmodum ille novo habitu exornata, novisque suffulta adminiculis gallice legi voluit) dogmata enarravimus: sed paucis tamen; quandoquidem & nihil vulgatius est, & me quoque hujus suscepti laboris pertædet.

De homine satis sæpe dictum: nihil Leibnitiano ingenio penetrabilius, nihil excultius: illud vitii, quod in Metaphysicis a natura abit interdum longius, quam communis hominum ratio sequi possit: nam hæc, quæ metaphysica dicitur, longe illa quidem physicis disciplinis eminet: huic corporeo mundo veluti sublimis præest: sensibilia prætervolat levis ac oculis incomprehensibilis: sed hæreat tamen mundo necesse est; cum eo colligetur, jungaturque arcte. Si secureis, extraque evolare sinas, haud ego scio, quo loco sit habenda. Nam philosophia nihil præter *res*, & *imaginationes* novit, velut corpus, & umbram: quod e *rerum mundo* exturbatur, ad alterum *imaginationum* spectat. Hunc si in deliciis habeat philosophus, se extra nostra versari sciat. Atque huc periculi magna sæpe ingenia, vasta, peracuta, deveniunt. Si idiotarum turbam audiamus, haud ab eo longe tantus abfuit Germaniæ genius. Sed turba scilicet sumus. Nunc illud, quod instat, agamus. Nihil in Deo, inquit Leibnitius, non infinitum est (*b*); ergo & bonitas, & sapientia. Illa infinita sui fœcunditate ac ubertate naturæ parere extra se aliquid progignereque amat, nec nisi bonum, pleneque bonum, quo nimirum bono nihil esse possit melius (1); at nihil melius infinita bonitate. Hæc interna est ac æterna causa, qua Deus permovetur, ut rerum aliquam universitatem procreet. Sed hæc tamen bonitas non brutus mechanicusque impulsus atque instinctus esse potest; non effluxio; nec ulla ejuscemodi actio sine intelligentia, ratione, arte; sapientia ergo regi-

(a) *Idem Theodic. preface.*

(b) *Theodicee part.* 2. §. 117. *sæpe alibi.*

(1) Huc Platonicorum illud spectat, *bonum est jus diffusivum*, cui mundi originem acceptam refert in Timæo Plato. S. Aug. de doct. christ. lib. 1. *Quia Deus bonus est, nos sumus.*

regitur. Ex illa exundante naturæ divinæ feracitate infiniti mundi prodire possunt: quin hic noster infinitis variisque modis. Æque boni perfectique omnes esse nequeunt; neque enim alias varii & diversi essent; est igitur alius alio melior perfectiorque. At perfectissimum optimumque omnium spectat summa bonitas: eum appetit; eum vult. Rationis est hunc exhibere; bonitas & voluntas eum seligunt. Potentia tamquam utriusque administra procreat: illud exemplar rationis spectat perpetuo: ne hilum quidem ab illo declinat. Illud imperat voluntas; nam illuc fertur bonitas totius molitionis veluti prima, nec mutabilis vis. Fac minus quod bonum sit velle appetereque; infinita non erit: quin malum eliget: quod enim minus est bonum, si cum meliori contendatur, malum est. Quantum in Deo nefas? Est igitur hic mundus omnium optimus, qui a Deo excogitari fierique potuere. Nihil præclarius nec melius aut intelligi a Deo potuit, aut creari (1). Est hoc primum scholæ hujus paradoxum.

Cum hisce, dicet aliquis, tot malis? Cum hisce enimvero, inquit ille. Nullus igitur nec effingi ab illo mundus potuit, nec fieri omnis mali expers? Non potuit. Adeone igitur & consilii inops, & impotens Deus? Nec id, inquit, consilii inopia efficit, nec impotentia, sed rerum ipsarum pugna quædam, ac inevitabilis, & suapte natura fatalis; quæ æternum quidem in *idearum regione* fuit, quo primum in loco nascuntur mundi; mox mundum ipsum sequuta est (*a*). Quæ enim secum pugnant, ut cubum esse & sphæram, aut esse simul ac non esse idem, ipsa per se sunt *nihila*, neque exsistentiæ capacia: si quidem ea est eorum natura, ut tum destruas, cum conaris efficere. Hæc satis constant, ut omni necesse sit ratione destituatur, qui pugnantia fieri posse certet, aut expetat. Ponamus nunc omnem mundum corporibus mentibusque conflari struique: statim sese tria efferent pugnantia: 1. ut procreatæ sint mundi hujus res, nec tamen finitæ naturæ. 2. ut & ordinata sint corpora, ac moveantur, atque fixis constantibusque legibus, nec interea ulla sit inter partes oppositio. 3. Postremo ut sint mentes intelligentia & ra-

(a) *Theod. part.* 1. *n.* 20.

(1) S. Aug. de lib. arb. lib. 3. cap. 5. *Quicquid tibi vera ratione melius occurrerit, hoc scias fecisse Deum tamquam bonorum omnium conditorem.*

ratione præditæ, nec vero appetentes; suique arbitrii, adeoque ipsæ per se errori ac peccato obnoxiæ. Hæc tria tam sunt pugnantia, quam hæc alia, ut figura sit aliqua, nec tamen ullis terminis comprehendatur: ut 2. 4. 8. 16. in eadem sint proportione, ac 2, *avis*, *dies*, *quadratum*, ut triangulum sit figura aliqua, nec tres ejus anguli duobus rectis sint æquales. Hæc quis, nisi ratione sensuque omni interceptus, non pugnantia existimet?

Fluunt, inquit, hinc tria mala, longeque permanant, quin in Deum ullo modo conjici possint, *metaphysicum*, *physicum*, *morale*. Quæ creata sunt, infinitæ naturæ esse pugnat; hoc *metaphysicum est*, insitum rebus ac originale; idque ἀναγκαῖον, necessarium. Quo illud tolleret Deus consilio? qua potentia? nisi si nihil procrearet; quod quis sanus exoptet? qui forte non intelligat, naturam etiam circumscriptam, ei, quæ non est, infinite præstare. Ne divinæ quidem naturæ infinita ac exundans fœditas ut nihil extra se procrearet permittebat. Sed nec minus exploratæ cognitionis est, pugnare mundum esse corporeum aliquem, motuque cieri, pergereque, sine ulla partium contentione ac repugnantia: siquidem sublata ἀντιτυπία, *mutua resistentia*, nullus ne concipi quidem potest corporum motus, nulla concitatio, nulla animantium vita. Hæc pugna *malum* est *physicum*, ac naturæ, eoque generationes, alterationes, corruptiones, dolores in animantibus progignuntur. Tollat hæc Deus; aut corpora tollat oportet; aut ea figat, omnique privet & motu, & actione & vita: aut nulla esse sinat animantia: quæ si cum illa mundi conditione pugnant; ἀναγκαῖον, *necessarium*, inquit, hoc quoque naturæ est malum. Ita videlicet illam molitionem sequitur, ut in proportione aliqua, si 2. 4. 16. habeas 32. 64. 128. &c. adscribas necesse est; perversurus omnia nisi facias. Quid, inquit aliquis, attinebat materiam ac corpora creare? Mundum solarum mentium procreasset. Quid, si hic non melior? Nam optimum sequitur Deus: meliorem autem quis demonstret futurum fuisse? Malo, ajunt, Physico cariturus fuisset. Imperite. Nullus animus nisi voluptatis & doloris capax esse potest: ea tam sunt connexa, quam si quis dicat, circulus est; radios ergo habet æquales. Qui igitur scias in solarum animarum mundo, quem soli naturæ legi submisisset artifex summus, nec miraculis substinuisset uiiis,

nullum

nullum futurum fuisse dolorem? Nisi si voluptatem omnem quoque adimas. Dolorem autem hic dico & voluptatem, quæ nimirum ex natura ipsa ac ingenio animarum erupissent: quæ ex usu aut abusu rationis & appetitus manassent. Nam quum & eæ quoque mentes finitæ essent rationis atque potestatis, tam illic ex ejus mundi causis lætari, aut dolere possent, quam hic ex nostris. Quid igitur lucrati essemus? nisi quod rationis objecta mutassemus. Quo modo dolent plebejo homini oculi e fœda suppellectili, angustaque domo: nec tamen minus magis Regibus ab ædibus auro ebureque distinctis, a copiis, a regno. Est sua cuique ambitio, eaque gradui cujusque congruens: suæ quemque inferiæ turbant vexantque. Gratia, inquis, compescuisset, fixissetque in sese immobiliter: fini applicuisset, ut nusquam nec cogitatione, nec appetitu vel hilum sese dimovissent. Præclare scilicet! Ita mundum illinc procreare inceptasset, quo fieri oportuit: quin quidquam spatii procurrisset, jam mentem tangeret. Non secus ac si quis quærat, nonne Alexander Macedo satius a regnando in Perside, totoque illo Persarum regno, tantam expeditionem exorsus esset? Nonne Senatus populusque Romanus a totius Europæ imperio? Tot labores, tot pugnas tot interneciones vitasset. Ac habent hæc exempla quod non satis quadret: sed est tamen in illis aliquid, quo ejuscemodi quæstionis absurditatem pervideamus. At hanc, & quæ sunt ejusdem generis plures querelæ, non ratio, sed privata libido edicit; quæ universi qui potest esse ratio & finis? Alterum est hoc paradoxum.

Jam postremum consideremus. Peccata ne etiam esse oportuit totque scelera, quo plenus, perfectusque, omniumque optimus hic esset mundus? Quæ si divina voluntas odit & aversatur, mala profecto sunt; velle igitur nequit tamquam ad mundi ornatum pertinentia. Quid vero? an auferre nequit? quæ est ergo istiusmodi omnipotentia? Sed hæc, inquit, aut inscite, aut invidiose disputantur. Inscite quidem, si peccata cum peccandi facultate perturbent: invidiose, si secernant. Peccandi potestas in appetitu ac libertate inest: peccatum hujus potestatis est actio, sed regulæ adversa. Libertas ad naturam animorum pertinet; ad mundi ergo & ordinem & ornatum (a). Hanc au-

(a) *S. Thom. sæpe.*

ratione præditæ, nec vero appetentes; suique arbitrii, ideoque ipsæ per se errori ac peccato obnoxiæ. Hæc tria tam sunt pugnantia, quam hæc alia, ut figura sit aliqua, nec tamen ullis terminis comprehendatur: ut 2. 4. 8. 16. in eadem sint proportione, ac 2, *avis*, *dies*, *quadratum*, ut triangulum sit figura aliqua, nec tres ejus anguli duobus rectis sint æquales. Hæc quis, nisi ratione sensuque omni interceptus, non pugnantia existimet?

Fluunt, inquit, hinc tria mala, longeque permanant, quin in Deum ullo modo conjici possint, *metaphysicum*, *physicum*, *morale*. Quæ creata sunt, infinitæ naturæ esse pugnat; hoc *metaphysicum est*, insitum rebus ac originale; idque αναγκαιον, necessarium. Quo illud tolleret Dei consilio? qua potentia? nisi si nihil procrearet; quod quis sanus exoptet? qui forte non intelligat, naturam etiam circumscriptam, ei, quæ non est, infinite præstare. Ne divinæ quidem naturæ infinita ac exundans fœcunditas ut nihil extra se procrearet permittebat. Sed nec minus exploratæ cognitionis est, pugnare mundum esse corporeum aliquem, motuque cieri, pergereque, sine ulla partium contentione ac repugnantia: siquidem sublata αντιτυπια, *mutua resistentia*, nullus ne concipi quidem potest corporum motus, nulla concitatio, nulla animantium vita. Hæc pugna *malum* est *physicum*, ac naturæ, eo[illegible] generationes, alterationes, corruptiones, dolores in animantibus progignuntur. Tollat hæc Deus; aut corpora tollat oportet; aut ea figat, omnique privet & motu & actione & vita: aut nulla esse siuat animantia: cum si cum illa mundi conditione pugnant; αναγκαιον, *necessarium*, inquit, hoc quoque naturæ est malum. Ita vim licet illam molitionem sequitur, ut in proportione aliqua si 2. 4. 16. habeas 32. 64. 128. &c. adscribas necesse est, perversurus omnia nisi facias. Quid, inquit aliquis, attinebat materiam ac corpora creare? Mundum solarum mentium procreasset. Quid, si hic non melior? Nam optimum sequitur Deus: meliorem autem quis demonstret futurum fuisse? Malo, ajunt, Physico cariturus fuisset. Imperite. Nullus animus nisi voluptatis & doloris capax esse potest: ea tam sunt connexa, quam si quis dicat, circulus est; radios ergo habet æquales. Qui igitur in solarum animarum mundo, quem soli naturæ legi permisisset artifex summus, nec miraculis substinuisset

null-

quas illæ rationes sectari deberent, quas cavere. Finis illis non alius propositus, nisi purus summi parentis amor id futurum ipsum & medium, quo plene beati esse possent (*a*). Ac vero qua alia in re esse mentes beatæ possunt, quam in eo amore, quo perfecte explentur? Infinita quadam appetitione ac infiniti præditæ sunt animæ: nihil vero, nisi Deus, infinitus: ejus igitur tantum amore beari possunt. Est igitur amor & finis mentium, & medium. Hoc vellem de amore, non de illis insanis libidinibus, dixisset Euripides (*b*).

Ερωτα ος̓ις μη θεὸν κρινει μεγαν,
Και των απαντων δαιμονων ὑπερτατον,
Η σκαιος εςιν, η καλων απειρος ων,
Ουκ οιδε τον μεγιςον ανθρωποις θεον.

Quisquis amorem non magnum Deum putet,
Ac reliquis Diis longe sublimiorem,
Aut stultus est, aut egregie rerum imperitus,
Quippe qui ignorat, nullum esse eo nobis majorem.

Sed ut amor gaudium, lætitiam, voluptatem in animis ingenerat, qua illi trahuntur: sic metus ægritudinem, qua absterrentur. Itaque in illa lege sanctio hæc esse debuit, ut quæ rite animæ amarent, beatæ & hic essent, & dehinc perpetuo: quæ ab illo amore delaberentur, & nec satiabilia deperirent, excruciarentur hic falsis amoribus, cupiditatibus, libidinibus, timoribus, ceterisque perturbationibus; ac universo ad finem suum progrediente, ab illo se postremo longe abiisse sentirent (*c*).

Qua ex re intelligitur hujusmodi legem & ad sapientiam Dei pertinere, & ad benignitatem: quippe sine qua nec ordo esset mentium ullus, nec certus nobis præfinitus finis. Atque hinc duo veluti totius ædificii strata prima, duoque mundi ordines quasi emergunt, quorum alter corporum ac physicus; alter mentium, ac rationalis & intelligibilis. Motuum ille legibus regitur: hic legibus rationis: subest ille huic, quasique subpositus est: hic illi præest eminetque. Sed tamen connexi sunt inter sese & concatenati. Nihil esse vacui ac deserti in tantæ divinitatis operibus fas est: altera alteri con-

(a) *Theod. preface.* (b) *Apud Stob. serm. 61.*
(c) *His similia disputat sæpe Aug. de* ordine, *in Confess. &c.*

contignationi juncta est. Hinc quod in homine corporeum est, necesse est naturæ primique illius strati fato subjiciatur: nasci, mori: corporum ictus sentire: omnibus corporeæ naturæ motibus exponi oportet. Si ea lege natura ipsa exemti essemus, qualis esset universi ordo? quæ contignationum junctura? Ac quoniam eadem totius *lex* exposcebat, ut animi aliqui corporibus jungerentur, quo per gradus ab imis substantiis ad Deum suis ordinatisque nexa cingulis catena duceretur; connecti & hi cum corporibus debuere. Itaque & ea cognoscere, & eorum phantasiis affici; idemque lætari posse, aut dolere ac reliquis commotionibus subjici. Ita extitere homines & finitæ, ut res ceteræ, naturæ: & mundi corporei legibus subjecti: & liberi, rationisque legi subditi. A qua quum per aut sui nimium, aut aliarum rerum falsum amorem, ratione brevi finitaque seducti, desciscere queant; duobus illis *metaphysico* ac *physico* malo, tertium hoc *morale* accedere potuit, *peccata* nempe. Hæc & secum nova physica deferunt mala: si quidem talia sunt falsæ omnes commotiones, quæque hinc exoriuntur in corpore plura: & a divina justitia, idest ordinis amore, alia arcessunt, quibus ad finem revocemur. Hæc quis neget summæ esse & sapientiæ & bonitatis? O me stultum, qui horum plura nego, hocque in primis, etiam innocentes malis physicis subjectos fuisse.

Sed enim: cur finitæ labentique naturæ summa illa majestas non succurrit, ne erret, falsoque cupiat, aut metuat? Aut cur si justitia amor est, in rebelles *animadvertit* æternum? Nam hæc sæpe Bælius oblatrat. Quæ Leibnitius ex imperitia ambo nasci arbitratur: nam & succurrit quoad & naturæ rerum & totius leges patiuntur: nec æternas vult pœnas, nisi *ex consequenti*, quod rebelles animæ æternas sibi consciscant, æternum arduæ, & obstinatæ. Sic enim ille sciscit, gratiam, quam theologi *sufficientem* vocant, nec eam tamen, quæ nomen tantum hoc mentiatur, quumque sit sufficiens, non tamen sufficit, sed quæ revera sufficiat, si quis ea sapienter utatur; hanc, inquam, omnibus a Deo dari arbitratur. Hic ab Augustinianis se dissentire aperte profitetur. Si quis igitur eo beneficio prudenter probeque utatur, majora largiturum existimat. Sed illo tamen pleræque mentes abutuntur: sua sunt igitur protervitate miseræ. Hanc ne dæmonibus qui-

quidem, (quæ theologia!) denegari fas esse putat credere. Id scilicet imperat suprema & infinita Dei bonitas: sed ei illi adversantur, pravaque sua sequuntur desideria. Hinc perpetuo miseri. Adeone perpetuo redivivus Origines? Sed quid, infantibus, stupidisque, rerumque omnium ignaris faciemus? His paratum *Limbum* opinatur, nec eos fert, tamquam immanes, qui severius decernunt. Illa vero gravior ac molestior quæstio, qui non his mentibus ea gratia suppetias fert, quæ *efficax*, ac triumphatrix dicitur? Ea pluribus succurrere Deum vetat quempiam dubitare: sed leges mundi prohibere existimat, cur id efficiat cum omnibus. Hoc enim tertium mundi stratum, quod gratiæ dicitur, cum duobus reliquis harmonice conspiret necesse est. Cavebit, ait, profecto sapiens, ne ita Deum & benignum, & liberalem exoptet, ut stultum & insipientem velit. Habet, inquit Tertullianus (1), & Dei bonitas suas regulas. Igitur si hanc alteram gratiam ac præpotentem non omnibus largitur Deus, non sine summa ratione facit. Qua, dicet aliquis? *In profundo latet*, inquit sæpe Augustinus; idque probat Leibnitius. At hic erat quæstionis cardo. Ignota igitur est tantæ rei ratio & causa: hoc agimus. Cui igitur bono Theodicea? nempe ut Kingium Gallice loqui doceret?

Sed quum duæ sint perpetuo discernendæ ac sejungendæ quæstiones, altera sit ne ulla in Deo culpa, cur nullum sit mundi stratum, quod non aliquo malo laboret; altera, qua ratione hæc esse ab Adamo mala passus sit, ac moralia præsertim: in prima superioribus armis cum Manichæis bellamus, Deique bonitatem extra omnem & accusationem & suspicionem ponimus. In altera curiositati impares nos esse opinor, ut quæ illa sit ratio, quæ esse aliqua profecto debet, & maxima, qua factum sit, ut non decuerit Deum aliter agere, digito attingamus. In mundo ipso esse debere dubitare nos vetat & Dei magnitudo, & tanta, quantam in naturæ rebus cernimus, harmonia. Eam in numero habere nos non posse, atque inter tot, quæ se nobis offerunt, discernere, nostra facit finitas, ac tantillus rerum locus, quem occupamus, infinita vero universi vastitas, rerumque multitudo (1),

(1) Tertull. lib. 1. cont. Marcionem cap. 22. *Et utique erunt regulæ certæ ad examinandum Dei bonitatem*.

(1), earumque & inter sese, & cum toto ac fine, ordo & harmonia.

Sunt in Theodicea plura a theologia enormia. Hæc viderint theologi. Philosophica vero sunt ne e ratione omnia? Fundamentum est, mundorum omnium hunc esse optimum. Nullum esse sine malo posse: beatum, optimumque, qui minimis distringitur. Sed hæc minima mala magnis illustribusque bonis servire, eoque rationem naturamque boni nancisci. Sed illud nostri Dialectici quærunt, optimum esse Deum a prioribus an a posterioribus conficit? Ac inter philosophos, an cum theologis rem hanc disputat? Tota cognitio, quam Dei, divinarumque rerum habemus, a natura expromimus, a posterioribus scilicet; hinc igitur dijudicandum, bonus ne sit Deus, necne. De Dei ergo bonitate ex mundo censendum est. At non omnium esse hunc mundum optimum id efficit, quod meliorem liceat excogitare. Agamus, inquiunt, cum philosophis geometrisque. Est certe aliqua malorum bonorumque mundi hujus ratio. Sit 2 ad 1 000 000, aut quemvis finitum alium numerum: ratio τȣ 1, ad 1 000 000 duplo est major: itaque mundus in quo mala sint 1, bona 1 000 000 erit duplo melior. Accedant nunc theologi. Ajunt tertiam Angelorum partem rebellasse; igitur in secundo totius universi strato malum est ut 6 ad 18. Si nona pars rebellasset, fuisset ut 2 ad 18. Hic mundus fuisset triplo melior, quam quem incolimus. Quæ eadem conclusio in hominibus locum habet. Non igitur optimus omnium est hic mundus. Quæ superius dogma convellunt, nosque iterum in fluctus undasque dubitationum deferunt.

Sed hæc illum non dimovent: inter mundos, inquit, possibiles fuere proculdubio plures, qui aut hisce doloribus, peccatisque carerent, quæ hic grassantur, aut minori essent copia & magnitudine (*a*). Est quisquam qui id negare audeat? Nec tamen ad rem. Illud conquisitum oportuit, mundi ne illi iis malis destituti, meliores essent hoc, necne? Assumunt nostri Dialectici, eoque, quem diximus, calculo, efficiunt. Imperite, ait: sunt enim hæc hujus mundi mala adeo cum bonis, totiusque perfectione

(a) *Theod. I. p. n. 21, & seqq.*

(1) Theod. p. 1. n. 10. *Je ne sçauvois vous le faire voir en détail: car puis-je connoitre, & puis-je vous representer des infinis, & les comparer ensemble?*

ctione juncta, ut si minueris, necesse sit illam quoque perdas: quo fiet, ut hic mundus pejor absurdiorque evadat. Hæreamus, inquit, principio: nihil potest velle Deus, nisi bonum ac optimum. Itaque in hac, si ita loqui licet, beata necessitate est, ut aut nihil procreet, aut quod optimum perficiat: illud cum naturæ fœcunditate, suaque immensa bonitate non satis congruit: hoc ergo illo dignius. At optimum non id est, in quo nihil inest mali; id possibilium rerum prohibebat natura, sed in quo minimum; in quo quod malum est magno bono serviret: quod esset, *sine quo non*. Quid, inquis, istuc monstri? sine quo, inquam, ne illa quoque tanta mundi præstantia, ac bonorum affluentia locum esset habitura ullum. Quid, inquiunt, si hæc non rerum natura, sed phantasia suppeditat? Nam Dei bonitatem a mundo adstruere: mundi præstantiam ex Dei bonitate; illud sophismatis genus videri potest, quod *versationem pistilli* vocavere Græci. Nimis inscite indocteque: Deum enim esse, eumque & naturæ optimæ, & voluntatis, prius scio, quam mundum hunc omnium esse possibilium optimum. Me esse, cogitare, velle, posse, mihi intimitus nota sunt, ac priusquam quicquam aliud perdidicerim: ex quo efficio aliquid æternum esse oportere, quod & per se sit, & intelligat, ac velit, potentiaque polleat. At quæ in eo, quod per se est, finitio ac naturæ finitæ delineatio esse potest? Est igitur & infinitæ naturæ ac intelligentiæ, & infinitæ potentiæ. Infinitæ vero naturæ infinita bonitas est; infinitæ bonitati nihil consentire ac placere, nisi quod optimum, potest: hoc placere, velle est; nihil igitur, nisi optimum vult. At ejus voluntate hic exsistit mundus; optimus ergo est. Quæ qui ita conficit, qui ille pistillum versat? Atque hæc Leibnitiani.

CONCLUSIO.

SED hæc modo concludamus, ac lectorem longo fastidio levemus. Si quis quæ in tam molesta difficilique quæstione excogitata ac disceptata sunt, animo nunc suo verset; & considerate cogitet, facile, puto, ei apparebit, quod ait in Timæo Plato, *Deum* ac *ἀνάγκην*, mundi hujus esse apud philosophos ferme omnes principia. Siquidem, (ut Democriti, atque Epicuri scholam & incogitantiam excipiamus) nulla uspiam natio quantumvis barbara & excors,

tors, nemo alius philosophorum, non a Deo mundum esse dixit, a necessitate vero quadam mala. Hoc distant; quod illam *αναγκην physicam* alii arbitrantur esse, extraque Deum, eaque Dei vim retundi, in eoque prave, aut incogitanter peccant; alii duplicem, *metaphysicam*, & *moralem*. In illa sunt pravitate, qui materiam per se esse putant, ejusque ex indole, aut animo, aut liberis, arduis & indomabilibus, mala repetunt: ii *physicam* Deo impotentiam attribuunt, efficiuntque quodammodo imbecillum, physicæque huic *αναγκῃ* dolores & peccata accepta ferri debere docent. Hasce aut impietates Manichæorum, aut ignorantias Ethnicorum philosophorum christiana resecuit dispulitque schola. Sed quum constet inter omnes nihil Deo tribui fas esse, nisi bonum optimumque, quodque cum infinita ejus natura per omnia consentiat; christiani theologi *αναγκην* quamdam retinuere (a), illis licet flagitiis perpurgatam, quibus profani & impuri homines conspurcaverant, nihilque complectentem, quod non cum libera Dei natura ac sapientia plene congrueret. Ea nobis duplex est: nam est aut *metaphysica*, idest *impossibilium*; aut *moralis*, *immutabilis nempe sapientiæ*; quarum illa in rerum ipsarum natura est, nec Deum ullo modo attingit: negatum est enim quidquam, quod creatum sit, infinitæ esse posse naturæ: *metaphysica* igitur *necessitas* est; quæ est in rebus, ac vinci a Deo non potest, nisi si efficere velit, ut per se sit sineque causa, quod procreatum est, sineque causa esse nequit. Creatæ vero sunt omnes, quæ universum incolunt, mentes: circumscriptæ ergo: non omnium ergo nec gnaræ, nec potentes: ita autem appetentes, ut intelligentes; quandoquidem altera alteram potestas individua sequitur. Liberæ postremo; sed ex ratione, sine qua nulla est libertas. Hæc facultatis peccandi metaphysica scatebra est, ac veluti fatum quoddam insitum *creaturis*, &, ut vocat Leibnitius, *originale*. At altera, *moralis*, *necessitas justitiæ*, *& condecentiæ*, tota Deum spectat, nec tamen quiddam est, quod non cum ejus summa majestate consentaneum sit. Quin adeo ab eo non dissentit, ut Deus esse optimus maximus sine illa nequeat. Nequit enim ille non infinite perfectus esse: nihil ejus feracitate feracius esse, aut excogitari potest: nihil bonitate me-

(a) *Durand.* I. 5. *d.* 43. *q.* 5.

melius: nihil ejus intelligentia intelligentius, aut potentia majus. Sed quo hæc majora sunt, ita nequit ille quicquam aut velle, aut agere, quod ulla in parte cum se suisque proprietatibus pugnet (1). Huic est igitur beatissimæ αναγκη subjectus. Hanc *necessitatem justitiæ* vocant theologi. At quid est aliud ejuscemodi *justitia Dei* præterquam æternarum idearum æternæ veritates, ex quibus hic rerum ordo est, harmonia, perfectio? Minus bonum anteferre majori illæ vetant: αναγκης est moralis. Ita fit, ut si non ex partibus, iisque quasi resectis, sed ex toto judicemus, hic mundus sit omnium optimus (2); aut, si cui hæc Leibnitiana minus placeant, tam præclarus & bonus, quam quivis alius. Hujus si mundi ordo atque ratio poscebant, ut non scatebra tantum malorum esset (quod vitari nullo potuit pacto) sed ipsa quoque mala, peccata, dolores, ægritudines, id ille sinere propter ejuscemodi immutabilem sapientiam ac *decentiæ* necessitatem debuit; nec tamen minus bonus beneficusque, quin magis; quia magis sapiens, qui toti magis, quam partibus prospexit. Atque hæc in duobus illis naturalibus corporum mentiumque planis perspicua intelligenti esse debent & indubia, si superiora secum recolat. Turbat nonnullos tertium, gratiæ nimirum, planum. Cur, inquiunt, *pauci electi?* Hæc alius aliter interpretatur disputatque. Sed huc postremo congrediuntur omnes, eoque veniant ratio jubet, ut id quoque optima cum ratione fiat: ut ad optimum pertineat mundi consilium: Non esset, nisi ita, ut effecit, faceret, sapiens Deus, ait sæpe Tertullianus: at is bonus, qui sapiens, eoque bonus, quo sapiens; non ergo bonus optimusque, nisi sic se gereret. Ecquodnam, inquiunt, hoc consilium? quod bonum? Ex universo, inquam, an ex natura Dei? Mundum varietate rerum, ordinum, temporis, spatii prope immensus: Deus naturæ omnimoda infinitione pollet. Utrumque igitur prius plene nobis comprehensum & exploratum dato: nihil eorum nos lateat; id tum ego monstrabo consilii. Quæ si cum hac natura mortalium pugnant: hanc premamus animi curiositatem, ne id nostrum cuique acerbe ingerat aliquis,

Qui homo te exsuperavit usquam gentium impudentia?

VETUS

---

(1) S. Anselmus. *Minimum inconveniens est Deo impossibile.*

(2) Egit nuper hanc causam Placidus Fiximillner monachus Benedictinus Germanus docto opere.

VETUS DISSERTATIO,

QUÆ CIRCA ANNUM 1740. SCHOLASTICO STYLO SCRIPTA FUIT,

CUJUSQUE OCCASIONE SUPERIORA ELUCUBRAVIMUS,

In qua de Dei beneficentia, & de origine malorum ex principiis S. Thomæ differitur.

§. I. QUÆ superius (1) a nobis prolata sunt argumenta, ea non exsistentiam tantum primæ ac summæ universitatis rerum Causæ demonstrant, sed ejus quoque *absolutam perfectionem*, *bonitatem*, *providentiam*, *beneficentiam*. Verum quum in hoc loco totius Religionis principia & fundamenta constituere decreverimus, atque adversus Atheos & Deistas tueri; totius vero Religionis præcipuum fundamentum sit bonitas, providentia, & beneficentia Dei (2); operæ pretium esse censui copiosius & accuratius rem hanc tractare, ac Philosophum nostrum in eo undequaque munire, quod si labascat, ne reliquum quidem Religionis corpus stare potest. Agendum autem ob id etiam studiosissime, quod non defuerint nuper lasciventia quædam ingenia, quæ veterum Epicureorum ac Manichæorum manes perabsurda quadam ambitione ex inferis revocare conati sunt. Petrum *Bælium me* in primis significare omnes intelligunt (3). Nam is ut rationem naturalem, quod ad Religionem attinet, in ordinem cogeret, Epicureorum, & Manichæorum adversus Dei boni-

(1) In Elementis scilicet, parte olim tertia, nunc secunda.

(2) Quippe qua sublata, ne mundus quidem est. *Quia Deus bonus, ideo sumus*, ait Augustinus.

(3) Addo hic eos, qui mala naturæ humanæ æquo justius exornarunt, nobisque beluas anteposuere, quorum omnium ego & elegantissimum & disertissimum, sed horrificum tamen habeo maxime, Joannis Baptistæ Gelli Academici Florentini opus, quod *la Circe* inscripsit, Plutarchi Grillum imitatus, quo in opere genus humanum turpissime ludere videtur, cui multis ex nominibus beluas anteponit.

bonitatem argutationes exornavit, ac nimium quidem invidioseque, ut tum demum, quod eleganter Leibnitius dicit, *rationem ad silentium adigeret, quum diu illa impudentissime, & procacissime adversus fidem clamitasset*, non ignarus, tum facilius repertum iri homines, qui de fide adversus Deum subdubitarent, quam qui rationi tam astute instructæ renunciarent. Et plures quidem viri docti bonitatis Dei causam egerunt, quos ego vehementer etiam tum laudare soleo, quum intelligo non æque omnibus rem ex voto successisse; certus eadem alios mecum humanitate acturos. Est enim profecto aliquid in tam justa tamque perdifficili causa etiam conatus, quo intelligant Athei, si qui animo sunt, quam exiguo numero sint ii, qui gigantum in morem adversus Deum præliantur.

§. II. Deum esse intelligens & incorporeum ens necessitate naturæ suæ exsistens, Opificem ac Patrem universi mundani operis, constat ex superioribus. Quum autem quod naturæ suæ necessitate exsistit, non possit non esse *quicquid esse potest*; consequitur, Deum esse *quicquid esse potest*, idest infinitum undequaque, cui nulla sit nec exsistentiæ, nec essentiæ limitatio, idest qui nec modo ullo terminetur, nec ulla qualitate finiatur. Nam ut modi, ita qualitates argumentum sunt exsistentiæ & essentiæ ab alio dependentis. At vero pone Deum non esse quidquid esse potest; jam potest esse aliud, quod naturæ suæ necessitate non sit. Id autem esse potest naturæ ne suæ capacitate, an vi alterius causæ? non primum: nam si natura æterna & necessaria esse potuit quid perfectius, quam ab æterno fuit, ea ne necessario quidem fuit. Nec posterius. Primum natura æterna & prima, quæ sit omnium causa, ab altera pendere nequit. Deinde res, quæ natura sua non potest esse, nisi quod est, ne vi quidem ullius causæ esse aliud potest, quam quod est. Natura ergo æterna & necessaria ab æterno & necessario fuit quidquid esse potest, idest ab æterno & necessario fuit infinite perfecta.

§. III. Præterea, quæ rationes demonstrant Deum esse, idest æternam & primam cunctorum causam, eæ una opera demonstrant, in hac exsistere rationem sufficientem *exsistentium omnium & possibilium*; quippe quæ ratio nisi in ente æterno & necessario sit, in nihilo erit, idest nulla,

quod est *contradictorium* (1); exsistere autem debent hujusmodi rationes sufficientes & in ejus intelligentia *intelligibiliter creatrice*; & in ejus essentia *eminentissime*; & *in potentia*, quod a nobis in prima parte demonstratum est. Nisi autem natura illa undequaque sit infinita, hujusmodi rationes nullæ erunt; quæ tamen sint necesse est; quando ex nihilo nihil est. Quibus ergo argumentis demonstratur Deum esse, iisdem conficitur esse undequaque infinitum. Quo modo quæ argumenta demonstrent, in data superficie virtute contineri infinitas figuras planas, quæ sint majores semper & majores, ea evincunt quoque infinitam esse debere hujusmodi superficiem. Itaque quum possibilia infinita sint, ac majoris semper & majoris perfectionis in infinitum; quæ natura eorum omnium rationem sufficientem continet, undequaque infinita sit necesse est (*a*). Quæ adeo explorata sunt, ut communi omnium sensu semper comprobatum fuerit, Deum esse id, quo majus nihil esse possit, *optimum* scilicet & *maximum* (*b*).

§. IV. Quum ergo Deus sit infinite perfectus; sequitur esse & infinite bonum, ac sibi ad beatitudinem sufficientissimum. Ac primum quidem per se est perspicuum: quoniam, ut philosophi omnes maxima consensione docent, *naturalis perfectio* & *bonitas absoluta inter se reciprocantur*, ut tantumdem semper insit rei *bonitatis absolutæ*; quantum perfectionis, seu *realis entitatis*. Quum ergo Deus naturæ suæ necessitate sit infinite perfectus, itidem naturæ suæ necessitate summe bonus est, & undequaque absolutissimus. Id theologi dicunt *bonum & perfectum per essentiam* (*c*). Sed & inde consequitur eadem perspicuitate alterum, esse nimirum *αυταρκεςατον* sibi ad beatitudinem sufficientissimum: *nihil enim aliud* (inquit B. Thomas) (*d*) *nomine beatitudinis intelligitur, nisi bonum perfectum intellectualis naturæ, cujus sit suam sufficientiam cognoscere in bono quod habet*. Ac vero haud quis facile reperiet,

(a) *Suarezius Metaph. disp.* 30. *sect.* 17.
(b) *Vide Petavium lib.* VI. *Theol. dogm.*
(c) *B. Thomas prima parte qu.* 26. *art.* 1.
(d) *Idem prima part. qu.* 26. *art.* 1.

(1) Vide Auctorem operis *de cognitione veri* inter opera Augustini cap. VII. lib. ult.. Plura quoque habet in eandem rem Franciscus Suarezius in Metaphysica disp. 30. sect. 2.

riet, unde illi minus perfecta beatitudo inesse possit. Non a defectu entitatis & bonitatis, quæ in illo est summa & absoluta. Nec aut a contrarietate partium naturæ suæ, quæ in natura simplicissima nulla est; aut ab externis contrariis; quoniam naturæ infinitæ & summæ, ac unice infinitæ & summæ, omnino nihil est contrarium. Jam nec ab affectibus, qui in Deo nulli esse possunt: affectus enim naturæ sunt minime quæ sibi ipsa sufficientissima sit, seu naturæ, quæ aut erga externa bona rapiatur, quasi in sui complementa; aut sibi ab externis objectis timeat, velut sibi infestis & contrariis: quæ nunc duo a natura Dei infinita longe absunt. Ita necesse est Deum, Patrem illum ac Opificem cunctorum, esse beatissimum, nec rei cujusque externæ indigum, qua possit esse beatior; nec sibi ab ulla externa re timentem, qua perverti aut turbari possit. Uno verbo, plene perfectum, plene totum; quæ duo ubi adsunt, beatissima est profecto illa natura.

§. V. Ex divinæ naturæ perfectione infinita ejus consequitur absoluta bonitas & beatitudo: ex hac vero *bonitas relativa*, seu potius munificentissima beneficentia. Scilicet natura illa beatissima nec invidere ulli potest, nec irasci, nec omnino malefacere, nec non esse large benefica. Ac principio nihil verius & præclarius dici posse arbitror, quam Platonicorum illud, *bonum est sui diffusivum, summum summe*, præsertim si beneficentia nihil de natura benefica demat. Certe inter homines, quo quis est dignitate ac loco eminentior, bonis affluentior, virtute ac sapientia locupletior, suæ dignitatis ac status tutior, eo esse publicæ felicitatis amantiorem, eoque magis pro virili illam promovere. Itaque me concludere posse arbitror, Deum natura sua beatum ac perfectum, infinito supra creaturas loco situm, qui nec timere sibi quidquam potest, nec minor fieri participatione bonorum naturæ suæ, creaturis rationalibus beneficum esse debere, iis potissimum, quas beatitudinis capaces efficit. Intelligo præterea, quo quis imbecillior est, re & mente pauperior, minus loci, & status sui tutus, eo esse alieni avidiorem, sui parciorem, invidiæ, odii, fraudis plenum. Ergo nisi Deum constituam bonum, & beneficum, de naturæ suæ majestate deturbo.

§. VI. Idipsum ex natura nostra concludere possumus. Nos enim Deus beatitudinis capaces creat, & ita, ut na-

 tura

tura ipſa, & neceſſario beatitudinem appetamus & ſequamur, miſeriam averſemus. Præclare Auguſtinus, *omnes beati eſſe volumus; miſeri non ſolum nolumus, ſed nec velle poſſumus*. Quum autem, quæ naturales inſunt rebus & congenitæ proprietates, inclinationes, habitudines, capacitates, eæ a Deo immediate ſint, ideſt a prima cunctorum cauſa; fit, ut immediate a Deo in nobis *ſit* & conſervetur naturalis iſte beatitudinis appetitus, aut *ſaltem* capacitas, miſeriæ vero averſatio. Quod ſi nolit beatos, deludit profecto, ac vult miſeros, quod cum natura ſua pugnat. Vult ergo beatos. Eſſe autem nequimus, niſi ſui beneficentia, & bonorum diffuſione: ergo niſi efficiat, quum poſſit, ne vult quidem; atque idcirco ne bonus quidem eſt. Eſt autem bonus; & vult nos beatos; & poteſt; & naturæ ſuæ eſt velle & efficere; beneficus igitur eſt (1).

§. VII. Itaque Deus nec invidere ulli poteſt, nec iraſci: ſed ne malefacere quidem, quin is mereatur. Nam invidere & iraſci imbecillitates ſunt naturæ aut aliquo bono indigentis, aut aliquid ſibi timentis: nullo vero bono indiget Deus, nec quicquam ſibi timet. Præterea invidere & iraſci dolores ſunt, qui cum natura beatiſſima pugnant. Quocirca mirum eſt, Lactantium, virum alioquin diſertum & acutum, nec Theologiæ naturalis imperitum, affectum iræ vere ac proprie Deo tribuiſſe in eo libello, in quo id ex inſtituto agit. Poteſt enim eſſe quidpiam aliud, quod penitius naturam beatam tollat? Arnobius Lactantii hujus magiſter inde maxime Homeri Deos ridet, ac jure quidem, & merito ridet, quod *iracundos* illos & contentioſos faciat, numquam pacatos, nec ſibi, quod inde conſequitur, conſtantes. Quum ergo nec invidere, nec iraſci poſſit Deus; perſpicuum eſt, nec *poſſe* alteri malefacere, quod ille non mereatur, aut quod *illi* non ſit utcumque bonum. Alteri enim malefit, ſiquidem ille non meretur, aut ſi ei utcumque bonum non eſt, vel ex invidentia, vel ex odio, vel ex ira. Quod ſi quis ſuſpicetur, Deum immota natura ſua, nec turbata pace, ſic velut per jocum, quin & cum voluptate alicui malefa-

(1) Tam ſcilicet, quam cujuſque rei natura, mundique ordo poſcit: nam nihil eſt in Dei potentia, quod non ſit in ordine divinæ ſapientiæ, S. Th. 1. p. q. 25. art. 5.

facere, quin illi prodesse velit, is maximam naturæ hujus malignitatem prædicat. Neque enim malignitas major fingi potest, quam gratuitum alteri malum inferre, non sine ira modo & odio, sed cum voluptate. Qui autem sic ratiocinatur, is totam illam Dei naturam, quam superius constituimus, evertere quoque debet, ac pro Deo optimo maximo, rerum opifice ac parente, fictitium nescio quem genium & malignum sibi obtrudere.

§. VIII. Quæ quum sint, consequitur, quæ hominibus accidere videntur mala, nec mala ea esse, nisi *præsente sensatione* æstimata, verum bona potius, quod bonum mundi aut nostri finem spectent: nec nos pati a maligno Deo, sed a bono: nec esse argumenta Dei in nos iræ, sed ejus potius in nos amoris: nos vero, qui illa non ex fine nec mundi, nec Dei, ut par est, sed ex præsente & molesta sensatione æstimamus, ut amara medicamenta pueri, mala habere; atque unde Deo gratias habere maximas oportet, inde argumenta capere criminandi. Enim vero cujusque rei bonum dici non potest, nisi *ex fine*. Quæcumque rem aliquam ita perficiunt, ut ad finem suum ducant rectius & facilius, sunt illi bona, utcumque molesta sentiantur. Contra quæ a fine avertunt, utcumque jucunda, mala esse necesse est. Homines ergo, qui ratione sunt præditi, non, ut bruta animantia, ex præsente tantum sensu, sed ex fine de bonis & malis judicare debent. Quæ dici vulgo solent mala, ea reperientur bona, si ea regula uti velimus: ac e contrario eorum plurima, quæ bona habemus & dicimus, mala esse reperientur. Ne Epicurus quidem ab eo canone dissenserit, qui docet, nec omnes omnino voluptates sectandas, nec omnes sine ullo discrimine fugiendos dolores (*a*). Ita si fiet, minus nos materiæ divinam providentiam calumniandi habebimus. Quod est reliquum, ubi mentem intendere velimus, id totum sui originem non alibi, nisi in nostra libertate atque mundi natura habere deprehendemus, ac ita, ut nec bonitatem Dei, nec providentiam accusare possimus. Sed paullo altius hæc res repetenda est.

§. IX. Malorum, quæ dicuntur, genera tria, ex Leibnitii partitione, constituere possumus. Est enim malum aut

 me-

(a) *Vide Laertium lib. X., & in eum locum Gassendum.*

metaphysicum, aut *morale*, aut *physicum*. Metaphysicum est *defectus a summa & infinita entitate*: Morale *peccatum*: Physicum *dolor*. Metaphysicum necessario naturas omnes creatas consequitur, quæ hoc ipso, quod creatæ sunt, finitæ ac terminatæ sint necesse est. Nec vero id defectu divinæ potentiæ aut bonitatis contingit, sed naturarum ipsarum, quæ creatæ infinitam hanc & summam perfectionem, quæ entis est naturæ suæ necessitate existentis, nullo pacto excipere possunt: creatæ modum existentiæ habent, modum essentiæ (*a*). Prætetquamquod ne si potuisset quidem Deus summam hanc sui & infinitam perfectionem creaturæ *essentialiter* communicare, id quatenus mens nostra intelligit, ejus sapientiam & bonitatem decuisset: nam pro tam ingenti mundana machina infinitis aliis machinulis mirabili prorsus ordine contextis, quam illum efficere voluisse inde constat, quod fecit; rem unam creavisset, seu substantiam unam, atque in eam bonitatem & perfectionem suam totam effudisset; quod ille profecto noluit, qui mundum ex infinitis propemodum substantiis infinitorum ordinum ac serierum voluit creare, quo pulchrior esset, divinaque sapientia dignior. Itaque illud ab eo postulare tantundem esset, atque si elater ab artificere oraret, pro horologio unum ut conflaret elaterem, in eumque vim totam ac robur partium omnium conferret, quo esset ille perfectior & durabilior. Quod qui a Deo poscit, næ is perridiculus est, qui rem tam deridiculam ab Artifice tam sapiente expostulat.

§. X. Necessarium ergo est, ut homines singuli se non velut totam universi machinam, sed ut ejus partes contemplentur, quæ & secum, & cum toto harmoniam efficiant: adeoque de bonis & malis non ex suis & privatis commodis, sed ex communi omnium rerum fine dijudicent. Nec est ut quis opponat, potuisse homines, si non infinita perfectione præditos creari, at saltem majori, quam qua nunc sunt: sunt enim qui putant ita bonitatem & providentiam Dei ab omni criminatione futuram fuisse immunem. Nam & hoc imperite ac stulte excogitatum est. Principio si exigua, ut isti ratiocinantur, hominum entitas & perfectio argumentum esse potest adversus Dei bonitatem,

---

(a) *Vide hac de re acutissime disserentem Franciscum Suarez Metaph. disp. 30. sect. 17.*

tem, erit quoque maxima, dummodo finita: quæcumque enim homini tribuatur perfectio, dum illa finita est, infinito intervallo semper distat a summa & absoluta, eique malum metaphysicum perpetuo adhæret. Itaque, si argumentum quidquam probat, hominis perfectio nisi infinita eidem exceptioni semper futura est obnoxia. Nequit autem esse infinita, ut demonstratum est; ergo ne exigua quidem argumentum ullum contra Dei bonitatem suppeditat. Quocirca non ideo Deum minus esse bonum fateri licebit, quod quum majorem entitatem singulis universi partibus dare potuisset (quod potuit profecto) minorem dederit. In eo potius fatebimur sapientissimum, quod eam tribuerit, quæ sit & cujusque entis fini aptata, & loco, quem illa in rerum natura obtinent, consentanea.

§. XI. Deinde nego majorem entitatem animi aut corporis humani majorem quoque esse hominis perfectionem: tum majorem entitatem argumentum esse majoris bonitatis & sapientiæ rerum Opificis, minorem vero minoris, sed majoris tantum potentiæ indicium esse contendo. Scilicet rerum perfectio creatarum, quando infinitæ esse nequeunt, non in majori entitate posita est, sed in hoc, ut finibus suis aptatæ sint, habeantque aptatas his finibus proprietates ac vires, ut & bonæ sint, quocumque in gradu positæ; &, si rationales fuerint, beatæ esse possint. Quo modo horologii perfectio non illa in eo posita est, ut magnum sit, sed in hoc, ut partes singulæ apte inter se cohæreant, omnesque finem, ad quem sunt factæ, recta spectent, & consequantur. Eodem modo non homo perfectior, quia corpore major, mente capacior, vita longior: sibi integra constat perfectio, si par suo fini, par respectibus, quos ex universo, cujus pars est, sentire necessario debet: si iis præditus viribus ac facultatibus, quæ sui finem spectent, quibusque eum consequi possit. Creatura ergo rationalis adversus Dei bonitatem argumentum est, non si minor entitate, quam stulte illa majorem exigit, ubi habet loco & fini suo parem; sed si sui muneribus & respectibus, ac creatoris finibus minor sit. Bonitatem quod attinet divinam tam commendant creaturæ entitate maximæ, quam minimæ, si finibus & locis suis plene respondeant. In eo creaturarum perfectio constituta est: inde ars, sapientia, & beneficentia Creatoris dimetienda.

§. XII. Sed reponunt, id saltem in hominibus desiderari, tales ut ii habeant facultates, ac vires, quæ suis finibus sint aptatæ, quibus eos consequi possint. Nam quum unus sit naturarum rationalium finis, beatitudo; eaque, quod ad homines pertinet, consistat in corporis indolentia, animi tranquillitate; nullæ sunt in natura nostra vires, quibus utrumque istuc consequi possimus: quin sunt necessariæ quædam causæ, quibus miseri sumus, mens errori subjecta, animus perturbationibus, corpus morbis ac denique morti; ut suspicari, inquiunt, possimus, *non esse Deo curæ felicitatem nostram*, *esse miseriam*, quod stultissimum Taciti verbum sæpe audias ab hominibus perditissimis usurpari. Atque huc redeunt quæcumque sunt ab Epicureis & Manichæis adversus Dei bonitatem & providentiam prolata. Quæ ut quàm stulta sint intelligamus, de origine mali moralis & physici disserendum porro est.

§. XIII. Constat ex superioribus, mundum sine malo metaphysico esse non posse, seu creaturarum nullam undequaque infinitam esse posse. Atqui hæc prima est facultatis peccandi scaturigo, quod deinde mala physica aut juste consequuntur, aut sapientissime præeunt: utrumque certe magna Dei sapientia. Sed explicemus hæc paullatim. Universum hoc, quo nomine intelligo compagem rerum omnium temporum omniumque locorum, non posse constare creaturis, quæ singulæ infinitam habeant entitatem, id jam, ut dixi, in compertis est. Consequitur ergo, creaturas rationis participes, quæ hujus universi pars una sint, nec infinitæ entitatis & bonitatis, nec infinitæ cognitionis, nec infinitæ potentiæ esse posse. Interea sunt eæ cum ceteris naturæ creatæ partibus conjunctæ, loco, tempore, finibus, usibus, actionibus & passionibus; ut scilicet universi harmonia servetur, nec sint tot universa, quot partes, quæ nulla inter se concatenatione contineantur. Affici ergo ab iis necessarium est; tum in eas agere, ac iis uti: uno verbo relationes rerum, quibus circumdantur, sentire. Id poscit mundi vinculum. Tum sunt hæc earum naturæ consentanea. Nam primum sentire externas res possunt, & id ut possint ordo universi postulat. Dein agere in eas & possunt, quia intelligentes, scientes, activæ; & ut queant, connexio, quam cum ceteris partibus habent, exigit. Quo modo unitatis ratio

requi-

requirit, ut lapides, quibus fornix coagmentatur, & in sese mutuo agant, & a sese mutuo patiantur. Obtinet idem & in omnibus universi partibus, quarum actiones & reactiones, actiones & passiones, reciprocæ sunt. Quod si ab universo tollas, nihil illud aliud præter turbidum chaos erit.

§. XIV. Sed quando homines nec infinite sunt intelligentes, non inter bona infinitæ entitatis, & bonitatis versantur; efficitur, ut nec judicia habere possint immutabilia, nec, quamquam cum exteris rebus necessariam habent relationem, ab iis rapi necessario. Inest igitur illis idcirco integra facultas consultandi, & sese ex ea consultatione determinandi; facultas et animi conceptibus, perceptis, opinionibus, ut libitum, eligendi. Ea eligendi facultas non potest iis auferri, nisi 1. aut ablata ratione, aut 2. ablata potentia operatrice, 3. aut utraque extrinseca vi acta in id quod nec intelligit, nec vult, aut 4. saltem cum bonis, & inter bona infinitæ magnitudinis, ac manifesto comprehensis. Tertium pugnat cum natura rationali, adeoque cum Dei providentia & bonitate: *corrumpere enim naturam non est divinæ providentiæ*, ut veteri scito constat (a). Postremum esse nequit, quousque partes sunt universi creati, ut affici ab aliis partibus, & in illis reagere possint. Priora duo qui poscit, is de mentibus lateres crudos fieri vult, nec ullas in universo esse naturas rationis participes, de suo magis commodo sollicitus, quam de Dei sapientia & bonitate. Ita intelligitur, libertatem hujuscemodi, idest facultatem consultandi super bonis opinabilibus, atque secundum consultationem sese determinandi nec necessario, sed cum indifferentia, naturam humanam consequi, ut ne intelligi quidem creaturæ rationales possint, præsertim quæ in universo sint, & universi partes, sine hac ad utrumque liberate. Ita qui eam sublatam volunt, ut ne sint mala, ii nullas in universo creaturas rationales esse volunt (1); quod

(a) *Pseudo Dionysius lib.* IV. *de divin. Nominib. apud B. Th. part. quæst. 22. art. 6.*

(1) *S. Basilius tom.* 1. pag. 429. Quisquis, *inquit*, conditorem reprehendit, quod non naturaliter nos peccati expertes creaverit, nihil aliud, nisi rationis expertem naturam rationali præfert, & immobilem, atque impulsu & appetitione carentem, ei, quæ electione & actione prædita est. *Maximus quoque Martyr in cap.* IV. de divinis nominibus *præclare & ad rem nostram accommodate scribit*, eos, qui hoc sciscitantur, cur non tales Deus nos creaverit, ut etsi velimus, minime tamen peccemus, similiter facere, ac si interrogarent,

quod est dum Dei bonitatem tueri studeat, sapientiam funditus evertere.

§. XV. Jam vero constitutis creaturarum rationalium natura & loco, intelligitur facillime, eas, nisi superiori ratione & vi regantur, posse a fine iis a Deo proposito aberrare, etsi non necessario aberraturas. Ad finem illum nimirum consequendum nec omnia mundi bona, nec *quilibet* eorum bonorum usus, ac proptera non quævis *harum* creaturarum actiones, earum omnium, quas edere possunt, accommodatæ sunt. Quo modo ad conservandum systema planetarium non quævis corporum, quibus constat, motiones aptæ sunt, sed infinitarum possibilium paucæ tantum. Itaque ut homines (nam de his tantum deinceps loquemur) recta ad finem pergant, inter omnia mundi individua ea eligere debent, quæ ei fini consequendo aptata sunt, non quæ aut remorantur, aut distinent, aut omnino abstrahunt. Præterea quum eorum quoque bonorum, quæ apta sunt, multiplex usus esse possit, nec vero omnes boni, idest fini consentientes, inter omnes usus eos debent eligere, qui fini conducunt, atque idcirco ex omnibus possibilibus actionibus, eas edere, quæ eum finem spectant, cavere ab iis, quæ quoquo modo fini illi adversantur. Ad hoc vero examen instituendum, & quidem in tota vita perpetuo, infinita pene sapientia, & infinitus labor adhibenda fuissent. Et labor quidem hujusmodi omnium certe maximus cum vita humana pugnat, ut non decuerit Dei bonitatem ad hanc animi contentionem perpetuam homines vocare. Sapientia vero infinita *essentialiter* naturæ creatæ convenire nequit, nec si posset, universi natura & ordo patiuntur. Ergo id supererat, ut hæc hominibus sapientia per modum *legis* atque amoris communicaretur. Quo modo cum infantibus sapientes educatores faciunt, quibus quoniam nequeunt vivendi, & agendi prudentiam *essentialiter* communicare, defectu capacitatis, ejus prudentiæ & sapientiæ præcipua scita ac dogmata per modum præcepti iis communicant, ut ita saltem recte vitam instituant. Porro ut in systemate mundano vires mo-

cur non mentis & rationis expertes nos produxerit . . . . Tolle enim a nobis liberum arbitrium, non erimus amplius imago Dei, nec anima ratione & mente prædita. *In eandem sententiam scribunt sæpe veteres alii Patres.*

motrices, earumque leges perpetuo conservandæ sunt, ut universi ordo perpetuo servetur; ita, ut ordo actionum hominis liberarum, seu earum ad finem directio, perpetuo conservetur, perpetuo quoque lex moralis, animorumque viis conservanda est.

§. XVI. Jam vero superioris rationis scita & dogmata inferiori naturæ non *essentialiter*, sed per *modum legis* communicata, nisi fulciantur motivis quibusdam naturæ illi inferiori consentaneis, nullius momenti sunt ad illam permovendam. Quum autem natura humana ita comparata sit (ac ita esse debuit) ut ægritudine, & dolore determinetur; oportuit ut supremus Legislator cum lege illa sanctionem pœnalem conjungeret, siquidem sapientissime & providentissime agere vellet. Ita fit ut quemadmodum ex bonitate Dei sequitur, ut creaturis rationalibus leges vitæ directrices ad sui finem communicet; ita ex Dei providentia & sapientia sequatur, ut eas leges pœnis corroboret, quibus naturæ rationales consentanee ad fines suos ducantur. Apparet igitur, Dei bonitatis & sapientiæ fuisse hominibus leges dare morales, easque pœnis armare: alioquin ut sine legibus mechanicis corpora viribus insitis in chaos perturbatum abirent, nec ulli essent in universo fines, nec ordo atque harmonia; ita sine legibus moralibus vires hominum activæ totam vitam turbarent, atque a fine suo abstraherent (r).

§. XVII. Interim lege etiam morali lata, homini hic inter mundi objecta agenti integra eligendi facultas permansit. Ac primo libertas a coactione. Hanc enim libertatem solus Deus supremo ac omnipotente imperio in naturam auferre potest; nam ceteræ exteriores causæ quum in voluntatem humanam non agant, nisi ope rationis; nec vero ratio libertatem cogere possit, quam potius, ubi recta fuerit, idest *suprema lege informata*, perficit; eam liber-

(r) Queritur Bælius Art. Ovidius, extremo, cur cum Deus corpora tam miro ordine secreverit, atque e chao traxerit, servetque corporei mundi pulchritudinem constantissime, homines chao adhuc mersos sinat esse. Cur has leges eadem constantia servari non jubet? Qui major, inquit Ovidii, in beluis, quam in hominibus morum ingeniique constantia?. Quia scilicet priores illæ leges brutæ sunt, aguntque necessario: hæ rationi, ac libertati creditæ; nisi ita esse sinat, statim de moralibus mechanicæ fiunt, nullæque sunt. Aut igitur nullas esse oportuit, aut in arbitrio hominum positas.

libertatem auferre nequeunt. Deum vero omnino dedecet rerum naturas, & essentias pervertere, atque sic constitutum universi ordinem turbare. Qui igitur, ut *mala moralia* auferrentur, hunc in modum coactam hominis *libertatem* vellent, ii magis suæ utilitatis, quam ordinis & naturæ totius universi rationem habere videntur, atque, dum Dei bonitatem ex privata sui utilitate metiuntur, ejus simplicitatem, immutabilitatem, & sapientiam oppugnant. Ex quibus patet, non jure, nec recte accusare Dei bonitatem, quod aut homini libertatem, quia præcipitem illum iturum intelligebat, non abstulerit; aut quod non ita fixerit, ut minime illa indifferens esset. Utrumque scilicet & naturæ humanæ contrarium est; & contrarium relationibus, quas homo habet cum ceteris mundi partibus; ac propterea ordini universi: & consequenter divinæ sapientiæ. Deinde constat illi libertas *a necessitate*. Scilicet nec a natura sua cogi potest; nec a rerum externarum ideis, & sensationibus: illa cogere se nequit, nec appetitum infiniti avidum figere: istæ rerum sunt, quæ infinitam entitatem non habent, ut idcirco non possint sua bonitate voluntatem humanam infiniti cupidam, atque infinitum natura sua spectantem, plene explere.

§. XVIII. Quibus positis, nullo negotio mali cum primis moralis, tum etiam physici, origo intelligitur, non tantum sine ulla providentiæ & bonitatis divinæ offensione, verum potius cum magna Dei beneficentia. Sunt nempe consectaria mali metaphysici, libertatis, & legis; quorum primum Deus auferre non potest, posteriora duo summa cum ratione non vult, ut ex superioribus constat: quod enim ejus rationem migrat, id nec vult, nec potest. Quæ, ais, hæ rationes? Primum, homo natura est liber, mente vero finitus; lege ergo, qua ejus libertas regeretur, egebat. Tum rationi, quæ ordinati mundi sit pars, necesse est insita sit totius ordinis lex. Ea porro lata, adhuc homini integra constitit libertas. Peccare ergo potuit. Ponamus peccasse: id ita evenire potuit, ut inde nihil adversus Dei providentiam & beneficentiam confici queat. Quid enim? Mentem homini dedisset infinitam? Fieri non poterat. Liberum non fecisset? Ne intelligentem quidem, nec universi partem efficere debebat. Libertatem unum in modum necessario inflexisset? Est alienum a sua providentia

tia rerum naturas pervertere. Triumphatrice gratia in officio retinuisset? Suscepti operis ratio vetabat. Quæ? ὦ βάθος! Eo amore virtutis ac legis informasset, qui satis naturæ suæ & fini esset? Quis ostenderit id non fecisse? Legem ei nullam promulgasset, qua informaretur ad finem? Ita nec rationalem fecisset (1), nec curasset quidem, nec fuisset bonus. Nullum creasset hominem? Id est divinæ sapientiæ regulas præscribere, præsertim, quum hominem, si saperet, conditionis suæ pœnitere nequibat, quemadmodum ex iis, quæ inferius dicturi sumus, intelligetur.

§. XIX. Jam quum semel malum morale invaluisset, Dei providentiæ & bonitatis erat iis mediis hominem inde retrahere, & perpetuo ad vitæ regulam adducere, quæ vitæ humanæ sunt accommodatiora. Ac quando perpetuæ jam felicitatis præmia minus eum tangunt, quam voluptates præsentium bonorum, in quibus ille admirandis nimius est; oportebat, ut pœnis, idest doloribus, afficeret. Ea duo hominem docere possunt. Primum, perfectam, quam ille sequitur, beatitudinem, in possessione horum bonorum, quibus circumdamur, non inveniri. Alterum, nihil ei esse tutius, nec felicius, quám ab his bonis abstractum, æternorum spe, divinæ legi adhærere. Mala ergo hujusmodi physica tantum abest ut testimonium, quod profani clamant, adversus Dei providentiam, & bonitatem dicant, ut potius mirifice utramque prædicent: quandoquidem nec sapiens Deus, nec beneficus esset, si hominem, quem a vitæ perfectæ regula devium videt, accommodatis naturæ suæ ac mundi mediis inde retrahere non studeret.

§. XX. Sed mala physica in immensum augent divinæ bonitatis & providentiæ hostes. Dolores & morbos exaggerant: improborum felicitatem & prosperitatem prædicant: scelera super sceleribus coacervata enarrant. Inscite omnia, aut non ad rem. Principio, dolores, qui homini accidunt, in duas classes conferre possumus: nam alii a natura sunt, alii a libertatis & rationis abusu. Si omnes ad calculum adducamus, reperiemus multo plures esse, quos homo homini, homo sibi consciscit, quam qui a natura sunt. Hos tu in Deum retuleris, quos ille & ve-

(1) Cum prima æternaque lex sit in ipsa ratione sui mundique conscia; auferre legem, atque rationem hanc tollere nihilo distant.

& vetat, & ut ne efficias, majores minatur? Quæstio ergo ad eos tantum dolores adducitur, qui sunt a natura, quos esse aliquos, seu justas scelerum pœnas, quia peccavimus, seu admonitiones, ut ne peccemus, ex ipsa Dei providentia & bonitate sequitur. Sed quantilla hæc malorum portio sunt si cum illis conferantur, quæ aut impotentes affectus, aut imprudentia & inscitia hominibus affert? Interim hæc bonorum copia, intensitate, duratione, numero longe majorum, non solum compensantur, sed immane quantum exsuperantur. Nam quum duorum generum sint voluptates, quibus perfruimur, æquabiles, & gestientes: illæ perpetuæ sunt, quoad vivimus, & perennes; hæ, ut minus perennes, frequentissimæ tamen. Confidenter dico, copia dolorum, de quibus loquimur, tantum abest, ut possit cum voluptatibus utrisque generis conferri, ut a solis gestientibus longe superetur, præsertim in iis, qui recte & sapienter vivere didicerunt. Supersunt interea omnes voluptates æquabiles, quas idcirco minus inter bona censemus, quod perennes sint, nec, ut insolitas, animadvertamus. Usus sensuum, rationis, libertatis, vitæ denique totius, ut nullæ etiam adsint voluptates gestientes, æquabilis est & perpetua voluptas, eoque gratior, quo minus turbida. Quamobrem quum major sit bonorum, quam malorum physicorum copia; ac mala etiam illa bona sint, quippe eo comparata, ut nos ad regulam vitæ directricem adducant; summæ fuerit dementiæ Deum inde ut maleficum traducere. Major quoque dementia est, ex illis malis argumenta ad Deum criminandum arcessere, quæ sibi homines consciscunt, quæque, si sapiunt (1), ac volunt, non solum facile, verum etiam magna cum voluptate vitare possunt.

§. XXI. Sed improborum, ajunt, felicitas, bonorum vero frequentes calamitates demonstrant, non esse curæ Deo felicitatem nostram, sed esse miseriam. Nihil ego unquam nec ineptius, nec stultius ab homine dictum arbitror. Totum id ex turpissima ignoratione naturæ & historiæ humanæ effutitur magis, quam dicitur. Nam in perspi-

(1) Quid si sapere nequeamus? Nam sumus fere omnes natura stupidi. Hæc quæstio eos homines non attingit, qui primum conditi fuere; siquidem sapientes erant. Nos improbitate illorum stulti sumus, qui primum a sapientia descivere. Adde peccari plurimum educatione. Nec tamen adeo quisque est stupidus, ut inter bona & mala discernere nequeat.

perspicuis esse debet, voluptatum bonorumque humanæ vitæ maximum esse interiorem animi tranquillitatem: nec, si dum in terris agimus felicitatis capaces sumus, alia in re esse posita potest (*a*). Hæc vero animi tranquillitas ex virtutis conscientia nascitur, scelere turbatur. Itaque quemadmodum maximum hominum bonum est

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa,

ita maximum est malum animi, ægritudo, & laniena

Η' συνεσις, οτι συνοιδα δειν' ειργασμενος

ait apud Euripidem Orestes. Juvenalis (*b*)

.... *Prima hæc est ultio, quod se*
Judice, nemo nocens absolvitur ....

Atque id puto Græcos Poetas describere voluisse tragicis imaginibus Titii, cujus jecur vultur perpetuo arrodit, Thiestæ lamentantis, Herculis ad Caucasum affixi, Orestis furiosi, aliorum. Quid aliud est, nisi conscientia criminis, vestis illa Herculis exitialis apud Sophoclem,

Quæ lateri adhærens morsu lacerat viscera,
Urgensque graviter pulmonum haurit spiritum?

Audiamus Tacitum dum Neronis statum post matrem Agrippinam interfectam enarrat (*c*), *Sed a Cæsare perfecto demum scelere magnitudo ejus intellecta est. Reliquo noctis modo per silentium defixus, sæpius pavore exurgens, & mentis inops, lucem opperiebatur, tamquam exitium allaturam.* Hunc tu in scelere beatum dicas? Turpissime igitur peccant naturæ humanæ ignoratione, qui scelestos homines idcirco beatos prædicant, quod nullis externis malis plerumque in suis sceleribus turbari videant.

§. XXII. Sed peccant ignoratione historiæ humanæ. Ex tota patet historia id, quod uno versiculo complexus est David, *vidi impium superexaltatum: transivi, & ecce non erat.* Sceleratorum hominum vix unum aut alterum reperias, qui etiamsi diu vixerit tranquille, tranquillam oppetierit mortem. Plurimorum ac præstantissimorum Græciæ Philosophorum vox fuit, quemadmodum sæpe refert Laertius, id in primis rarissimum esse in natura, *ut tyrannus pacifice moriatur.* Quid quod id ipsum consectarium est naturæ humanæ? Est enim id scelerum proprium,

(a) *Vide Tull. lib.* v. *de Finibus.*
(b) *Satyra* XIII.
(c) *Lib.* IV. *Annal. cap.* 10.

prium, ut scelestis hominibus ne scelesti quidem amici esse possint, quippe qui ut timent omnes, ita omnibus suspecti sint necesse est (a). Inde autem fit, ut nec tuti sint unquam, & raro pacifice e vita excedant. Mentiuntur igitur Dei providentiæ & bonitatis accusatores, dum improborum felicem vitam ac exitum prædicant. Mentiuntur autem aut ex ignoratione naturæ & rerum humanarum; aut ex attentione ad pauca & externa; aut ex maledicendi pervicacitate.

§. XXIII. Hæc quum sint, intelligitur nunc, quam ineptæ sint argutationes Epicuri apud Lactantium (b), Marcionis apud Tertullianum (c), Celsi apud Originem, aliorumque, quæ Bælius consarcinavit. Epicuri in primis apud Lactantium hæ sunt conclusiunculæ. *Deus aut vult tollere mala & non potest: aut potest & non vult: aut neque vult, neque potest: aut vult & potest. Si vult & non potest, imbecillis est, quod in Deum non cadit. Si potest & non vult, invidus; quod æque alienum a Deo. Si neque vult neque potest, & invidus, & imbecillis est, adeoque nec Deus. Si vult & potest, quod solum Deo convenit, unde ergo sunt mala? Aut cur illa non tollit?* Narrat hinc Lactantius, plerosque Philosophorum, qui providentiam defendebant, hoc argumento perturbari solitos fuisse, ac invitos pene adigi, ut Deum nihil curare faterentur. Eos conjicio, qui de bonitate Dei ex commodis suis disserebant, aut qui Deum *de sola utilitate censebant, non de omnibus proprietatibus*, quod Tertullianus eleganter dicit (d). Marcionis vero argutationes hunc in modum narrat Tertullianus. *Si Deus bonus, & præscius futuri, & avertendi mali potens, cur hominem & quidem imaginem & similitudinem suam, immo & substantiam suam, per animæ scilicet censum, passus est labi de obsequio legis in mortem, circumventum a diabolo? Si enim & bonus, qui evenire tale quid nollet; & præscius, qui eventurum non ignoraret; & potens, qui deppellere valeret; nullo modo evenisset, quod sub his tribus conditionibus divinæ majestatis evenire non posset. Quod si evenit; absolutum est e contrario, Deum neque bonum cre-*

(a) *Vide Gordon ad Tacitum discours.* 4. *sect.* 12.
(b) *De ira Dei cap.* 13.
(c) *Contra Marcionem lib. II. cap.* 5.
(d) *Tertull. lib. I. contra Marcionem cap.* 25.

credendum, neque præscium, neque potentem. Utrumque hoc argumentum urget Celsus apud Origenem. Qua autem ratione hæc exornaverit Bælius, non est operæ pretium dicere, quando nihil addidit novi, nisi invidiosa exempla.

§. XXIV. His argumentis non una est veterum Philosophorum, Theologorumque responsio. Platonis quidem sectatores, ac in primis Plutarchum, hunc in modum ratiocinatos constat (*a*). Deus fuit ex omni æternitate, nec ullo contaminatus vitio; a quo propterea nihil mali proficisci potuit. Exsistit etiam ex infinito tempore materia, omnis qualitatis, omnisque motus in se spectata expers. In hac autem materia latuit ab omni ævo vis & natura quædam ratione carens, & malefica, inordinatis atque turbulentis motibus illam ciens. Hæc Plutarcho (*b*) est anima *contraria*, *& contrariorum opifex*: anima mente carens & malefica. Hæc vero anima quum consilii, cognitionis, & rationis inops sit, evidens est, eam minus proprie vocari animam, nec quæ mala facit, consilio & data opera facere, verum necessitate quadam naturæ. Quapropter Plutarchus non dubitat eam *αναγκην necessitatem* nominare, atque eam illud ipsum esse fatum, de quo & Poetæ cecinerint, & Philosophi toties loquantur, contendere (*c*). Jam certo tempore Deus ad mundum ex hac materia construendum accessit. Hunc vero quum omni ex parte pulchrum & secum concinentem efficere vellet, & materia, quam animæ illius ratione carentis impetus mirifice conturbaverant, componendam sibi & dirigendam; & maleficæ mentis materiam administrantis a recti & pulchri regula vehementer devios sibi corrigendos & temperandos esse perspexit. Utrumque igitur fecit. Materiam primum digessit, & suum elemento cuilibet locum assignavit. Deinde ne recte constituta denuo convellerentur, mundi animam emendavit quantum potuit, & de sua illi essentia partem addidit, idest spiritum ei indidit, qui varios ejus motus ita dirigeret, ut summa rerum

(a) *Ita hæc digessit Mosshemius ad Cudwortum tom.* I. *pag.* 233.

(b) *Plut. lib. de Iside & Osiride: item in lib. de Psychogonia*.

(c) *Vide a nobis dicta in dissert.* I. *pag.* 73.

omnium pulchritudo, & admirabilis totius universitatis concentus nasceretur. Itaque mundana anima duabus quasi partibus conflata est, ex antiqua illa natura malefica, & ex parte divinæ naturæ, quam Deus cum ista sociavit, quum mundum omni ex parte absolutum facere vellet. Illa pars, quidquid mali vides oriri, producit: *hæc*, ne quid inde detrimenti capiat rerum universitas, providet, æquabilique quadam lege coercet omnia & continet. Ex hac porro mundi anima animi nostri fluxerunt materiæ portioni colligati. Itaque id de natura nostra dictum puta, quod de toto universo dictum est. Hæc Platonici.

§. XXV. Non ego dubito conatus esse hujusmodi magnorum ingeniorum: sed interea sunt tales, qui tantum abest, ut divinæ naturæ majestatem tueantur, ut potius Pantheismo viam aperiant, conjugio illo naturæ Dei & animæ mundanæ. Accedit eodem quod materiam, rem inertem, mutabilem, nec ulla attributa necessariæ *existentiæ* habentem, Deo coæquent. Tum tandem Manichæismum inducunt, constituto æterno & malefico mundi principio. Ac servari quidem ea hypothesi Deo sua bonitas videtur: sed majestas de loco suo turbatur, sapientia & potentia læduntur. Neque vero in defendenda Dei natura, ita unius attributi ratio haberi potest, ut alia susque deque habeantur. Nam quemadmodum Dei natura res una est simplex, & sibi constans; ita Theologi oratione tota constituenda est & defendenda; quæ si tota esse nequit, ne per partes quidem. Quamquam ne bonitas quidem Dei hoc systemate undequaque illibata servatur, qui quum sit potentissimus & sapientissimus, totam, ubi vult, mundanam animam ad obsequium fingere potest; quod nunc non efficit, si Platonicis credimus.

§. XXVI. Cudwortus, ut erat ille Platonicæ Philosophiæ studiosissimus, sibi persuasit, omnia ex superiori doctrina absurda removeri posse, si ponantur, materia, & materiæ anima, seu *natura genitrix*, ut vocat interpres, a Deo fuisse creatæ. Non negaverim absurda quædam eliminari: nego vero omnia auferri. Nam ut cetera sibi consonent, illud in Cudworthi systemate absurdius quoque est, quam in Platonico, *naturam* hanc *genitricem*, seu mundi animam, non omnino regulis divinæ artis obtemperare, sed reluctari in plerisque, unde ille

malo-

malorum originem repetit. Scilicet minus absurde dicas, quod a Deo creatum non est, id illi non omnino esse obsequens, quam quod a Deo est; quasi obsequentius creari nequiverit. Naturæ enim creatæ, quæ nec a se exsistit, nec ipsa se conservat, *potentia*, ut vocant, *obedientialis*, summa sit necesse est, ut nempe id sit continuo, quod artifici suo placuerit, & quo modo placuerit, ubi id non sit intrinsecus impossibile.

§. XXVII. Lactantius hunc in modum rationes subduxit. Deus, inquit, potest quidem auferre mala; sed non vult: nec ideo tamen invidus. *Idcirco enim non tollit, quia & sapientiam, qua bonum & malum discernere possit, homini tribuit: sublatis vero malis, inutilem esse sapientiam, nec ulla in homine virtutis remanere vestigia, cujus ratio in sustinenda ac superanda malorum acerbitate consistit.* Est hoc systema, quod adversus Manichæos ornavit plurimum, & promovit nuper apud nos vir acutus & doctus (*a*). Sparkius ad eum Lactantii locum, tum Bælius in Dictionario Art. *Pauliciani* vehementer hanc Lactantii doctrinam exagitant. Ego non negaverim quædam esse in Lactantii ratiocinio minus commoda, minusque apta tantæ quæstioni, ut videantur illa arrepta potius, quando nihil melius ei suppeteret, quam rei, de qua agitur, idest Dei hominumque naturæ consentanea, excogitata. Sed sunt tamen plura, quæ laudare possimus, ac satis vera intelligere, si alio modo exponantur.

§. XXVIII. Rectius Origenes, & Tertullianus (*b*), mala moralia, ex quibus physica nata sint, naturæ libertatis primi hominis tribuunt, quam illi adimi, aut vi adigi, Deo indignum censent. Sine libertate negant Deum decuisse homines creare; neque, libertate positá, non dare legem. Itaque cum tota superiori nostra ratiocinatione bona ex parte consentire videntur. Audiamus Tertullianum (*c*). *At enim, non ita ille* (homo) *institui debuit, si libertas & potestas arbitrii exitiosa futura esset.* Respondet, *ita omnino institui debuisse. Oportebat Deum cognosci, bonum hoc utique & rationale. Oportebat dignum aliquid esse, quod Deum cognosceret... Oportebat igitur imaginem & similitudinem Dei, li-*

(a) *Piro in* L' Antimanicheismo.
(b) *Vide super diss.*
(c) *Contra Martionem lib. II. cap. 6.*

beri arbitrii, & suæ potestatis institui. Sapientiæ ergo divinæ consentaneum fuit hominem liberum creare. Quum autem quod rationi divinæ consonum est, id bonitati contrarium esse nequeat; si homo liber divinæ sapientiæ & rationi conformis est, est, & bonitati: præsertim quum quod erat necessarium ad libertatem regendam, lex nempe, plenissime Deus deserit: quo redit tota Tertulliani doctrina. Sed legi meretur integer Auctoris liber: nemo enim antiquorum superiora illa argumenta penitius convellit, ac dissipavit latius. Quum autem nos Tertulliani quædam principia superioribus inseruerimus, plurimumque illustraverimus, ex iis nunc hujuscemodi argutationibus responsionem adornare operæ pretium est.

§. XXIX. Sed in primis distinguendæ in Deo sunt duæ potentiæ, *absoluta*, & *ordinata* (1). Absoluta est tota vis agendi, quæ naturæ infinitæ inest. Ordinata vero vis agendi suæ sapientiæ, bonitati, justitiæ, sanctitati, aliisque attributis consentanee. Illa ad omnia pertingit possibilia intrinseca: hæc ad eam tantum eorum partem, quæ suæ sapientiæ, justitiæ, bonitati consona sunt. Ex absoluta potentia pugnantia tantum excipiuntur, idest *intrinsecus impossibilia*; ex hac, ordinata, *pugnantia moraliter*, id est, quæ cum suis attributis non satis consentiunt. Quæris exempli gr. possit ne Deus hominem innocentem velut reum excruciare? Posset, si posset velle (2); at velle nequit. Idest (ne quis vocabulis offendatur) si illud cum Dei potentia conferam, illam non excedit: si conferam cum ejus justitia & sanctitate, illis adversatur. Sed tam immutabiliter physiceque Deus non potest *pugnantia moralia*, quam non potest *pugnantia physica*. Ex. gr. non faciet Deus circulum quadratum, quia is non est existentiæ capax: sed eadem constantia non puniet innocentem veluti reum, quia naturæ suæ adversum: utrumque æque ei est impossibile.

§. XXX. Porro potentiæ divinæ summa regula est infinita ejus sapientia: quippe fieri nequit ut summus rerum omnium Artifex quicquam sine ratione & sapientia efficiat. Ergo quodcumque divinæ hujus sapientiæ regulis

(1) Quas *physicam* & *moralem* vulgo vocari, ait Petavius.

(2) Hæc prop. *Deus potest prave agere, si velit*, est vera ex S. Th. p. p. q. 25. art. 2. ad 2.

lis adversatur, id tam immutabiliter non efficiet Deus, quam immutabiliter non potest quæ intrinsecus sunt impossibilia. Jam vero quum Deus sit simplicissimus, quodcumque divinæ sapientiæ adversatur, idipsum cum divina natura pugnat, ac prionde cum ceteris quoque Dei attributis; ut quod sapienter non fit, id nec libenter, nec juste, nec sancte fiat. Quod tale vero est, ne velle quidem potest Deus; quia si quod eum non decet, vult; naturæ suæ adversatur voluntas; nec propterea simplicissimus est & immutabilis. Tandem quæ non potest seu *absolute*, seu *ordinate*, adeoque quæ velle nequit, ubi non efficit, non idcirco minus bonus, aut minus potens, nisi de utilitate nostra Deum æstimemus.

§. XXXI. Quærit nunc Epicurus *potest ne Deus tollere mala & non vult? Vult, & non potest?* Si de malis metaphysicis intelligit, nec potest, nec vult. Nam quum ens creatum entitate infinitum tam sit natura sua pugnans, quam circulus quadratus, id Deus non potentiæ suæ defectu, neque defectu bonitatis, sed rei ipsius interna pugna non potest: quod vero non potest, id nec velle potest. Non igitur idcirco minus potens, aut minus bonus. Si vero de malis loquitur physicis, id intrinsecus quidem est possibile, idest suam absolutam potentiam non excedit: sed si suæ sapientiæ, justitiæ, bonitati adversatur, nequit velle; neque enim justus esset & bonus, si, exsistente malo morali, nullis nos ab eo pœnis continenter revocaret. Quin ne sapiens quidem esset si nullis sanctionibus pœnalibus leges suas armaret. Sed cur, inquit aliquis, non blandioribus remediis nos revocat ad regulam? Quia nempe quum tria tantum sint hujusmodi remedia, doctrina & lumen intellectus: vigor voluntatis: dolor naturæ; qui libere priora duo respuimus, qui iis reluctati fuimus, par est ut tertio angamur. In hoc non minus Dei sapientiam admirari possumus, quam ejus bonitatem commendare. Quid si negem, hæc, quæ a Deo sunt mala physica, si ea demas, quæ homo homini inique infert, esse mala? Neque enim sunt mala, nisi sensu æstimata: ex fine vero universi ubi censeantur, bona esse constat. Itaque, quod sæpe dictum, sapientis Dei & benefici sunt argumentum. Quod si tandem mala intelligit moralia, potest *absolute*, sed sapienter permittit. Nam ut ea velit auferre, neces-

se est, (ut nobis quidem videtur) ut aut libertatem auferat; aut efficaci perpetuo gratia inflammet; aut legem libertatis normam antiquet: quorum primum ac postremum cum ejus bonitate pugnant; medium cum sapientia. Unde scis? quia nempe nihil vult Deus sine summa ratione (1); non aufert; ergo auferre vetat aliqua ratio. Nec idcirco aut imbecillis, aut invidus. Sed potius quia vetat sapientia, & justus, & sapiens, quia non vult, bonus.

§. XXXII. Quid, inquit aliquis, peccavere infantes; ut sint illi etiam hujusmodi poenis revocandi ad legem? Non videtur in illis hoc systema locum habere posse. Ego contra nulla in re magis perspicua Dei bonitatis argumenta reperio, quam in malis, quibus infantes subjecti sunt, idest, quibus natura humana ab origine sua exercetur (2). Constat enim, eos mortalium vel levissimis malis vehementissime concuti, deque ordine suo deturbari, & officiis humanæ vitæ inhabiles reddi, qui nullis umquam hujusmodi sunt exerciti. Quo modo novelli milites nec ullo pacto præparati, ad pugnæ quoque adspectum non contremiscunt modo toti, sed & ordines deserunt, ac sua aliorumque officia pervertunt. Quando ergo in hanc vitam destinantur infantes, ea initiandi erant: erat eorum natura ita fingenda, ut nihil illa novi & insolentis, quo opprimeretur, reperiret: ita mala & ferre fortius potest, & in suam utilitatem convertere. In ea igitur re, qua conturbantur nonnulli, magnam ego Dei erga nos providentiam agnosco. Ponamus enim ita infantes ad juvenilem ætatem pervenire, ut præter vitæ voluptates nihil ne minimæ quidem ægritudinis sint experti, quid fiet his delicatulis, si vehementiori aliquo dolore sint coercendi? Dio Syracusanus filium ita corruptum potius, quam

(1) Repetamus illud Anselmi, *minimum inconveniens est Deo impossibile*. Et hoc S. Thomæ, *error est, Deus vult, quia vult*: & hoc aliud, *nihil est in Dei potentia, quod non sit in ordine divinæ sapientiæ*, 1. p. q. 25. art. 5. in corp. Unde, ajunt, constat, hoc eum non decere? Inde, inquam, quod non efficit: velit enim Deus, nolit, nihil vult, aut non vult sine summa ratione. Quæ hæc ratio? Non hæc impudentissima quæstio? Est; sed latet.

(2) Ex philosophiæ penu cum philosophis ago. Sed originalis peccati poenas dare nemo ignorat.

quam eductum, quum ad regulam revocare vellet, perdidit: *is enim usque eo vitæ statum commutatum ferre non potuit, ut se de superiore parte ædium dejecerit, atque ita interierit* (a). Nam, quod alia in re gravissime Fabius Quintilianus pronunciat, *frangas citius, quam corrigas, quæ in pravum induruerunt*, id in vita potissimum humana quotidie experimur.

§. XXXIII. Eodem prorsus modo Manichæorum argutationes infringuntur. Rogant, præscius ne erat Deus Adæ criminis? Utique præscius. Voluit, ne laberetur? Voluit profecto, quia vetuit. Sed ita voluit, ut naturam suam, ut universi ordinem legesque, ut naturam Adæ decebat. Pugnabat cum Adæ natura, esse eum rationalem, entitatis finitæ, & finitorum portionem unam, nec liberum. Rursus summa adfuit Deo ratio, ne liberum hominem non rationis ope, sed exteriori vi impelleret, aut alia ratione mechanica, aut majori auxilio, quam par erat, ne laberetur, cohiberet, atque sui dominum, mundique civem non ut liberum, neque ut mundi partem, gubernaret: aut quia liberum, non lege morali regeret: quorum illud sapientiæ, hoc bonitati adversatur. Quo in loco illud Terentii adprime facit,

Aut hæc cum illis sunt habenda, aut illa cum his amittenda sunt:
Harum duarum conditionum nunc utram malis vide.

Ea nimirum lex est universi. Quod bonitati, decoro, & sapientiæ supererat, lege illuminare, intrinseco vigore juvare, omni modo monere, id fecit totum, quemadmodum Moses narrat. Quum de Scriptura divina illud argumentum informent Manichæi, æquum est, ut ex illa discant divinæ bonitatis & sapientiæ cum primis mortalibus argumenta. *O Canes* (Tertulliani in Marcionitas verbis concludam) *quos foras Apostolus expellit, latrantes Deum veritatis! hæc sunt argumentationum ossa, quæ obroditis.*

(a) *Cornel. Nep. in Dion. c. 4.*

ADDITAMENTA

SCHOLASTICO STYLO EXSARATA.

Affectus affectibus aliis a ratione regi.

TUrbavit nonnullos, quod sæpe a me dictum est, nullum esse affectum, quem animus non alio affectu, tametsi libere, aut elidat, aut dissipet. Nihil tamen nec in praxi, nec in theoria verius est.

In praxi. Cur, *odivi omnem viam iniquitatis? quia*, inquit propheta Psal. 118. *dilexi legem tuam Domine*. *Cur initium sapientiæ timor Domini?* quia timor Domini vincit affectus mundi. Hinc illa Augustini: *duo amores duas civitates fecerunt: amor Dei usque ad contemtum sui civitatem Dei: amor sui usque ad contemtum Dei, civitatem diaboli*. Quid vero illud Apostoli, *caritas mittit foras timorem?* Sed vero id Proverbio docemus. Cur *oderunt peccare boni? virtutis amore*. Cur *oderunt peccare mali? formidine pœnæ*. Cur avari famem sitimque comprimunt? amore divitiarum. Cur milites mortis metum posthabent? Quia amant gloriam. Se noscat quisque, & hoc noverit.

In theoria. Affectus, quos ratio compescit, voluntate compescit: voluntas est appetitus superior, inquit S. Thomas; ergo appetitus superior appetitus inferioris perturbationes frenat. Sed voluntas est boni generalis appetitus; appetitus vero boni amor; ergo amore boni generalis affectus aut elidimus, aut regimus. At omnis amor est affectus. Eadem voluntas, quæ est appetitio boni universalis, aversatur malum universale; & hæc aversatio est odium mali universalis. Hoc odio alios aut fugamus, aut regimus. Cum igitur timorem comprimimus, spem, amorem, ambitionem, superbiam, odium, reliquos, si libero arbitrio, & voluntate efficimus (nam liberum arbitrium non est potentia diversa a voluntate; ut disputat S. Thomas p. p. q. 83. art. 4.) amore boni universalis, vel universalis mali odio cohibemus? Enimvero amoram comprimimus, quia volumus: velle est appetere (S. Thomas ibidem q. 80. art. 2.); appetere est amare; amore ergo amorem frenamus. Cum iram regimus, volun-

voluntate regimus; ergo appetitu; ergo vel amore, vel odio. Ita fit, ut ex natura nostra sequatur, ut nullum possimus cohibere affectum, aut moderari, nisi affectu altero.

Ergo, inquiunt, hæc mechanice fiunt, non libere. Inscite, pueriliterque: nam liberum arbitrum omnibus hominis facultatibus, ac se in primis, libere utitur, quibusdam despotice, aliis politice, inquit ex Aristotele S. Thomas (1. p. q. 81. art. 3. ad 4.): idest quibusdam imperio, cui nunquam resistitur: aliis imperio rationis, cui aliquando ab appetitu inferiori resistitur. Hoc quo, inquis, argumento ostendis? eodem, inquam, quo perspicuum est, nos liberi esse arbitrii; quod est, quo patet nos esse, experientia nempe, atque interna conscientia; eâ enim & me esse scio; & libero uti animi arbitrio; totique mihi dominari.

Ac I. Libertas libere dominatur naturæ instinctibus, seu propensionibus, non ut sint, quod a natura est, sed aut ut taceant, aut ut eo incitentur, quo volumus. Homines sæpe ultro sese necant: ultro conquisitis doloribus se submittunt: voluptatibus renunciant: exacuunt extimulantque &c. Hoc modo liberum arbitrium dominatur naturæ.

II. Idem arbitrium dominatur intellectui (S. Thomas ibid. q. 82. art. 4.). Inde sunt electiones studiorum: inde studia vehementia, aut remissa: inde investigationes rerum rationumque: inde ordo cogitationum.

III. Sed & præest memoriæ libertas. Hoc malo, quam illud in ea condere: hujus quam illius reminisci.

IV. Præest imaginationi. Exemplo sint pictores ac poetæ, quibus quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. Nemo autem mortalium non sæpe poeta est.

V. Præest appetitui concupiscibili, & irascibili, ut possit affectus in se, quos voluerit, concitare. Comici, Tragici, Oratores sæpe vultu excandescunt, pallescunt, illacrimantur.

VI. Jam vero & concitatis affectibus dominatur seu frena laxando, seu comprimendo, seu moderando. Altum sæpe animo dolorem premimus: interdum ultro extimulamus. Amorem, aut alio avertimus, aut libenter fovemus accendimusque: metum vincimus. Nullus est affectus quantumvis vehemens, qui, nisi rationem omnem excusserit, libero mentis arbitrio non pareat.

Hæc omnia aliquando aut ex internis caussis, aut

ab

ab externis concitantur subito, atque erumpunt, atque libertatis frenum prævertunt: aliquando adeo sunt vehementia, ut excutiant. Ceterum id non efficit, ut ratio & arbitrium recuperare imperium nequeant, & ad obsequium adigere. Quod si ita amittant, ut servire cogantur, ut in mentecaptis, atque furiosis, id ad hanc, de qua agimus, remnon pertinet.

VII. Et his quidem, quæ dicta sunt, non dominice, velut in servis, sed politice, velut in civibus, imperat ratio, & libertas, ut S. quidem Thomas opinatur. At sunt in homine quibus dominice, atque despotice dominatur.

Hujusmodi sunt musculi omnes imperio voluntatis immediate subjecti; qui si nullo morbo laborent, statim ejus imperio parent, nec unquam obnituntur.

VIII. Quid vero illud, quod & se utitur liberum arbitrium, ac bene, vel prave? Nam cum dicitur, libero arbitrio utitur vel abutitur homo, quid est aliud quam si dicamus, se liberum arbitrium utitur vel abutitur? Nisi si liberum arbitrium liberi arbitrii esse dicamus, atque illius aliud, quod est abire in infinitum. Libenter hic ab Aristotele sciscitarer, cujus sit hoc imperium generis. Id viderint qui Aristotelis vel virgulas tuendas suscepere.

ADDITAMENTA.

Ad id, quod sæpe in hisce dissertationibus supponitur, mundum hunc esse optimum.

HUnc mundum, cujus particula est terra, esse *valde bonum*, atque, ut vertunt LXX. καλον λιαν, in suo videlicet genere, & respectu aliorum possibilium ejusdem generis, docet Scriptura. Deum efficere semper melius travit velut axioma theologicum August. lib. 1. cont. advers. legis & Prophet. c. 14. *Usque adeo*, inquit, *desipiendum est, ut videat homo melius aliquod fieri debuisse, & hoc Deum vidisse non putet? Aut putet vidisse, & credat* FACERE NOLUISSE, *aut non potuisse?* Ex Augustino igitur insipientia est credere, Deum vidisse melius, nec facere voluisse; axioma est igitur, Deum semper melius facere. Qui id

id negant, dum suas opiniones tueri volunt, desipiunt ex Augustino.

Sed armant impios; ut ego quidem opinor, licet imprudenter, hoc præsertim seculo. Quisquis enim Dei bonitatem circumscriptam finitamque efficit, impiis favet: at si Deus videt melius, ac videns prudensque omittit, infinite bonus non est: qui enim est infinite bonus, qui ita est bonus, ut possit esse melior? Quod si non est infinite bonus, Deus non est; quippe Deus est *bonus per essentiam*, ut docent Theologi. S. Th. 1. p. q. 6. art. 3. Mundus igitur, qui est bonus *bonitate divina, sicut primo principio exemplari, effectivo, & finali totius bonitatis* (idem 1. p. q. 6. art. 4.) est valde bonus, idest optimus; quæ sunt synonyma: nec enim bonitas Deo defuit, qua optimum faceret, nec potentia; quia illa est *suum esse*, infinita scilicet: hæc *secundum hoc invenitur in Deo, secundum quod ipse actu est: esse autem ejus est infinitum ...... (& Deus agit per essentiam suam) unde necesse est, quod activa potentia Dei sit infinita. S. Thomas 1. p. q. 25. art. 2. in corp.*

Hoc ipsum, hunc mundum esse optimum in suo genere, & *relative* ad omnes possibiles ejusdem generis, integro opere in 4. copiose docteque tuetur summus Theologus Benedictus Germanus, quem supra laudavimus.

Quæris, melior ne mundus esse potest? S. Thomas, & Durandus ita respondent, rerum peculiarium entitate & extensione, potest; arte, harmonia, fine nequit. Hoc ego quoque dixerim. Atque hoc dicit in Theodicea Leibnitius. Res hujus mundi peculiares aut majores concipi possunt, velut Tellus quatruplo, quintuplo, decuplo &c. major; aut intensitate potentiores, ut homines quatruplo, quintuplo, decuplo &c. intelligentiores, appetentiores, potentiores. Sed non idcirco mundus hic alter esset arte, harmonia, fine melior hoc nostro. Hoc impium, ajo, est de Deo vel cogitare; quia est sapientiam & bonitatem Dei de loco suo movere, hoc præsertim tempore in bello adversus Atheos.

Qui igitur ajunt hunc mundum esse optimum doctrinam S. Thomæ tuentur. *To* enim *optimum* non de *entitate* accipiunt, sed de bonitate, idest fine, ordine, & harmonia.

Ajunt: Mundus in quo homines essent suapte natura incor-

incorruptibiles fuisset melior; non igitur hic optimus. Respondet S. Thomas corruptibilitatem corporis humani sequi *ex necessitate materiæ*, ut rubigo ferræ, & hebetatio dentium ex ferro. *Si quis vero dicat, quod Deus potuit hanc necessitatem* (materiæ) *vitare, dicendum est, quod in constitutionem rerum naturalium non consideratur quid Deus facere possit*, SED QUID NATURÆ RERUM CONVENIAT, ut Augustinus dicit lib. II. sup. Gen. ad lit. cap. 1. S. Thom. 1. p. q. 86. art. 5. ad 1. Quo illud Plauti in Amphitruone, prologo, transferre possis elegantissimum,

Nam injusta ab injustis impetrare non decet.

Quærunt, plures ne sint possibiles æque boni hac bonitate ordinis, quam noster hic? Negat Leibnitius. Hac ratione permovetur, quia Deus inter æque bonos nullam haberet alterum alteri anteponendi rationem. Reliqui omnes affirmant. Ac vero Leibnitiana doctrina nimis arctos cancellos & possibilitati figit, & Dei sapientiæ. Cur, inquis, hunc ceteris æque bonis anteposuit? Quia voluit. Rogant, voluit quia voluit, an ratio ulla ei adfuit sic volendi? Adfuit certe: nam *voluntas imperat*, inquit S. Thomas, sed *sapientia dirigit*; *potentia* vero *exsequitur*. Unde ei adfuit hæc ratio? Respondeo illud Augustini de libero arbitrio lib. 3. cap. 5. *Credat ergo Deum fecisse, quod vera ratione ab eo faciendum fuisse cognovit, etiamsi hoc in rebus factis* NON VIDET.

ADDITAMENTA

AD §. XXIX.

MOvit alios distinctio divinæ potentiæ in *physicam* & *moralem*, tamquam & novam, & cum natura Dei pugnantem. Ego ut in ceteris ferme rebus omnibus tardi ingenii, ita in his stupidi, rogaverim, voces ne moveant, an res? Voces Petavius lib. v. dogm. Theol. cap. VI. vulgatas ait, usurparique pro hisce aliis, *potentia absoluta* & *potentia ordinata*, quas jamdudum scholæ omnes Theologorum consecraverunt. Igitur aut illæ

cum

cum hisce una sunt proscribendæ, aut una Theologorum civitate donandæ.

At si res turbent; indocte faciunt, imperiteque. Nam ut vocabula *scientia intelligentiæ*, *scientia libera*, non divinam scientiam attingunt, sed objecta, eorumque naturam, nostræque imbecillitati sunt accommodata; quo scilicet verba habeamus promta, quibus tam sublimi de re differamus; est enim scientia Dei simplex, & una, quum sit ipse Deus sinu suo omnia intelligens ac immutabiliter comprehendens: eodem modo voces *potentia absoluta*, *potentia ordinata*: item *potentia physica*, *potentia moralis*, non multiplicem in Deo potentiam constituunt, sed objecta, eorumque naturam, rationesque, nobis ob oculos ponunt, quo expeditius loquamur. Quo etiam modo induxere in sacras disciplinas Theologi *decreta antecedentia*, *concomitantia*, *consequentia*: *voluntatem antecedentem*, *consequentem*, *concomitatem*: *absolutam*, *hypotheticam*: cum tamen omnes sciant, doceantque, unam simplicemque esse in Deo voluntatem; quia non re, sed cogitatione ab ejus natura distinguitur. Hæc igitur verba non aliquid in Deo multiplex, ac varium significant, sed multiplices, variasque res, earumque tempora, locos, modos exsistendi, pereundi &c. Hominum ignorantiæ succurrunt: linguæ humanæ egestati subsidio veniunt.

Objecta, quæ cognoscimus, alia sunt intrinsecus possibilia: alia intrinsecus pugnantia: alia minime cum Dei natura consentanea. His rebus congruenter ea vocabula excogitavimus, ut diceremus, intrinsecus impossibilia eximi a Dei potentia *absoluta*, aut *physica*, (quæ vocabula quid vetat cum una eademque notione usurpari? Turpe est de solis vocabulis contentiose agere): hac potentia totum intrinsecus possibilium genus designamus. Quæ vero nos quidem ob nostram imbecillitatem pravitatemque facimus, ea possibilia habemus? a *facto enim ad potentiam*, ajunt Dialectici, rite concludimus. Sed si ea cum justitia, aut bonitate, aut alio Dei attributo pugnant, non intrinseca impossibilia, seu *non entia*, ut vocat S. Thomas, dicimus, sed *relative* tantum *ad Deum* impossibilia, atque idcirco ab ejus, *non absoluta*, seu *physica*, quæ *totam classem possibilium* suapte natura spectat, sed ab *ordinata*, *aut morali* potentia eximi. Eodem spectant, quæ semel voluit, aut noluit: nam illa nequit

quit amplius nolle; hæc nequit amplius velle; quia mutari nequit divina voluntas. Quæ igitur regula prohibebit his uti vocabulis? Sed quærunt, potentia moralis est ne idem cum potentia physica? Est. Ergo, ajunt, quæ nequit moraliter, nequit physice. Utique. Quid ergo? Inutilia hæc vocabula? Id nego. Quæro *potentia ordinata*, est idem *ac absoluta*? est: nam una & simplex est in Deo potentia. *Scientia intelligentiæ* est idem cum *scientia visionis*? Re dico, non cogitatione. Est. Cui usui igitur hæc vocabula? Sed videant hisce exemplis perquam egregium usum. Circulus quadratus est in possibilibus? Non est. Potest igitur a Deo fieri? nequit. Cur? quia minime existentiæ capax. Hominem innocentem plecti est in *absolute possibilibus*. Est; quia homines ab hominibus sæpe innocentes plectentur. Est in *possibilibus relative ad Deum*? Non est? Cur? Quia homines plectunt innocentes aut ob errorem, aut ob animi pravitatem; quæ duo cum natura Dei pugnant. Quomodo hæc igitur vocabis? Non *intrinsecus impossibilia*, *sed relative*. Et quia relative ad Dei rationem & voluntatem, *impossibilia moralia*. Ut a tam longa oratione abstineam, συντομως λεξω: *circulum quadratum nequit Deus efficere physice; innocentem punire nequit moraliter*. Ceterum vel tirones sciunt *το physice*, *το τε moraliter* unum idemque esse in Deo; qui nimirum sciunt, quæcumque sunt in Deo, unum simplicemque esse Deum.

S. Th. 1. *p.* *q.* 25. *art.* 2. *ad* 2. scribit hanc propositionem, *potest Deus prava agere*, *si velit*, esse veram: *nihil enim*, inquit, prohibet, *conditionalem esse veram*, *cujus antecedens & consequens est impossibile*, *sicut si dicatur*, *si homo est asinus*, *habet quatuor pedes*. Quæro, qua de potentia accipit *το*, *potest*; de qua vero *το*, *si velit*?

Audiamus postremo hunc Dialogum. Potest Deus omnibus & perpetuo efficacem gratiam largiri, quo sancti fiant? Potest. Largitur omnibus? Non. Sine ulla ratione non omnibus largitur? Impium est asserere Deum sine ratione velle quidquam. Est etiam stultum: quia cum voluntas sit *appetitus rationalis*, impossibile est velle sine ulla ratione. In Deo autem omnis ratio est summa. Si summa igitur Deo adest ratio, propter quam non vult omnibus largiri, potest contra hanc rationem agere? Non potest; quia *nihil est in Dei potentia*, *quod non sit in ordine*

divi-

divinæ ſapientiæ (S. Th. 1. p. q. 25. art. 5.). At Deum omnibus largiri POSSE poſitum eſt: quî hîc NON POSSE conficitur. Poteſt igitur & non poteſt? Utque, ſi vera ſunt dicta, poteſt, & non poteſt. *Abſolute* poteſt: *ordinate* non poteſt. Hoc alii dicunt *vulgo*, *phyſice* poteſt, *moraliter* non poteſt; diverſiſque verbis idem tamen ſignificant. Quæ eſt illa ratio, qua non vult, quaque idcirco non poteſt? Ratio juſtitiæ, ideſt ratio ordinis divinæ ſapientiæ: nam *ordo divinæ ſapientiæ*, *& juſtitia* ſunt unum idemque. Peculiarem rationem quæro. Hanc ego ignorari tota diſſertatione priori demonſtravi. Idem docet Auguſtinus, qui *in profundo* eſſe ait. Idem Lombardus binis verbis dixit, *ipſe novit*.

FINIS.

